This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

MONUMENTA

EVANGELICORUM AUG. CONF. IN HUNGARIA

HISTORICA.

II.

MONUMENTA
EVANGELICORUM AUG. CONF. IN HUNGARIA
HISTORICA.

A

MAGYARORSZÁGI ÁGOST. VALL.
EVANGELIKUSOK
TÖRTÉNELMI EMLÉKEI.

KÖZLI

FABÓ ANDRÁS,

AGÁRDI ÁG. VALL. PAP.

II. KÖTET.

PEST.

KIADJA OSTERLAMM KÁROLY.

1863.

ANDREAE SCHMALII,

ECCLESIAE LUTHERANO-EVANGELICAE RATKOVIENSIS

IN VERBO DEI MINISTRI,

ADVERSARIA

AD ILLUSTRANDAM

HISTORIAM ECCLESIASTICAM EVANGELICO-HUNGARICAM PERTINENTIA,

DEO PROPITIO QUATUOR SECTIONIBUS OPTIMA FIDE DEFINITA

ANNO REPARATAE SALUTIS

MDCCLXV.

TRISTISSIMA

ECCLESIARUM HUNGARIAE PROTESTANTIUM

FACIES,

OMNES RELIGIONIS CONSORTES AD CHRISTIANAM COMPASSIONEM

LACRIMABUNDA INVITANS, PUBLICO EXPOSITA CONSPECTUI

A

MATTHIA BAHIL,

OLIM ECCLESIAE EVANG. BOHEMICAE IN LIB. REGIAQUE CIVITATE

EPERIESSIENSI V. D. MINISTRO.

PESTINI

SUMPTIBUS CAROLI OSTERLAMM

1863.

BX
8026
.H8
F3
v.2

TEKINTETES

CSERNÉKI ÉS TARKEÓI

DESSEWFFY OTTO

URNAK,

AZ ÁG. VALL. BÁNYAKERÜLET ÜGYELŐJÉNEK,

MÉLY TISZTELETTEL.

ELŐSZÓ.

Vállalatunk jelen kötetében két munkát vesz a tisztelt közönség.

Az egyik az első kötetünkből máris eléggé ismeretes Schmal Andrásnak a magyar protestantismus történelméhez kora szelleme- és modorában irt „Adversaria“-i.

Ezt szerzője kétszer dolgozta ki; először 1755.-ben, másodszor, évtized mulva, 1765.-ben. Az utóbbi fogalmazat, sokkal bővebb, felényivel, ha nem többel, mulja felül amazt.

Kiállításához, nem tudva, hol az eredeti? öt, vagy szorosan véve csak négy másolatot használtam.

Mtgos Kubinyi Ágoston és tek. Mátray Gábor urak a legszivesb készséggel adták ki muzeumunk kézirattárából azon ívrétü példányt, mely a tudományokat mindenkoron pártolt Kubinyi-család egyik sarja, Kubinyi Péter, ajándékából jutott említett nemzeti intézetünk birtokába. Szerző közeléből származva e példány, föltettem, hogy ha nem is az eredetiből, legalább egy- vagy közelkorú, és igy még kevésbé hibás másolatból van leirva: ezt tehát a szöveg alapjául fogadtam el.

Tek. Lichner Pál pozsonyi igazgatótanár ur az evang. lyceum kézirati becses gyüjteményéből két példányt küldött; egyet negyed-, egyet ívrétüt. Amazt többen másolták, be pedig Nyitray János, csalli tanitó, végezte; de az egész értetlenek másolata levén, majdnem használhatlan. A másikat, az ivrétüt, 1786-ban Daxner

Pál, akkoron ó-turai ág. vall. pap, másolta le, előbb az 1755.-ki dolgozatból, utóbb beillesztve az 1765.-ki átdolgozat bővitéseit.

Nagytiszt- Bauhofer György budai ág. vall. pap s egyetemes könyvtárnok ur is adott egy ívrétü példányt, mely, Doleschal Sámuel által lemásolva, boldogult nádornő Mária Dorottya ő cs. k. fönsége nagylelküségéből jutott az ágostai vallásuak egyetemes könyv- és levéltárának budai osztályába.

Végre az imént emlitett könyv- és levéltár pesti osztályából is használtam tek. Kanya Pál nyugalmazott tanár és egyetemes levéltárnok ur szivességéből egy ívrétü példányt. Ezt agárdi hivatalelődöm, Bilszky János, kézirata szerint Czeperik János, penczi tanitó által leirt másolatból Ribay György másoltatta le.

E példányok közől csak a Doleschalé 1755.-ki dolgozat, én az 1765.-kit adtam, közölve az eltérő olvasásokat is.

A második munka, melyet e kötetben adunk, Bahil Mátyástól „Tristissima ecclesiarum Hungariae protestantium facies.“ Erről csak annyit tudatok, hogy azt az 1747.-ki brigai, latinul és németül ellenlapozott példányból, a német szöveg mellőztével, közlöm. Ujból közzétételére az birt, hogy megjelenése korában Magyarországon közel fekvő okoknál fogva nem terjedhetvén el, nálunk kézirati ritkaságú.

Mind a két munka pedig egyben másban az egy- és közelkorú magyar prot. történelemre nézve kutfő magasságáig emelkedik.

Agárd, decemberben 1862.

Fabó András.

TARTALOM.

I. Adversaria.

	Lap.
Praefatio	1
Prolegomena de scriptoribus rem ecclesiasticam evangelicam in Hungaria illustrantibus	8
Classis I. De scriptoribus lutherano-evangelicis	8
I. Generalibus	8
II. Specialibus.	11
III. De manuscriptis evangelicorum	18
Classis II. De scriptoribus historiae ecclesiasticae reformatis	23
I. Generalibus	23
II. De scriptoribus reformatorum specialibus	25
III. De manuscriptis reformatorum	25
Classis III. De scriptoribus pontificiis	27
Classis IV. De scriptoribus exteris	31
I. Transylvanis	31
II. Germanis	31
III. Helvetis, belgis et anglis	32
Classis V. De fontibus condendae historiae evangelicae	34
Sectio I. De primordiis emendatae religionis evangelicae in Hungaria	35
Caput I. De primis reformatoribus	39
Caput II. De reformatorum fautoribus	58
Sectio II. De progressu emendatae religionis evangelicae in Hungaria	74
Caput I. De magnatum et ecclesiasticorum ad religionem evangelicam accessione	76
Caput II. De religionis evangelicae publica confirmatione	84
Caput III. De frequenti synodorum convocatione	96
Caput IV. De privilegiorum a summis magistratibus confirmatione	100
Caput V. De templorum evangelicorum et scholarum erectione	101
Caput VI. De virorum eruditorum ab exteris evocatione	107
Caput VII. De alumnorum ad academias promotione	109
Caput VIII. De typographiarum erectione	113
Caput IX. De ordinis inter ministros et rituum ecclesiasticorum constitutione	115

Lap.

Sectio III. De impedimentis emendatae religionis evangelicae is Hungaria 123
Caput I. De calvinianorum a religione evangelica discessione . . . 123
Caput II. De magnatum a religione evangelica defectione 136
Caput III. De legum, quibus libertas evangelica confirmatur, convulsione 147
Caput IV. De mandatorum regiorum contemptu et interpolatione. . . . 150
Caput V. De officialium in inclytis comitatibus et dominorum terrestrium insolentia 153
Caput VI. De jurisjurandi decretalis inductione 158
Caput VII. De prohibita librorum necessariorum invectione 161
Caput VIII. De strictissima in deficientes a romano-catholica religione inquisitione 163
Caput IX. De prohibita intercessionis consortum fidei imploratione, 165
Caput X. De importuno augustano-evangelicorum metu 167
Caput XI. De religionis evangelicae divexatione 172
I. De tacita evangelicorum divexatione 172
II. De aperta evangelicorum divexatione 182
1. Ante confirmatam religionem evangelicam 182
2. Post confirmatam religionem evangelicam 201
Caput I. De divexatione particulari 201
Caput II. De divexatione evangelicorum universali 216
Caput III. De adflictionum harum auctoribus 247
Caput IV. De ministrorum ad triremes abductione 253
Caput V. De ministrorum protestantium ex carceribus et triremibus liberatione 260
Caput VI. De iterata evangelicorum post comitia soproniensia divexatione 262
Caput VII. De excelsa commissione regia pesthiensi 295
Caput VIII. De benigna resolutione Carolina 306
Caput IX. De fatis evangelicorum post benignam resolutionem Carolinam 307
Sectio IV. De admiranda religionis evangelicae in Hungaria conservatione. 320
Caput I. Conatus hostium intervertendo 321
Membrum I. Per bella 321
Membrum II. Per fatalem adversariorum obitum 338
Caput II. Confessores eorumque fautores protegendo 344
Caput III. Ministros evangelicos ex praesentissimis periculis liberando . 349

II. Tristissima ecclesiarum Hungariae protestantium facies 363

Nagyobb sajtóhibák.

Lap	*sor*		*helyett*	*olvasd :*
14	4	alul	tteratae	litteratae
71	1	—	rdaedixit	praedixit
77	17	felül	prafaetione	praefatione
79	10, 11	alul	canicorum	canonicorum
94	17	—	judicias	judaicis
103	7	felül	sustentata	sustentatae
106	21, 22	—	convertionem	conversionem
109	11	—	su	sui
112	5	alul	Bojanoszky	Bojanovszky
142	12	—	jonioris	junioris
145	1	felül	evulgato után	inter alia scribit
170	15	—	religionisá	religionis
178	7, 8	—	sumutuosa	sumptuosa
180	14, 15	—	inimatas	intimatas
187, 188	—	alul	adnandam	adornandam
189	6	felül	ecl.	cel.
191	5	—	Ludovisum	Ludovicum
225	12	—	indigua	indigna
229	6	—	convicinm	convicium
232	19	—	militium	militum
254	10	alul	Peschelium	Peschekium
258	17	felül	esti	etsi
—	23	—	contubenií	contubernii
265	14	—	agenti	agenti
268	8	—	constgnantur	consignantur
277	18	—	omnaequitate	omni aequitate
279	8	alul	Sebastianus	Sebastiani
281	11	felül	Dic	Die
310	9	alul	cousilii	consilii
313	15	felül	Theresiaa	Theresiae
314	2	alul	insriptione	inscriptione
365	1	—	a hézagban	libilem et sufficientem
373	6	felül	insusos	insulsos
385	4	alul	eustodibus	custodibus
409	11	—	hune	hunc
410	3	felül	Censilium	Consilium
—	1	alul	eomitís	comitis

ANDREAE SCHMALII,

ECCLESIAE LUTHERANO-EVANGELICAE RATKOVIENSIS

IN VERBO DEI MINISTRI,

ADVERSARIA

AD ILLUSTRANDAM HISTORIAM ECCLESIASTICAM

EVANGELICO-HUNGARICAM

PERTINENTIA,

DEO PROPITIO

QUATUOR SECTIONIBUS OPTIMA FIDE

DEFINITA

ANNO REPARATAE SALUTIS

MDCCLXV.

* * *

ELECTI MEI NON LABORABUNT FRUSTRA. ESAI. LXV.

ADAMUS RECHENBERGIUS.

Qui studium historiarum fastidiunt, eorum ingenia aut barbara, aut ab omni eruditione aliena esse oportet.

Nam ex sententia Justi Lipsii

Hoc tibi virtutum stimulos, hoc semina laudis,
Hoc exemplum dabit!

PRAEFATIO

AD BENEVOLUM LECTOREM.

Postquam deo rebus meis propitio de religione lutherano-evangelica, ejusdemque fatis in Hungaria breviter commentatus sum, aequum esse existimavi, ut quae fuerit religionis christianae ante reformationem Lutheri in patria nostra conditio, posteritatis gratia percenserem, cum teste Cicerone libr. II. de Oratore: historia sit expositio rerum gestarum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae et nuncia vetustatis; et ex sententia Cassiodori: turpe sit in patria peregrinum agere. Majores nostros ad finem usque seculi VIII. idolorum fuisse cultores et a cognitione veri dei alienos, tam certum est, quam quod certissimum. Nam etsi Johannes Manlius, ex sententia Philippi Melanchthonis, in Collectaneis suis pag. 701. scribat: „Pannoniam cito doctrinam evangelii accepisse, cum S. Martinus pannonius Sárvarini in inc. comitatu szaladiensi *) natus, in Syrmio evangelium praedicaverit an. 375. turonensis episcopus constitutus“: tamen nisi providentia divina Carolus Magnus hunnos, ad montes Budae obsessos, fame deditionem facere coegisset, victosque voce praeconis ad amplectendam religionem christianam invitasset, et eos, qui amplexi sunt, vita, libertate et fortunis donavisset; vix gens Marti et Herculi,

*) Ribaynál „Sárvarini“ után ez áll: (Sabariae) in Inclyto comitatu castriferrei.“ Egyébiránt sz. Márton püspök születéshelyéről lásd: Czinár Mór székfoglaló értekezését „Győrvármegyei Sabariáról“ az 1859.-ki „Magyar akademiai Értesitő“ 521. s kk. ll. és Bitnicz Lajos értekezését „Sz. Márton püspök születéshelyéről“ az 1859.-ki „Uj magyar museum“ XII. füz. 491. s kk. ll..

diis suis tutelaribus, devota a superstitione gentili avocari potuisset. Sed id Carolum Magnum circa an. 791. magno studio effecisse, praeter Aventinum in Annalibus Bojorum libr. IV. et Bonfinium, patrium scriptorem, Decad. I. libr. IX., confirmat diploma Ludovici Pii imperatoris, sacerdotio pataviensi datum, quod recitat Timon in Imagine antiquae Hungariae pag. 253. sequ.. In eo diserte confitetur Ludovicus, quod Carolus Magnus imperator regnum hunnorum suae ditioni non sine magno praeliorum labore subjugaverit, et homines terrae illius cultui christianae religionis mancipaverit, in tantum, ut in eadem provincia [1]) multas ecclesias ob dei reverentiam et renovari, et a fundamentis exstrui faceret. Ii, qui sub Carolo Magno religionem christianam susceperant, exstincti fuissent omnino, nisi dux Geysa, Toxi filius, ab Adalberto an. 969. aut, quod non sine ratione celeberrimus Schmeitzelius in Dissertatione epistolica Jenae 1722. impressa pag. 13. existimat, a S. Pilgrino episcopo laureacensi, in fide christiana instructus, et an. 981 [2]) cum universa familia sua sacro illo lavacro ablutus, rem christianam nimium collapsam laetis auctibus instaurasset. Nam etsi Caroli Magni temporibus an. 795. Thudunus chaganus IX. cum magno popularium numero sacro s. christianorum ritu ablui, et Christum colere animum induxerit, ejus [3]) hortatu complures hunni sub signis Christi militare inceperint: tamen Thudunus Carolo Magno vel Christo potius datam fidem an. 796. [4]) fefellit atque adeo belli recrudescentis suique interitus causa fuit, ut recognoscit celeber. Timon in Imagine Hungariae libr. II. cap. XIII. pag. m. 256.. Id ne temporibus Geysae eveniat, ipse sapienter providit. Praeterquam enim quod doctores informando populo pernecessarios ex vicinis regionibus christianis arcessivit et templa cultui divino destinata construxit: etiam ferocientes multumque repugnantes Hungariae proceres, partim sua pietate, partim auctoritate ita perdomuit, ut depositis infestis duci armis mitescerent. Conf. Bonfinium Decad. II. [5]) libr. I. pag. 114. Multo felicioribus progressibus increvit religio christiana sub Stephano rege, a patre suo Geysa ad omnem

---

[1]) Ribaynál: ut etiam in eadem st.
[2]) Ribaynál: 988.
[3]) Ribaynál: ejusque.
[4]) Ribainál: 798.
[5]) Ribaynál: VI.

pietatem educato. Is enim in regem Hungariae electus, cum convertendorum ad Christum popularium studio unus omnium maxime arderet, non tantum trucem indomitaeque feritatis populum, extincto Cupa, agri sümeghiensis domino, sensim emollivit; sed etiam christianam religionem suscipiendam esse, gravi edicto constituit et nihil non fecit, quod ad gentem hungaricam deo initiandam pertinere arbitrabatur, ut adeo apud gratam meritorum posteritatem decus *) regis apostolici meruerit, de quo omnes Hungariae annales prolixe loquuntur. Stephano rebus humanis exempto, postquam in caput successoris ejus, Petri, propter male administratam rempublicam aliqui hungarorum conjurassent, et Leventam Andreamque, fratres in Polonia latitantes, ad suscipiendam regni curam evocassent, ea cum conditione, ut hungaris gentili more vivere liceat, dici non potest, quam gravis procella capiti christiano incubuerit. Nam dum haec fiunt, primus omnium Vatha, procerum Hungariae facile princeps, religionem christianam ejuravit et universam fere Hungariam funestis admodum casibus permiscuit. Praeterquam enim quod infelici suo exemplo multos gentili superstitioni involvit: etiam episcopos non paucos trucidavit, et templa deo dedicata solo aequare veritus non est. Conf. Bonfinius Dec. II. lib. I. et Thuroczius part. II. cap. 39.. Interiisset profecto omnis rei christianae apud hungaros memoria, nisi Andreas in regem inauguratus, eam pristinae libertati restituisset. Tantum enim abest, ut acceptatam prius conditionem impleverit, ut potius mortuo interea fratre Leventa rem christianam egregie instauraverit. Praeterquam enim quod promissionem spe obtinendi regni hungaris factam, de exstirpandis christianis, prudens retractavit: etiam de acceptanda religione christiana gravissimum edictum promulgari jussit, quo factum est, ut omnis fere Hungariae populus ad sacra christianorum redierit. Conf. Thuroczius part. II. cap. 42. et Inchofferus in Annalibus ad an. 1048.. Post tristem Andreae obitum erant in Hungaria non pauci, qui Belam I. regem ad exstirpandos christianos permovere nitebantur; is tamen disjecto seditiosorum globo, rem christianam feliciter tutatus est. Conf. Ranzani Epitome rerum hung. ind. X.. Perstabat dein divina providentia christiana religio in Hungaria, et omnes, qui Belam I. sequuti sunt reges,

*) Ribaynál: nomen.

eam publicis edictis haud raro constabiliebant. Hoc unicum dedoleri nunquam potest, quod optimi reges in ea inciderint tempora, quibus universa fere religio christiana magno ceremoniarum numero, edictis summi pontificis et superstitioso sanctorum cultu absolvebatur. Confecit prolixum admodum indicem sanctorum Hungariae, praeter Sigismundum Ferrarium, Martinus Szentivanyi, S. J., in Dissertatione sua Horographica §. 3.. Nullius tamen cultus apud hungaros invaluerat magis, quam b. virginis Mariae, quam tutelarem quasi deam venerati sunt, propterea, quod incauti crediderint s. Stephanum regem tutelae b. virginis regnum Hungariae commisisse. Hinc factum est, judice Inchoffero in Appendice ad Annales Hung. p. 21., ut Hungaria titulo angustiori regnum Marianum fuerit adpellata. Magna profecto fuit b. virginis apud hungaros veneratio. Nam non tantum effigiem ejus nummis aureis imprimebant, cum inscriptione „Patrona Hungariae“: sed etiam in honorem ejus sumtuosissima templa excitabant, ut omnibus Hungariae civibus certum est et exploratum. Hinc non sine ratione existimavit Hanerus in Hist. eccl. Transylvaniae p. 107. sq. Belam IV., postquam a tristissima illa tartarorum clade requievisset, non tam de regiis, quam Marianis honoribus sollicitum fuisse. Nam is

Et aras divae et divam restituit aris.

Imo Stephani regis adhuc temporibus, ut amplior venerationi locus sit, nemo ausus est nomen Mariae pronunciare, sed dominam adpellabant, et si quis Mariam nominabat, audientes ad contestandam venerationem flexis genibus et demissis capitibus illud venerabundi excipiebant, ut laudatus Hanerus ex scriptis Pelbarti Temesvariensis l. c. p. 74. commonstravit. Unde autem iste religiosus b. virginis cultus in Hungaria derivandus sit, admodum pronum est arbitrari. Scriptores enim patrii memoriae prodiderunt b. virginem Mariam, dum Geysa, dux hungarorum, Christo fidem addicere meditaretur, circumfuso noctu lumine illi affulsisse, eumque ad suscipiendam fidem christianam commonuisse, atque adeo non alteri, sed soli b. virgini conversionem hungarorum in acceptis ferendam esse. Num haec veritati ex aequo respondeant, non sine ratione ambigo, cum exploratum sit, illis inprimis temporibus religiosas apparitiones observatas non fuisse. Adhaec arbitrantur quidam s. Stephanum regem Hungariae, divae illius virginis auxilio,

Ceam, bulgarorum principem, an. 1004. *) bello vicisse et ad contestandam pietatem suam non minus se, quam universum Hungariae regnum ejus tutelae commisisse, eamque perpetuo uti patronam regni fuisse veneratam. Accedit, fuisse nonnullos, qui commenti sunt, s. Ladislaum, cum rebus humanis eximeretur et nullus ex amicis heres superesset, b. virginem Mariam heredem regni scripsisse et praecepisse diligenter, ut nummi cudendi imagine b. virginis signarentur, quales tamen ante Vladislai II. tempora reperiri non posse observavit Mellen in Serie regum Hungariae ex ducatis. Conf. Schmeitzelius in Dissertatione epistolica de statu ecclesiae lutheranorum in Transylvania pag. 13. num. 40.. Haec dum omnia crederent hungari, mirum profecto non est, quod illis inprimis temporibus inducti fuerint, ut b. virginem Mariam religiose venerarentur. Nec desciverunt a religiosa hac b. virginis Mariae veneratione hungari romanis sacris addicti, quod vel hinc facili negotio confici potest, quia litteras in pallio s. Stephani a dextra parte crucifixi adscriptas: R. R. E. T. O. B. V. M. B. R. A. ita exponunt: Regina Romanae Ecclesiae Totiusque Olympi Beata Virgo Maria Bellicosi Regni Advocata; conf. si placet Com. Petri de Réva Commentarium de sacra regni Hungariae corona, edit. claudiopolitanae anni 1735. pag. 81.. Exemplo praeterea esse potest columna Bartphae ante templum jesuitarum sumtibus evangelicorum excitata. Cum enim Adamus Brezniczky, plebanus zboroviensis, an. 1663. adpensa campanula in quadam domo Bartphae sacra ritu romano-catholico celebrare voluisset et per cives scholae evangelicae, Nigrinium, Jelenium et Sztranovium, impeditus fuisset; malum hoc prius consopiri non potuit, quam excitata 23. Maji **) an. 1675. marmorea columna, et quidem, ut docet inscriptio, augendo honori Mariae virginis, patronae regni Hungariae, magnae dominae nostrae, dedicata. Certe Martinus Biró, episcopus veszprimiensis, in Enchiridio suo pag. 186. propterea peculiariter honorandam existimat, quia est magna domina et hereditaria regina hungarorum, quam pag. 185. salutis auctricem et cooperatricem adpellare veritus non est. Hinc procul omni dubio ad provehendum cultum b. virginis Mariae conficta

*) E győzelmet 1003-ra teszi Szalay: Magyarország története. 1. köt. Lipcse, 1852. 81. l..

**) Ribaynál: Junii.

fuerunt a clero hungarico tot et tanta prodigia, quasi b. illius virginis imago inter tot Hungariae calamitates an. 1663. Tyrnaviae sangvinem sudaverit, in sacello arcis patakiensis 6. Febr. an. 1664. moerentium instar sinistrum oculum demiserit, dein nonnihil aperuerit, atque demum peramoene prospexerit, infantem in puteo suffocatum vitae reddiderit, et Sophiae Báthory, Georgii Rákóczyi junioris viduae, ad romano-catholicos desciscenti, leni contactu scapulis signum impresserit [1]), uti autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1663. pag. 153., ad an. 1664. pag. 353. et ad an. 1666. pag. 461. comminiscitur [2]). Imo est mihi imago b. virginis cum duplici precatiuncula ad Christum et eandem directa, cum hac inscriptione: Imago beatissimae virginis Mariae, quae in Hungaria d. 4. Novembr. an. 1696. et deinceps saepius plorare visa. Haec uti prudentiores omnes conficta esse sciunt: ita auctoribus defendenda relinquuntur. Mariae addebant hungari s. Stephanum regem et filium ejus Emericum, inprimis autem s. Ladislaum, cujus tanta fuit apud hungaros veneratio, ut successores in regno non Mariae, sed ejus effigie nummos aureos signarent, quod a Ludovici I. temporibus ad Rudolphum usque II. observatum fuisse omnes norunt. Alios quoque sanctos venerantur hungari, sacris romanis addicti. Exemplo nobis sint tyrnavienses academici, qui singulis classibus singulos e coelitibus patronos adsciscunt, [3]) iis se devovent, eorumque dies festos solenni cum religione concelebrant. Theologi et grammatistae venerantur s. Ignatium Lojolam 31. Julii, juris studiosi d. Ivonem, advocatum pauperum, 19. Maji, philosophi et poetae Franciscum Xaverium 3. Dec., rhetores s. Catharinam virginem 25. Nov., principistae s. Stanislaum Kostkam 23. Nov. et parvistae s. Gregorium, d. 12. Martii, uti celeb. Belius in Notitia novae Hungariae, cum Tyrnaviam describeret, posteritatis gratia prudens adnotavit.

Hinc nemo unus est, qui non facile arbitraretur, quantum sit immortalis dei beneficium, purior illa deum colendi et vivendi ratio, quam religionem evangelicam adpellamus. Uti enim misera antehac fuit et adflicta divini coetus conditio, cum superstitiones in cultu, er-

---

[1]) **Ribaynál még**: et de sua benevolentia securam esse voluerit.

[2]) **Ribaynál a szélen**: Ignotus fuit Schmalio liber de Maria sassiniensi; imo et alter, cujus titulus: Magna Hungariae domina.

[3]) **Ribaynál még**: eosque venerantur.

rores in doctrina et corruptelae in moribus dominarentur: ita magnum est et nunquam aestimandum satis dei beneficium, quod nos ope ministerioque Lutheri tot tantisque malis subtractos libertati adseruerit et puritatem doctrinae evangelicae a saxonibus ad hungaros quoque pro sua bonitate traduxerit. Dignum profecto est, ut tanti beneficii memoria supersit et perscribatur ad posteritatem, cum ex sententia Adami Rechenbergii recentioris historiae cognitio majorem in vita usum habeat, quam antiquioris. Hinc cum et pauca sint et rara admodum documenta, rem evangelicam illustrantia, constitui, venturae posteritatis gratia, ea, quae in Adversaria mea retuleram, ad ordinem revocare et praemissis prolegomenis non tantum de primordiis et progressu, sed etiam de impedimentis et admiranda religionis evangelicae in Hungaria conservatione commentari. Sed vix destinationes has multo utilissimas adgressus sum, venit in mentem recordari illius, quod propria experientia edoctus scripsit Claudianus:

Singula complecti cuperem, sed densior instat
Doctrinae series, rerumque sequentibus undis
Obruimur!

Ego a necessariis praesidiis ad conficiendum hoc negotium destitutus, dum calculos meos ad ordinem revocarem, fere in limine substiti, sed recordatus illius, quod non sine ratione scribit poeta:

Audendum tamen est, etsi perfectus in arte
Nemo sit,

coeptis instare, et quae de rebus nostris evangelicis in litteras relata reperi, integra fide percensere coepi. Deus piis destinationibus nunquam non propitius, conatibus his indulgentissime faveat, susceptoque labori felicem fortunatumque finem largiatur et a puriori coetu evangelico, cujus causa labor hic suscipitur, quicquid triste est et peracerbum, clementissime prohibeat. Quod ad dictionem latinam adtinet, non raro addendae erant voces, quas melior illa latinitas, cujus ego perstudiosus sum, non sine ratione aversatur. Vener. cleri, protestationis et aliorum similium crebra fit mentio, cum tamen omnium eruditorum consensione *), clerus pro collegio sacerdotum et clericus pro sacerdote, barbara sint. Protestari vulgatum magis verbum est, quam latinum, et significat publice

*) Ribaynál: confessione.

contra aliquid adpellare, aut per legem intercedere. Hinc si quod benevolus lector observare videbitur, non mihi, sed ut vulgus loqui amat, stylo curiae hungaricae imputabit. In eo lectorem, quisquis fuerit, securum esse jubeo, me nihil Adversariis his intulisse, quod non certissimis documentis fuerit adprobatum. Judicent eruditi hungari et sequutura posteritas, nam neque ejus judicium defugio.

PROLEGOMENA

DE SCRIPTORIBUS REM ECCLESIASTICAM EVANGELICAM IN HUNGARIA ILLUSTRANTIBUS.

Qui res ecclesiae aug. evangelicae in Hungaria perscripserunt ad posteritatem, diversi admodum sunt, sive patriam, quam incoluerunt, sive religionem, quam professi sunt, sive denique institutum et operam eorum ex vero metiaris. Hoc vel hinc facili negotio confici potest, quod alii fuerint hungari indigenae aut civitate hungarica donati, alii exteri, alii evangelicae, alii rom. catholicae, alii calvinianae religioni addicti, quorum aliqui professa opera, alii strictim res evangelico-ecclesiasticas litteris mandaverunt. Hinc melioris ordinis causa distinctis eos classibus percensebo.

CLASSIS I.

DE SCRIPTORIBUS LUTHERANO-EVANGELICIS, et iis quidem

I. GENERALIBUS.

Quo majoribus perturbationibus obnoxia fuit et adhuc est religio evangelica in Hungaria, hoc minus tutum arbitrantur cives evangelici de fatis ejus commentari. Hinc profecto, ut cum ratione arbitror, factum est, quod pauci admodum reperiantur inter hungaros lutherani, qui ex instituto res ecclesiae pertractare aut typis mandare fuerint ausi. Majores enim nostri ineunte seculo superiori XVII., dum maxime facere potuissent, si perpaucos excipias, ne glexerunt, nobis autem alieno hoc sanctioris reipublicae tempore, etsi maxime vellemus, id tentare consultum non est. Mihi hac vice tres nominare sufficiat. Primus omnium est autor Historiae

diplomaticae *a)*, alter anonymus *b)*, tertius Ven. Matthias Bahil, ecclesiae eperjensis incl. nationis evangelico-schlavonicae minister *c)*.

a) De autore Historiae diplomaticae, quae sub initium hujus seculi an. 1702. prodiit, variae sunt variorum, cui adscribi debeat, opiniones. Alii enim eam com. ab Hardeck, alii Contrejo, alii Joh. Jacobo Lehmanno transscribunt. Ego non sine ratione cum Joh. Georgio Schreibero in Descriptione civitatis Modrensis eam Danieli lib. bar. ab Huldenbergh vindicandam esse existimo. Quod enim com. ab Hardeck adtinet, id admodum perincertum est, nec sufficienti argumento confirmari potest. De Contrejo in libello: Die unumstössliche klare Wahrheit der Evangelischen etc., qui Amstelodami an. 1714. in 8. prodiit, pag. 223. hoc dicitur, quod Historiam diplomaticam an. 1710. ediderit, sed quod eam proprio Marte conscripserit, non adjicitur, quandoquidem alterius quoque laborem, jam an. 1702. publicae luci expositum, edere potuerit, uti edidit omnino Lehmannus Actis suis publicis de pace religiosa, Historiam diplomaticam, tanquam publicum de ecclesiis evangelico-hungaricis scriptum, prius jam editum, operi suo an. 1711. adjunxit. Si lib. baronem ab Huldenbergh consideres, erat is serenissimi Britanniae regis, Georgii Ludovici, ad aulam caesareo-regiam ablegatus, anno demum 1715. publica Caroli VI. imperatoris et comitiorum posoniensium sententia genuinis hungaris adscriptus, qui tanto ad scribendam Historiam diplomaticam animum adjicere poterat promtius, quanto minus ei, Viennae residenti, negotia evangelico-hungarica, diplomatibus regiis adfirmata, ignota esse potuerunt. Praeterea nisi haec Schreibero, qui saepe in negotiis modrensibus Viennae versabatur, certissime innotuissent, viventibus multis ejus rei consciis, tam aperte autorem definire ausus non fuisset. Ceterum optimus ille baro non semper tanta religione in scribendo versabatur, quin sacram veritatis lineam fuerit transgressus. Ea, quae diplomatibus regum, constitutionibus synodorum et aliis publicis documentis adseruit, magni sunt momenti et digna, quae sequutura veneretur posteritas: reliqua tamen, quae ex incertis relationibus aut privatorum litteris haud raro adjecit, non ubique sibi constant; quod quidem hic loci prolixius recognoscere non satis consultum esse puto. Autori Historiae diplomaticae ad laudem satis est, quod saluberrimis his destinationibus immortalem sibi apud evangelicos conciliaverit memoriam. Injurius ergo est in coelum et omnem veritatem Martinus Biró, episcopus vesz-

primiensis, qui in Enchiridio suo pag. 103. Historiam diplomaticam adpellat „quintum evangelium acatholicorum eo nomine conscriptum, ut sagittent et trucident in obscuro rectos corde.“ Dignum Diotrepho et barbaro Biróne mendacium! Hoc multo iniquior est celeb. Péterfyus, S. J., qui in praefatione ad lectorem Conciliis suis sacris praemissa, Historiam diplomaticam adpellat: „chaos schedarum undeunde congestum, tegmen meditatae perduellionis, fomitem discordiarum et triste memoriale per Lutherum et Calvinum laceratae patriae“; sed quot sunt verba, tot sunt ab orco revocata et invido calumniatore digna mendacia, quod sola utilissimi libri inspectio luculentissime commonstrabit *).

b) Anonymus ille, quantum divinando adsequor, fuit ven. condam Matthias Belius, ecclesiae posoniensis incl. nationis germanicae pastor, eruditae societatis berolinensis socius, vir orbi litterato non ignotus. Hoc tanto confidentius adfirmo, quanto magis ab amicis ejus rei consciis condocefactus sum. Scripsit ille: Kurze und zuverlässige Nachricht von dem Zustande der protestantischen Kirche in Ungarn, nebst dreyen Beylagen. Hic libellus ita litterato orbi placuit, ut semel atque iterum ederetur. Conf. in hanc rem Zweyte und vermehrte Auflage, an. 1746. in 8.. De vita et utilissimis laboribus viri hujus uti alii prolixissime commentati sunt, ita consuli potest Commentatio mea de superintendentibus evangelicis **).

c) Matthias Bahil, patre Johanne, matre Juditha Placsko csetnekiensi natus, postquam Rahoviae sub Sam. Bubenkio, Kesmarkini sub Georg. Buchholtzio, Neosolii sub Joh. Simonide didicisset, Vitembergae an. 1726. mecum studia confirmavit et 25. Maji an. 1730. cserencsiensium apud kis-hontenses minister factus, ita sua praeclare egit, ut Eperjesinum in pastorem ecclesiae slavonicae evocaretur. Hic evulgato slavonice Salam. Cypriani Tractatu de origine et incremento papatus, et Admonitione ad fratres bohemos de retinenda religione evangelica, Eperje-

*) A Historia diplomatica szerzőjéről az elősoroltakon kivül van még több vélemény is. Igy péld. némelyek, mint Baring, baró Birendorfénak, mások, mint Klein, Krmann Dánielének tartják azt, Horányi pedig: Nova memoria hungarorum st. Pars I. Pestini, 1792. 150. s kk. ll. Okolicsányi Pálnak, maga korában hires jogtudósnak tulajdonitja.

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hungaria hist. 1. köt. Pest, 1861. 3. l.

sini in carceres conjectus et admiranda prorsus ratione liberatus in Silesiam profugit et celeb. Burgii commendatione Anisfeldae pastor factus fuit. Hic edidit Tristissimam ecclesiarum Hungariae protestantium faciem, Brigae an. 1747. *), de quo prolixius commentarer, nisi ipse in dicto libello id ex vero praestitisset.

II. SPECIALIBUS.

Multo major eorum numerus est, qui strictim, diligenter tamen, ubi se dabat occasio, res ecclesiae augustano-evangelicae in Hungaria existentis explicuerunt. Tales sunt:

1. **Leonhardus Stöckelius,** scholae bartphensis rector, vir de rebus evangelicis in Hungaria immortaliter meritus, qui in Apologia ecclesiae bartphensis an. 1558. edita, hac opera egregie perfunctus est. Vitam cum fatis Stöckelii prolixius descriptam vide in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria **).

2. **Severinus Sculteti,** natione slavus, primum apud eperjenses scholae director, dein an. 1591. ecclesiae bartphensis pastor a ministerio graecensi ordinatus et post biennium lib. regiarumque civitatum senior. Scripsit eximius hic vir Hypomnema sive admonitionem brevem ad christianos Hungariae cives de asserenda et retinenda veteri seu avita vere christiana doctrina, in augustana confessione comprehensa. Prodiit Bartphae an. 1599. typis Davidis Gutgesell, in IV.. In hoc libello postquam de constitutione et fatis ecclesiae pannonicae eleganter non minus, quam copiose praefatus est, in ipso opusculo res circa emendationem religionis evangelicae cum praecipuis sacrorum doctoribus eorumque fautoribus diligenter exposuit. Laudavit eum Hutterus in Concordia concorde cap. LV. pag. 1408., de quo vide plura, si placet, in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria ***). Ex nostris profecto eo tempore, quod sciam, in hoc rerum sacrarum argumento nemo diligentius versatus fuit, de quo et in posterum erit dicendi locus.

*) E munkát is a jelen kötetben közöljük a t. közönséggel.

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hungaria hist. 1. köt. 61. ..

***) U. o. 62. l..

3. **Joachimus Leibitzerus**, altwaldorfensis pastor et Israelis Leibitzeri, belensis diaconi, pater in Verzeichnüss etlicher geschehener Dinge.

4. M. **Daniel Lanyi**, patria thurocziensis, primum scholae banovicensis rector, dein ecclesiae galgocziensis minister et postremo Neosolii ad aedem Elisabethanam pastor, in Ignea veritatis columna, quae prodiit an. 1654. et pars specialis an. 1659. Lipsiae in IV., ubi copiosa satis rei evangelicae documenta invenias. De hoc utilissimo et multis adversis rebus exercitatissimo viro in Syllabo litteratorum thurocziensium dixi quod satis est.

5. **M. Daniel Kleschius**, non Iglavia moravus, ut in Relationibus innocentibus ad an. 1714. ord. II. pag. 264. adpellatur; sed Iglovia scepusius, cujus vitam et scripta prolixe recenset Czwittingerus in Specimine Hungariae litteratae pag. 207. et 213. seqq. Illis addi debet Solennitas inaugurationis templi in castro Schawnik, quod Sigismundus Tököly lib. baro de Kesmark s. sanctae et individuae trinitati religiose consecravit 24. Nov. an. 1669.. Prodiit Bartphae an. 1670.. Item Catalogus presbyterorum scepusiensium, elegans vetustatis documentum, Bartphae an. 1669. impressum. Vir fuit Kleschius oppido eruditus, sed in senectute sua, vitio naturae, ad deliria *) quaedam prolapsus. Hinc non sine ratione Czwittingerus l. c. pag. 219. nominat eum in juventute senem, in virili aetate Herculem et in senectute infantem. Danieli adjungi meretur frater natu major, M. Christophorus Kleschius in Enarratione deformationis an. 1674. in XIII. oppidis institutae. Prodiit Jenae an. 1679. in IV..

6. **Tobias Masnitius**, diaconus illaviensis et constantissimus veritatis evangelicae confessor, patre Daniele Masnitio kosztolanensi natus, primum szeniczensis, dein illaviensis scholae rector, atque postremo ibidem diaconus. Tempore decennalis illius sub Leopoldo M. institutae divexationis, dum post novem mensium carceres Leopoldopoli toleratos ad triremes abduceretur, cum fido Achate suo, Joh. Simonide, rectore briznensi, ad Neapolim elapsus, quarto statim die ad Capracottam captus, post sex hebdomadarum carceres opera et benevolentia Georgii et Philippi Velcz, mercatorum neapolitanorum, libertati restitutus fuit. Hic non tantum Scholam crucis et lucis an. 1675.

*) Ribaynál: devia.

edidit, sed etiam Apologiam apostolicam, sive solidam demonstrationem, haeresim, seditionem et templi domini profanationem inique lutheranis imputari, sub D. Joh. Deutschmanno cum laude defendit *). Vinea ejus electa breve quidem, sed elegans et perquam utile opusculum, slavonice conscriptum, prodiit Dresdae in 12. atque Emerico Tököly et Stephano Petróczy, illustribus duumviris, an. 1682. dedicatum fuit.

7. M. **Georgius Lanyi**, scholae carponensis rector, in Narratione captivitatis et liberationis suae et in Funda Davidis contra Goliath. Uterque tractatus prodiit in IV. an. 1676.. Narrationem hanc refutaturus Joh. Sextius conscripsit Animadversiones theologico-politico-historico-criticas anno eXVLes traDVCIMVr; sed adeo impotenti animo, ut personam obtrectatoris, quam in Lanyio se invenisse obtrectabat **), ipse deliberato quasi consilio induerit. Dolendum virum alias eruditum et sacerdotis dignitate apud carponenses slavos insignem, praeposteris adfectibus suis imperare non potuisse. Edidit praeterea M. Georg. Lanyi Clypeum veritatis sive vindicias Fundae Davidis contra Goliath, adversus Thrasonem Papaeum, ut ipse confitetur in epistola dedicatoria Hermathaenae praemissa. M. Georgius Gassitius et Christophorus Mazsarius, biga juvenum Hungariae, ediderunt Clypeum veritatis, seu vindicias narrationis historicae captivitatis et liberationis M. Georgii Lanyi, observationibus Anonymi h. e. Johannis Sextii oppositas, quibus insertus est Helleborus subscriptionistarum incerti autoris seu judicium de subsriptione ad reversales papisticas pastorum quorumdam in Hungaria. Prodiit an. 1677. in forma IV.. In hoc opere doctissimi illi juvenes non tantum Historjcam narrationem Lanyii egregie vindicarunt; sed etiam reversalistas multis nominibus deliquisse luculentissime demonstrarunt, ut nemo fuerit quod sciam ex reversalistis unus, qui vel mutire ausus fuerit amplius, quamvis optimi illi juvenes acriori in reversalistas dicendi ratione fuerint usi.

8. **Jobus Krestiansky** aus Freiberg. Hoc uti adscitum nomen est, ita optimus ille vir duplici opusculo rem ecclesiasticam evangeli-

*) Ribaynál a szélen: NB. Dedicatio in meo exemplari est ad Catharinam Sidoniam Révay, Matthiae Ostrosith uxorem.

**) Ribay- és Doleschalnál: existimabat.

cam illustravit. Prodierat scriptum Joh. Lapsanszky, archiepiscopalis secretarii semel atque iterum sub titulo: Kurzer und wahrhafter Gerichts-Auszug etc. editum, in quo orbi europaeo persvadere conabatur, ministros evangelicos ex Hungaria non religionis, sed rebellionis causa pulsos et ad triremes damnatos esse. Georgius autem Bársony, praepositus scepusiensis sub titulo: Entlarvte Wahrheit, sive veritas toti mundo declarata, an. 1672. tribus argumentis commonstrare nitebatur, augustissimum imperatorem Leopoldum nulla ratione ad tolerandam religionem lutheranam et calvinianam obstringi. Quam eleganter et libere Jobus noster aus Freiberg utrique responderit, testantur libelli ejus publicae luci expositi. Tales sunt: Kurtze Nachricht entgegen gesetzet dem lügenhafften Bericht Joh. Lapsanszky; item: Ausführliche Antwort auf die entlarvte Wahrheit, contra Georgium Bársony praepositum capituli scepusiensis. Prodiit uterque an. 1683. in IV.. De utilitate opusculorum recognoscere opus non est, sufficit in utroque multa reperiri, quae illustrandis rebus evangelicorum in Hungaria cumulatissime inserviunt.

9. **Georgius Budaeus**, primum vörös almensis, dein Vallis Dominorum ecclesiastes, qui scripsit et an 1690. *) edidit: Threnodiam abyssum persequutionum plangentem, et quidem stylo ligato in 8.. Hic in tristi divexatione sua Leutschoviam tanquam Pathmum suam ut quam plurimum laudavit; hinc in Threnodia sua Centuria II. decad. I. inter reliqua ita scripsit ad posteritatem:

Leutscha mihi Pathmos fuerat, per tempora pauca,
Sed fuerat meritis maxima, larga, pia.
Huic veluti patriae nostrae reverentia summa,
Pax, candor, pietas, gloria, vita, salus!
Huic Deus ex alto pro me benedicat Olympo,
Ampliet ex Sion et tueatur eam.

10. **Stephanus Pilarik** edidit Vitembergae an. 1678. Currum Iehovae mirabilem germanice in IV., de quo et reliquis scriptis ejus videri potest Czwittinger in Specimine Hungariae tteratae pag. 303. seqq..

Etsi posteriores isti duumviri ut quam plurimum fata sua ad posteritatem perscripsisse videantur; reperientur tamen in utroque opu-

*) Ribaynál: 1696.

sculo non pauca, ex quibus tristem illorum temporum ecclesiarum evangelicarum metiaris faciem. Huc referri debent:

11. **Veracii Constantii**, militis hungari Animadversiones apologicae, quas incaesareum super puncta pacis statuum et ordinum regni Hungariae pro libertate confoederatorum datum responsum sincere notavit orbique christiano manifestare voluit anno reparatae salutis 1706., impressae in libera liberi regni civitate in folio. In his a pag. 81. usque ad 151. res ecclesiasticae adnotantur. Hujus scripti, quod admodum rarum est, haec fuit scribendi opportunitas. Augustissimus condam imperator et rex Hungariae Josephus I. innocenti sangvini hungarorum parcere percupiens bello, quod Franciscus II. princeps Rákóczy tumultuarie excitaverat, finem imponere et de tractanda cum hungaris pace consilia agitare incipiebat. Hinc cum status et ordines regni cum confoederatis certa puncta pacis ad augustissimum imperatorem misissent, ille eadem per commissionem regiam examinari et ex praescripto legis definiri jussit. Recuperatores ex parte caesareo-regia erant: Carolus princeps Lotharingiae et Barri, osnabrugensis et olomucensis episcopus, quem Josephus consobrinum et principem suum adpellat; Joh. Venceslaus com. a Vratislau, consiliarius intimus et regni Bohemiae cancellarius; Paulus Szécsényi, colocensis archiepiscopus et veszprimiensis episcopatus administrator; Nicolaus Illésházy de Eadem, hereditarius in Trenchin, ejusdem et liptoviensis comitatuum supremus et perpetuus comes; Franc. Sigism. comes a Lamberg, consiliarius bellicus, supremus castrorum praesidiique urbis viennensis vigiliarum praefectus. Ex parte hungarorum praeter status et ordines regni fuerunt serenissimae Magnae Britanniae reginae dominorumque generalium foederati Belgii ordinum ablegati. Hi cum puncta XXIII. Tyrnavia 16. Junii an. 1706. Posonium transmisissent, recuperatores caesareo-regii eo confoederatos ordines non parum in limine statim offenderunt, quod eos malecontentos abalienatosque hungaros adpellarint et ad puncta, quae missa fuerunt, frigide admodum et contemptim responderint. Hinc uti recuperatorum regiorum culpa negotium feliciter definiri non potuit: ita Veracius Constantius in responsiones commissionis regiae Animadversiones apologicas conscripsit, scriptum quidem acre, sed legibus regni et diplomatibus regum optima fide confirmatum.

12. **Georgii Chladny**: Inventarium templorum, Gör-

licii an. 1769. in 12. editum, in quo a pag. 125. ad pag. 147. res ecclesiasticae cum omni veritate describuntur.

13. **Samuelis Pomarii**: Bewiesener ungerechtester Gewissenszwang, entgegengesetzt Hierothei Baranowszky: Gerechtfertigten Gewissenszwange, tomi II. in 12. Vitembergae an. 1674., ubi praeclara quaeque de fatis ecclesiarum leutschoviensi, cassoviensi, eperjensi, cibiniensi et aliarum reperias.

14. **Martini Novakii**: Ungarische und wahrhaftige Avisen ab an. 1658. ad an. 1674.. Prodiit opusculum an. 1680. in IV..

15. **Antonii Reiseri** von Augsburg, der Zeit Pastoris zu St. Jakob in Hamburg: Fünf unterschiedliche Schriften, von seiner und andern Evangelischen Lehrer vormahls erlittenen Verfolgung in dem Königreich Ungarn, zusammen gedrückt. Hamburg, an. 1683. in 12..

16. **Anonymi**: Vertheidigtes gutes Gerichte derer aus dreyzehen Städten unschuldig ins Elend getriebenen Diener Christi. Prodiit an. 1676. in forma IV..

17. **M. Ludovici Lucii**: Violenta nec non fraudulenta Antichristi occidentalis in Hungaria nunc furentis persequutio, ut et benignissima ex eadem liberatio. Erat hic cremniciensis pastor, qui edidit opusculum suum in IV. an. 1678..

18. **Tobiae Masnitii** et **Joh. Simonidae** Gottes Kraft und Gnade, die sich an ihnen reichlich und beständig erwiesen. Prodiit Vitembergae an. 1681. in 8..

19. **Johannis Simonidae**: Exul praedicamentalis Vitembergae an. 1679. in 8. editus, in quo erudite et luculenter satis commonstravit, exulem in solo passionis praedicamento occupari.

20. **Anonymi**, qui est Joh. Sextius carponensium slavorum pastor: Animadversiones theologico-politico-historico-criticae in Narrationem captivitatis M. Georg. Lanyi, de quibus in antecedentibus nro 7. dictum quod satis est.

21. **Georgii Schreiberi**: Descriptio civitatis modrensis, in qua praeter multa alia studiosissime fata ejusdem ecclesiae describuntur.

22. **Danielis Haynóczy,** rectoris condam soproniensis: Epistola gratulatoria, dum Joh. Tóth-Sipkovics ritu evangelico superintendens renunciaretur. Prodiit Halis an. 1742. in IV.. De superintendente hoc plura legi possunt in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum *).

23. **Michaelis Rotaridae:** Historiae Hungariae litterariae antiqui, medii atque recentioris aevi lineamenta, Altonaviae et Servestae an. 1745. edita, in quibus non raro talia adjicit, quae ad historiam Hungariae evangelico-ecclesiasticam videntur pertinere. Praeclare de patria sua meruisset, nisi inexspectata mors optimas ejus destinationes intervertisset, inprimis si, quod magno hiatu promiserat, implevisset, a cruda et insolente optimorum virorum criminatione se abstinuisset et documenta ad rem litterariam hungaricam pertinentia meliore conscientia comparavisset. Multa enim, quae in hanc rem congessit, cum aequitate christiana conciliari non possunt, quod nostro gömöriensium et multorum aliorum exemplo facili negotio confirmarem, nisi prudens metuerem, futuros aliquos, qui me mortuo et in domino jam quiescenti insultare velle opinarentur. Hoc certum est, praevidisse multos, neque eum, neque aetatem ejus elaborando operi, quod moliebatur, suffecturam. Complurium virorum labore opus erat, si opus, quod Rotarides litterato orbi promittebat, pro dignitate elaborari debuisset. Hoc me solatur non parum, quod documenta, quali quali fide cumulata, elaborantibus popularibus nostris ex urbe dresdensi, ubi detinebantur, magno studio recuperata et bibliothecae hungaricae, quae Vitembergae est, bona fide adserta sint **).

24. **Paulus Holvaith,** quem celeb. Joh. Jacobus Rambachius eruditum studiosum hungarum adpellat, postquam IV. illos psalmos Mariae reginae Hungariae per Lutherum dedicatos edidisset et coetibus evangelicis, qui in VI. lib. regiisque civitatibus superioris Hungariae reperiuntur, inscripsisset, praemisit brevem tractatum, cujus titulus: Historischer Vorbericht von Maria der Königin in Ungarn, in quo de vita, fatis et singulari ejus in evangelicos propen-

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hungaria hist. 1. köt. 186. s k. l..

**) Ribaynál még: et quae baro Paulus Jeszenák describi curavit opera usus magistri Michaelis Gotthard, nunc ministri germanici apud wagendrüszelienses in comitatu scepusiensi.

sione commentatur, de quo et in posterum erit dicendi locus. In eo, mea sententia, erravit non parum, quod scribat an. 1521. nihil prorsus de reformatione Lutheri auditum fuisse in Hungaria: cum tamen eodem anno Georg. Szakmáry, archiepiscopus strigoniensis, Lutherum ejusque asseclas e praecipuis Hungariae cathedris damnari jusserit, de quo in sequentibus plura dicturus sum. Adhaec ipse anonymus cum Lampio confitetur, jam an. 1518. datam fuisse hungaris opportunitatem, religionis lutheranae veritatem cognoscendi ex libello, qui ex Germania adlatus fuit, de horrendo idololatriae crimine. Erravit bonus vir et in eo, quod Martinum Cyriaci an. 1522. Leutschoviam rediisse et praedicatione evangelii ferale illud Ludovici II. an. 1523. edictum procurasse opinetur, cum ille eodem anno Vitembergam pervenit et dum rector academiae fuisset Philippus Melanchthon, nomen suum albo academico inscripserit, uti Petrus Laskovius Monedulatus certissimus testis est.

25. De **Davide Czwittingero,** qui in Specimine Hungariae litteratae de viris in patria eruditione praestantibus magis, quam rebus ad rem ecclesiae pertinentibus sollicitus erat, nihil adtinet dicere, cum eruditis Hungariae civibus certum sit, eum opera Molleri usum non paucos neglexisse viros eruditione praestantes et rei ecclesiastico-evangelicae exiguam habuisse rationem. Potuisset quidem in otio schemniczensi, in quo delituit, spem, quam litterato orbi fecerat, ex aequo adimplere, nisi fodinis potius, quam studiis animum adjecisset, quamvis cognoverint omnes, eum absque Daniele Gvil. Mollero, cujus in edendo Specimine vitulo araverat, nihil in patria suscipere velle amplius.

His hac vice enumeratis viris multo plures adjici possent; sed cum multorum in ipso opere injicienda sit mentio et non pauci polemicis magis, quam ecclesiasticis rebus intenti, pauca admodum huc pertinentia adnotarint, hos venturae posteritatis gratia percensuisse sufficiat. Erit forte tempus, quod speramus, ut grata meritorum posteritas his plures adjiciat et de fatis evangelicorum in Hungaria liberius, quam nos audemus, et prolixius, quam nos possumus, commentetur.

III. DE MANUSCRIPTIS EVANGELICORUM.

Non desunt alii quoque scriptores, qui in hoc utilissimo studiorum genere diligentissime elaborarunt; quorum tamen prae-

clara opera vel adfecta tantum sunt, vel in manuscriptis delitescunt et propitia magis rebus evangelicis tempora praestolantur. Mihi, quod sciam, innotuerunt sequentes:

1. **Thomae Fabri,** rectoris bartphensis, Historia Thuriana, quam Sculteti in Hypomnemate suo carptim edidit; integra tamen, uti eam Fabri conscripserat, lucem publicam videre non potuit. Vid. Scultetus in Hypomnemate fol. 22. et 28..

2. **Johannis Burii,** pastoris carponensis, historia ecclesiastica, duplici titulo, quod scio, insignita, quorum primus erat: Evangelii apostolici per regnum apostolicum vestigia, sive Adparatus ad historiam ecclesiasticam Hungariae industrio labore collectus; alter: Micae historico-chronologicae, evangelico-pannonicae collectae et breviter adumbratae. Utriusque partis et operis haec erant capita:

a) Pannonia radiis apostolicae doctrinae collustrata.

b) Pannonia solenni conversione apostolica donata.

c) Pannonia erroribus papatus obscurata et a confessoribus veritatis, uti fieri potuit, vindicata.

d) Pannonia apostolica b. Lutheri doctrina reformata.

e) Pannonia praecedaneis quibusdam, sed jam panoleticis cribrationibus et persecutionibus deformata et adflicta.

f) Pannonia mira et ineffabili dei providentia ac gratia, supra omnem captum humanum et consilia, soli Deo nota, restaurata. — Ex his de labore et industria optimi viri arbitreris, nisi optimi patris collectionem filius ejus M. Joh. Burius, neosoliensium pastor, inter avara scrinia sua detinuisset. Dolendum profecto, si dolere satis est, Adparatum illum magno studio congestum, mala filii administratione ad incitas fere redactum esse. Superest, quod scio, major ejus pars inter Collectanea cl. condam Rotaridae d. 10. Nov. an. 1755. Dresda per cives hungaros magno studio recuperata *), quae omnia in bibliotheca hungarica Vitembergae diligentissime conservantur **). De utroque

*) E pont Doleschalnál igy van: Superest major ejus pars in manuscriptis a b. Rotaride die 10. Nov. 1755. opera cl. Johannis Cherny, dum haec scribuntur, sajó-gömöriensis rectoris, magno studio Dresdae recuperatis, st..

**) Mig a jelen második kötetünk világot lát, Burius Micae-it Lichner Pál pozsonyi tanár kezeiből valószinűleg vette már a t. közönség.

Burio videri potest Czwittingerus in Specimine Hungariae litt. p. 94. et Mich. Rotarides in Lineamentis p. 188. sq..

3. **Danielis Krmanni**, pastoris mijaviensis et vicinorum comitatuum superintendentis Historia ecclesiastica. Hanc. cl. condam Rotarides opus ecclesiastico-scholasticum in Lineamentis suis pag. 189. non minus vastum, quam adcuratum adpellat, et pag. 198. prolixe deplorat; sed non est ita. Nam etsi adcurate elaboratum fuisse inficias ire nolim et eum multa documenta ad illustrandam rem evangelicam in Hungaria pertinentia possedisse experiendo didicerim: tamen vastum non fuit, cum nonnisi ab an. 1525. ad an. 1602. decurrerit, quod manuscriptum, juxta cum aliis documentis, magno satis pretio redemtum in bibliotheca b. Ambrosii superintendentis me semel atque iterum vidisse adhuc recordor. Uti igitur bonus Rotarides manuscriptum Krmanni ultra modum collaudat: ita Ambrosium pag. 198. Lineamentorum, qua ingratum detentorem *) exagitat. Ego magno illo viro, quod omnes sciunt, familiarissime usus sum: nunquam tamen legendi Krmanni Historiam potestatem nancisci potui. Vastum ergo Krmanni opus non fuisse, iterum pronuncio. Magno et diuturno labore opus erat, si susceptus Krmanni labor in vastum opus increscere debuisset, quod hic indicasse nullius est famae dispendium.

4. **Danielis Turcus** Diarium rerum ecclesiasticarum, de quo celeb. Schwartzius in praefatione Orationibus Dudithianis praemissa §. 4. pag. 24. consuli potest.

5. **Conradi Sperfogel**, senatoris leutschoviensis, itidem Diarium, cujus cum laude meminit laudatus Schwartzius l. c. pag. 26. §. 6..

6. **Briccii Kokavini** Diarium, jam aliorum quoque opera adauctum, quod ven. Martinus Lautsek, rerum ecclesiasticarum perstudiosus, et ipse ego possideo **). Scriptum breve, sed elegans et ad pernoscendas res ecclesiasticas ut quam plurimum utile et necessarium.

7. **Gregorii Musay** superintendentis, uti vocat, Regestum

*) Doleschalnál... detentorem, melioris conscientiae oblitus, pessima fide exagitat.

**) E pont Doleschalnál igy van: Diarium rerum in ecclesia evangelica gestarum ab an. 1562. ad an. 1705., quod possidet ven. Paulus Major, pastor csetnekiensis et ven. contubernii aug. evangelici gömöriensis, dum haec scribuntur, consenior, rerum talium studiosissimus, et, quod experientia didici, multo peritissimus.

ecclesiarum, quas lutherani suo tempore aut amiserant, aut possidebant adhuc trans Danubium, de quo consuli potest cl. Hajnóczyus in Epistola gratulatoria renunciato superintendenti Joh. Tóth-Sipkovics oblata, Halis, ut jam dictum est, an. 1742. in IV. impressa.

8. **Johannis Sartorii**, pastoris evang. eperjensis, Acta ecclesiastica V. liberarum civitatum: cassoviensis, leutschoviensis, bartphensis, eperjensis et cibiniensis, a primis reformationis temporibus Lutheri ad annum exilii 1673., de quo manuscripto videatur Fabriczius in Centifolio lutherano p. II. num. 177.. Huc jure referri debet ejusdem Joh. Sartorii Oratio panegyrica tempore fundationis illustris athenaei eperjensis publice recitata an. 1669. d. 6. mensis Apr. feria post dominicam Laetare secunda. Post ejus titulum, ut sciat posteritas, hoc est initium: Ecce! lapis fundamentalis illustris athenaei eperjensis ceu communis litterarum emporii, per nobilissimos dominos scholarchas politicos, aedificii construendi constitutos inspectores, nomine totius evangelici status inc. Hungariae regni hac ipsa hora jacietur. O praeclarum opus! O sancta totoque amplius seculo desiderata molimina! O spectatores felices! etc. In tota hac oratione, quam possideo, disputat de eo: quo ordine in populo dei, quo inter gentes, quo denique inter christianam plebem jacta fuerint scholarum fundamenta.

9. **Jacobi Zabeleri** superintendentis Synodologia, cujus celeb. condam Rezikius in Gymnasiologia sua meminit et peculiare ejus testimonium ad manus meas est. Dolendum est, quod filius ejus, Jacobus Zabelerus, utilissimum hoc manuscriptum apud exteros in obscuro quodam angulo tineis consumendum reliquerit.

10. **Johannis Simonidae**, pastoris neosoliensis et dum ad triremes raperetur, rectoris briznensis, Galeria Sanctorum, *) in qua sua et reliquorum captivorum fata et molestissimas vicissitudines ex vero describit; ejusdemque Uberior captivitatis et liberationis suae descriptio. **)

*) Doleschalnál: quae apud ven. Paulum Major in manuscripto reperitur.

**) Ugyanannál: quam ejus manu conscriptam possidet ven. superintendens Elias Fischerus, pastor kesmarkiensis, bibliothecae nepotum suorum, ex Johanne Simonide jun., ministro schemniciensi, genitorum ex asse heres.

11. **Stephani Ketzer**: Brevis et vera iuformatio de ultima persecutione pastorum evangelicorum in Hungaria. *)

12. **Samuelis Pomarii**: Historia tragicae ademtionis collegii eperjensis, quam deplorat, nec sine ratione, ven. Bahil in Tristissima facie ecclesiae Hungariae p. 20. §. 8..

13. **Martini Krausii**: Historische Nachricht von dem Zustande der evangelischen Religion in den königl. XIII. Städten, von der Reformation an bis auf gegenwärtige Zeiten sorgfältig gesammlet.

14. Ejusdem **Krausii**, belensis condam in Scepusio ministri: Vestigia religionis christianae in Pannonia, ab adscensione Christi usque ad Carolum M. collecta.

15. **Friderici Karpii**, conrectoris condam neosoliensis: Historia persecutionis Leopoldinae ex schedis Masnitii, Simonidae aliorumque collecta.

16. Ejusdem Historia calvinianismi in Hungariam inducti. Utrumque manuscriptum, quod scio, haeret apud Joh. Frid. Karpe, ejus filium, dum haec scribuntur, apud cremnicienses scholae evangelicae rectorem.

17. **Danielis Parschitii**: Opus historicum et Commentarius de clarissimis nobilium familiis Hungariae antiquae et novae.

18. **Samuelis Antonii**: Opus catecheticum et versio slavonica utilissimi libri Valentini Ernesti Loescheri, cui titulus: Edle Andachts-Früchte.

19. **Samuelis Michaelidae** vastum opus Concordantiarum Lankischianarum potiore ex parte in slavonicum translatum.

20. **Georgii Ambrosii**: Catechesis major **) et procul dubio multo plura hinc inde captivorum ad instar in scriniis delitescentia.

21. **Pauli Malus** alias **Jablonowszky** manuscriptum de Tri-

---

*) Ugyanannál: cujus autographon possidet ven. Paulus Major, pastor csetnekiensis.

**) Különbözik-e e nagy-káté attól, melyet maga Schmal Ambrózy életrajzában 1738-ban megjelentnek állit (Monumenta evang. aug. conf. in Hungaria hist. 1. köt. 175. l.)? eldönteni nem tudom.

plici colloquio cum Paulo Johanne Dubovszky praeposito tyrnaviensi.

22. Huc pertinent collectiones documentorum ad illustrandam historiam evangelico-ecclesiasticam pertinentium, cl. Johannis Tomka-Szászky, ven. Sigismundi Kelleri, illius rectoris, hujus ministri inc. ecclesiae posoniensis, ven. condam Pauli Major pastoris csetnekiensis, in domino quiescentium et multorum, qui adhuc rebus humanis intersunt, quos ne in modestiam eorum peccasse videar, prudens subticeo.

His omnibus, si placuerit, adjici potest: Commentatio mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria *) magno studio ad haec usque tempora concinnata; item: Syllabus litteratorum thurocziensium, ordine alphabetico dispositus et in duas partes divisus.

CLASSIS II.

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIAE ECCLESIASTICAE REFORMATIS, et iis quidem

I. GENERALIBUS.

Qui professa opera ex reformatis hungaris coetus sui historiam ecclesiasticam typis crediderint, rerumque lutheranarum in his meminerint, praeter **Franciscum Paris Pápayum** *a)* et **Paulum Emberum** debreczinensem *b)* pauci admodum reperiuntur.

a) Franciscus Paris Pápay fuit déesiensis transylvanus, uti ipse in Rudere redivivo confitetur, non papensis hungarus, uti Czwittinger nomine ejus deceptus in Specimine Hung. litt. p. 295. existimabat. Ad institutum nostrum pertinet Rudus ejus redivivum, sive breves rerum ecclesiasticarum hungaricarum juxta et transylvanicarum inde a prima reformatione commentarii. Libellus quidem exiguus, sed elegans. Prodiit primum Cibinii an. 1684. in 12., dein recusus fuit an. 1722. in 8.. Perdite in hunc injurius est Carolus Péterfyus, S. J., qui in praefatione Sacris suis conciliis praemissa Rudus redivivum desperata prorsus malitia adpellat naenias, olus recoctum

*) Adva van jelen vállalatunk első kötetében.

turbarum in Transylvania, dum ariani, zwingliani, calvinistae, anabaptistae, lutherani capronas suas vellicarent invicem et cum gemitu depilarent. Indigna profecto, quod sciunt eruditi, socio jesu criminatio,

b) Paulus Emberus, a Debreczino, patria sua, Debreczeni adpellatus, variarum ecclesiarum, ut ipse confitetur, antistes. Nam et Sáros Patakini, et Losonczini et Szathmarini, et Debreczini, imo et Liszkae officio pastoris functus est, uti in Historia ejus ecclesiastica p. 570. sq. 617., 629., 597. legi potest. Hic uti frequenti locorum commutatione multa ad rem ecclesiasticam pertinentia conquisivit: ita publico bono consulturus Historiam ecclesiae reformatae in Hungaria et Transylvania conscripsit, studio et opera Friderici Adolphi Lampii Trajecti ad Rhenum an. 1728. in IV. editam. Paulus Emberus cum editore suo Lampio non inutilem ecclesiae operam praestituri erant, si a detestando partium studio se abstinuissent. Hoc tamen factum non fuisse vel hinc arbitreris, quod omnem fere sacrorum emendationem suis doctoribus audacter transscribant, etsi ipse Paris Pápay et Hanerus eam magni Lutheri discipulis potissimum deberi multis numero argumentis adseruerint, quam veritatem et ipse in capite de primis reformatoribus in confusionem Lampii vindicaturus sum. Adhaec labores nostrorum multo utilissimos aut malitiose suppresserunt, aut dum iis carere non potuissent, sub alio nomine *) mentionem eorum injecerunt. Hoc Hypomnemati Scultetiano evenisse certum est. Nam etsi ex eo Emberus non parum profecerit: tamen Lampius §. 4. id ipsum sub curiosarum et elaboratissimarum observationum et libri cujusdam nomine, suppresso autore, et genuino libri titulo allegavit. Quid Lampius in opere Emberiano praestiterit, ipse in praefatione confitetur, multorum sententia longe melius facturus, si **) manuscriptum Emberianum, uti acceperat, edidisset. ***) Nam uti ven. contubernii gömöriensis consenior, Mart. Regis edita, dum apud vitembergenses versaretur, dissertatione adfirmare veritus non fuit, et quidem in titulo: Ember non Ember: ita bona fide adfirmari potest, Lampium rerum ecclesiasticarum hungaricarum juxta cum ignarissimis fuisse ignarum.

---

*) Doleschalnál: titulo.

**) Ugyanannál: ipse rerum hungaricarum ignarus.

***) Ugyanannál itt még e pont van: Emberum enim, variis intra patriam fatis exercitatum, non vulgaria documenta collegisse, pronum est existimare.

II. DE SCRIPTORIBUS REFORMATORUM SPECIALIBUS.

Qui initia reformationis in Hungaria, reformatores ipsos eorumque fautores, aut primas omnium synodos ecclesiasticas et quae huc, eorum judicio, pertinere videbantur strictim, ubi se dabat occasio, adnotarint, hi fere sunt ex hungaris, uti dici volunt, reformatis:

1. **Georgius Fabritius Szikszovianus** in Oratione funebri de vita et morte Joh. Viti Balsaratii edita Vitemb. an. 1576. in IV..

2. **Georgius Gönczius**, pastor ecclesiae debreczinensis, in praefatione Novi Testamenti hungarici Thomae Félegyházii an. 1586. in IV. editi.

3. **Matthaeus Sçariczeus** in praefatione de vita et obitu Stephani Szegedini ejusdem Locis communibus theologiae sincerae praemissa, Basileae an. 1583. in folio.

4. **Johannes Iratosi** in praefatione libelli Perkinsiani, quem ex latino in hungaricum idioma convertit. Prodiit Leutschoviae typis Laurentii Brewer primum an. 1637. ac iterum an. 1641. in 12..

5. **Johannes Pósaházy**, professor patakiensis, in libro, cui titulus: Scipio veritatis, Sáros Patakini an. 1669. in IV., cujus in primis pars 1. pag. 144. ad 169. est consulenda.

6. **Michael Némethy** szathmariensis in praefatione Postillis suis hungaricis in evangelia dominicalia praemissa. Prodiit liber Colosvarini an. 1675. in IV..

III. DE MANUSCRIPTIS REFORMATORUM.

§. 1.

Quid momenti allatura erant ad historiam ecclesiasticam evangelicam manuscripta reformatorum, quorum copiosum satis numerum, uti ipse confitetur, possedit et in rem suam convertit Emberus, equidem divinare nescio, et propterea ab operosa eorum recensione prudens me abstineo: scio tamen punctum quodcunque laturum fuisse, si ad manus esset

1. **Basilii Fabritii Szikszoviani** scriptum, comprehendens Universam historiam disputationis cum Luca Agriensi, in synodo Cassoviae an. 1568. die 27. Jan. institutae, cujus scripti meminit Georgius Caesar cassoviensis in Oratione de vita et obitu Basilii Fabritii Szikszoviani, edita Vitemb. an. 1577. in IV..

2. **Petri Bodfalvay**, viri generosi, Nucleus chronologicus historiae manuscriptus, de quo Emberus in Historia pag. 122. ad an. 1564..

§. 2.

Inter manuscripta reformatorum, quae res ecclesiasticas Hungariae complectuntur, merito censeri debet opus **Francisci Fóris Otrokoosy**, quod calvinianis sacris adhuc addictus non moliebatur tantum, sed consumma verat etiam, ut ipse Otrokocsyus confitetur. Hoc dolent, nec sine ratione, hungari, quod operi huic nondum ea contigerit felicitas, ut obscuros, quibus Tyrnaviae detinetur, cancellos perfringere et se luci publicae adserere potuerit.

De Franc. Fóris Otrokocsyo ejusque vita et fatis non tantum David Czwittinger in Specimine Hung. litt. p. 147., sed inprimis Lampius in Historia sua ecclesiae reformatae p. 515. ad an. 1694. scripsit quod satis est. Eum Historiam ecclesiasticam Hungariae magno studio conscripsisse, ipse diffiteri non potuit. In praefatione enim altera ad lectorem Originibus suis praemissa, pag. 7. disertissime scribit, se Historiam ecclesiasticam Hungariae non tantum Oxonii absolvisse, sed etiam Franequerae, ubi haec die 14. Martii an. 1693. adnotavit, manuscriptum suum possedisse. Audi Otrokocsyum, qui haec l. c. haud invitus recognoscit in hunc modum: „Integer mihi liber (scil. Originum hungaricarum) in duas partes divisus de his scribendus erat, secus, quam antea disposueram, ita ut mole sua Historiam nostram ecclesiasticam, uti eam Oxonii bono cum deo absolutam in scriptis penes me habeo, bene superaret.“ Anno statim sequente 1694. in patriam rediit et, teste Embero, sacra calviniana deseruit suumque manuscriptum Historiae ecclesiasticae Hungariae Tyrnaviam importavit. Sciebat hoc doctissimus Sam. Timon, S. J., hinc in Imagine veteris Hungariae pag. 269. et 399. atque in Imagine novae Hungariae p. 24., 25., 35., 54., 58., 61., 67. docet

eum historiam ecclesiasticam conscripsisse, quae tamen nondum lucem viderit publicam. Rectissime igitur Carolus Belius in dissertatione de Maria regina, non rege p. 34. Péterfyum castigavit, quod Otrokocsyi de historia ecclesiastica manuscriptum codicem ex archivo strigoniensi variis documentis exornatum, Tyrnaviae asservatum, expilaverit, descripserit, atque adeo criminis plagii reus factus sit. Haec uti ex vero scripta sunt, ita Péterfyus apud omnem vapulabit posteritatem.

CLASSIS III.

DE SCRIPTORIBUS PONTIFICIIS.

§. 1.

Equidem usu venire solet scriptoribus pontificiis hungaris, ut quoties vel levissimam mentionem rerum lutheranorum facere habent necesse, toties effervescant et velut febre correpti, immane quantum calumnientur, saepius res eorum pervertant aut fabellis contaminent: juvat tamen et horum scripta pervolvere et quae de rebus evangelicorum commentariis suis intulerint, pernoscere.

Quam exacte scriptores pontificii artem calumniandi didicerint, docuit nos exemplo suo Carolus Péterfyus, S. J. in Sacris conciliis ecclesiae rom.-catholicae Posonii an. 1741. in fol. editis, et eodem multo pejor Martinus Biró, episcopus veszprimiensis in Enchiridio suo acatholicis in Hungaria commorantibus opposito, quod prodiit Jaurini an. 1750. in IV.. In hoc, uti visuri sumus in posterum, praeter mille calumnias, perpetua mendacia et barbaram scribendi rationem, nihil est. *)

§. 2.

Qui largiore manu ex rom.-catholicis scriptoribus res lutheranas in commentariis suis attigerunt, mea sententia percenseri merentur sequentes:

1. **Samuel Timon**, societatis Jesu sodalis, rerum hungaricarum multo peritissimus et quod ad laudem ejus satis est, modestissimus, in Epitome chronologica rerum hungaricarum a na-

*) Doleschalnál még: Alios in arte calumniandi exercitatissimos hac vice non attingo.

tivitate divi Stephani ad an. 1736. producta. Prodiit Cassoviae in fol. an. 1736..

2. **Franciscus Kazy**, S. J., in Historia regni Hungariae, quae est continuatio Istvánfyi ab anno seculi XVII. primo, ad annum ejusdem seculi 81.. Excusus est liber Tyrnaviae an. 1737. in folio.

3. **Anonymus** in Fragmentis hungaricae historiae ab an. 1663. ad an. 1677., quae duobus tomis comprehensa prodiere Cassoviae an. 1739. et iterum an. 1741. in 12.. In posteriore tomo rerum ecclesiasticarum largior seges est, nec inutilis futurus erat labor, si autor Fragmentorum a calumniis et anilibus fabulis se abstinuisset, de quibus cum saepe numero erit dicendi locus, hic ea cum taedio lectoris percensere necessum non existimavi. Unicum hoc ad conciliandam lectoris fidem adjicio. Cum quidam bonus vir aliena reipublicae tempora accusaturus, in multis romano-catholicis templis passeres nidulari et hirundines stridere scripsisset: autor Fragmentorum eum refutaturus ad an. 1672. pag. 285. scribit: nos autumare, sive homines execrentur deum, sive ad implorandam ejus opem vertantur, perinde foedum eos consciscere facinus, adeoque nihil interesse, in templis, an in sylvis strideant passeres. Rideant omnes non scribentem, sed calumniose stridentem Fragmentorum compilatorem, cum nos evangelici, quod omnes norunt, templa deo dedicata religiose habeamus, quotidie bis adeamus, qui deum execrantur, eos ex praescripto legis severissime puniamus et in adversitatibus ad solum deum implorandae liberationis gratia cum omni pietate et fiducia confugiamus. Toti praeterea Hungariae notum et exploratum est, multa in possessione romano-catholicorum reperiri templa, quae statis tantum intra annum temporibus, et quidem rarissime frequentant et eo ipso non minus hirundinibus stridendi, quam passeribus nidulandi opportunitatem relinquunt.

4. Otia Báchmegyeyana colloquio VI.-to, quae prodierunt an. 1733. in 8. Tyrnaviae. Scriptum, quod bona fide adfirmo, barbarum, mendax et propter continuas calumnias iniquissimum. Uti Otia haec ab otioso potatore **Báchmegyeyo**, rerum ecclesiasticarum et legum patriae ignarissimo, elaborata fuisse non credo: ita impotentis animi oportuit fuisse autorem, qui ejus nomine ea pessima fide consarcinavit. Ipse enim Báchmegyey confitetur se nullum esse theologum, levioris armaturae militem et indoctum laicum p. 466.. Est autem scriptum illud

a) barbarum. Facilius Augiae stabulum a quisquiliis, quam

Otia Báchmegyeyana a barbara dicendi ratione expurgares. Quis illum purioris latinitatis corruptorem patietur, qui verbis: authorizare, critizare, actuare utitur, qui conterizationes, spinozitates, possibilitates, tanquam inadaequatam, ut loquitur, lactucam meliori latinitati obtrudit, qui Otiis suis eloratos, exoculatos et denasatos infert, dignus profecto, qui hoc florentiore seculo, si viveret, et cutim, et oculos, et nasum perdat, quod neque ven. clerus, meliori dicendi rationi jam adsvetus, diffitebitur.

b) mendax. Nemo eruditorum Hungariae reperietur facile, qui mendacia otiosis Otiis intrusa, absque taedioso prorsus labore percenseret. Haec quia omnem paginam implent et ea optima fide in hoc opere saepe saepius recognoscenda et confutanda occurrent, hic recensendis putidis illis mendaciis et quisquiliis immorari nolo. Tu lector benevole lege et ingemisce.

c) iniquissimum. Si calumnias in homines evangelicos innocentissimos profano ore conjectas quis legerit et meliore conscientia expenderit, autorem Otiorum ab orco revocatum fuisse vel invitus confitebitur. Perditus enim ille impostor nos evangelicos zizania, lupos p. 592., ex ecclesia profugos fundibularios p. 614., putida et summe foetentia, in perniciem patriae et ecclesiae nata membra p. 617., coeno se delectantes angvillas p. 623., vespas pag. 646., rebelles filios p. 648., inquietos sectarios p. 647., violentos novatores p. 641., Samsonis vulpes p. 644., malecontentos p. 648., perniciosas locustas p. 650., filios tenebrarum p. 666., rerum alienarum invasores et nullo verarum legum privilegio gaudentes, pacis civilis et ecclesiasticae turbatores, noxias capras p. 722., infami ore suo nominat, ne sexcenta alia scommata in nos effusa hac vice percenseam. Judicent jam ipsi eruditi romano-catholici, num ille, quicunque demum fuit, Otiorum autor, infelix veritatis amicus, impostor et juratus evangelicorum hostis dici possit, dignus quem et post fata sequutura execretur posteritas. In hunc impostorem si quid in posterum liberius, sed ex vero dixero, suae cum omni malitia conjunctae transscribat temeritati. Hae criminationes et barbara dicendi ratio ex unico tantum Colloquio VI.-to adscribitur. Si enim totus liber percenseretur, et me scribendi tempus, et lectorem patientia deficeret. Maledictis enim et Theonem, et Archilocum et Hypponactem vicit, cum pauca ad-

modum occurrant folia, quibus non Lycambei furoris vestigia reperiantur impressa. Ad tantas ergo calumnias, ex sententia Basilii M., tacendum non fuit, „non ut contradicendo nos ipsos ulciscamur, sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus, aut eos, qui seducti sunt, damno, quo adficiuntur, inhaerere sinamus.“ Vid. Basil. M. epist. 63. ad clericos ecclesiae caesariensis tom. III..

§. 3.

Qui parcius ex romano-catholicis res evangelicorum percensuerunt, hi, qui sequuntur, memorandi mihi sunt:

1. **Petrus Pazman** cardinalis, archiepiscopus strigoniensis, in vasto opere suo, quod Hodegum adpellavit. Editus est liber Posonii primum an. 1613., dein an. 1623. et postremo an. 1637. in folio. De autore et opere ejus dicentur plura in posterum.

2. **Anonymus** in Cassovia vetere et nova, quae prodiit Cassoviae an. 1732. in 12.. Consulenda hic est pag. 72. seq..

3. Palatium regni Hungariae palatinorum, editum Cassoviae an. 1739. in 8..

4. Purpura pannonica, cujus autorem Samuelem Timon, jam laudatum, esse existimo *). Prodiit Cassoviae an. 1745. in 8. et alio tempore **) in folio.

5. Historia com. Gabrielis Antonii Erdödy de Monyorókerék, episcopi agriensis, Cassoviae an. 1745. in 8. impressa. De hoc praesule, evangelicis ut quam maxime infesto, dabit se in sequentibus prolixius commentandi opportunitas. ***).

---

*) A Purpura pannoica-t némelyek Skoda György jezuitaénak állitják, de Schmal véleményét bizonyos tény gyanánt fogadja el Bél Károly András és Kaprinai István után tudósaink nagyobb része. L. egyebek közt: Horányi: Memoria hungarorum st. III. r. 406. s k. l.; Wallaszky: Conspectus reip. litt. st. 2. kiad. 344. l.; Közh. esm. tára XII. k. 59. l.; Ferenczy Jakab és Danielik József: Magyar irók. Pest, 1856. 584. l..

**) 1715-ben Nagyszombatban. Horányi i. h..

***) Doleschalnál még: Alios complures, qui calumniari magis, quam commentari didicerunt, prudens praetereo.

CLASSIS IV.

DE SCRIPTORIBUS EXTERIS, et quidem

I. TRANSYLVANIS.

Uti vicinissimi nobis sunt transylvani et religionis evangelicae tenacissimi: ita aequum est, ut principe loco ex iis percenseam viros, qui de fatis ecclesiae lutherano-evangelicae quidpiam perscripserunt ad posteritatem. In his claruerunt vel maxime:

1. M. **Georgius Hanerus** schaesburgo transylvanus, pastor, quantum scio, primum mediensis, dein superintendens apud suos dignissimus. Hic luci publicae exposuit Historiam ecclesiarum transylvanicarum, quae prodiit Lipsiae et Francofurti an. 1694. in 12.. Hunc laudavit cl. condam Mich. Rotarides in Lineamentis hist. Hung. litt. p. 49. et eruditissimus civis ejus Martinus Schmeitzelius in Dissertatione epistolica p. 8. hoc ex animo optavit, ut Historia Haneri novis accessionibus aucta recudatur. Profecto tanti eam aestimavit Schmeitzelius, ut magnam ejus partem Dissertationi suae epistolicae intulerit, quod lectori utrumque opus collaturo facile innotescet.

2. **Martinus Schmeitzelius** corona-transylvanus saxo. Hic praeter multa alia edidit Dissertationem epistolicam ad celeb. Ernestum Salam. Cyprianum de statu ecclesiae lutheranorum in Transylvania, quae prodiit Jenae an. 1722. in IV., dum ampliss. facultatis philosophicae jenensis adjuncti dignitatem tueretur. Scriptum est perutile et ad pernoscendas res ecclesiasticas hungarico-transylvanicas pernecessarium. Conf. potest Collegium ejus manuscriptum historiae hungaricae, inprimis liber VII. ecclesiasticus.

3. **StephanusKatona Geleianus,** superintendens in Transylvania calvinianus, qui edidit Praeconium evangelicum in fol., in cujus praefatione de rebus ad reformationem ecclesiarum hungaricarum pertinentibus commentatus est.

II. GERMANIS.

1. **Leonhardus Hutterus** in Concordia concorde Francofurti et Lipsiae an. 1690. in IV. edita, ubi a pag. 1381. ad 1416. res hungaricas complexus est.

2. **Fridericus Balduinus** in Phosphoro veri catholicismi, cardinali Petro Pázmano opposito, de quo in sequentibus erit amplior dicendi locus. Prodiit Vitemb. in IV., maxime pag. 292. seqq..

3. **Joh. Ludovicus Hartmannus** in Conciliis Norimbergae an. 1675. in IV. editis, inprimis tomo IV. p. 694. seqq..

4. **Valent. Ernestus Loescherus** in der ausführlichen Historia motuum zwischen den Evang. Lutherischen und Reformirten, quae impressa est tomis III. Francofurti et Lipsiae in IV.. Hic non pauca reperias, quae ad illustrandas res nostras videntur pertinere.

5. Unschuldige Nachrichten anni 1725., ubi pag. 1003. de ecclesiis aug. conf. in Hungaria agitur. Conf. Joh. Albertus Fabritius in Luce evangelii pag. 448..

6. **Georg. Henrici Goetzii** Dypticha exulum, Altenburgi an. 1714. in 8., de quo videri potest Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt die 44-ste Öffnung num. IV. pag. 556. et 558..

7. Kurtzer und wahrhaftiger Bericht von der letzten Verfolgung der evangelischen Prediger in Ungarn, in zierlichen Kupferstichen abgebildet, aus dem Hollandischen ins Teutsche übersetzt durch C A O B, gedrückt 1678. in 12. *).

8. Das verwirrte Königreich Ungarn in 8.. Hic historia Leopoldi M. prolixissime describitur, in qua occurrunt non pauca, quae rebus nostris ecclesiasticis lucem addere posse persvasus sum.

III. HELVETIS, BELGIS ET ANGLIS.

§. 1.

Quos ex his in historia evangelico-lutherana consuluisse juvabit, sunt, quod didici, sequentes:

1. **Rudolphus Hospinianus** in Concordia discorde passim, inprimis pag. 273., 275.. Prodiit an. 1607. in folio.

2. **Joh. Henricus Heideggerus** in Historia papatus inter reliqua vel maxime periodo VII. §. CCC. pag. 476. usque ad p. 523..

*) Ujra ki lőn adva e czimű gyüjteményben: Beiträge zur Geschichte des Protestantismus in Ungarn. 1. Heft. Leipzig, 1860..

3. **Genealogophilus** in den jetztlebenden vornehmsten Häuptern Deutschlandes, Tiguri, an. 1723. in 8., ubi pag. 311. seqq. de superintendentibus Hungariae lutheranis et calvinianis disserit. Videatur Joh. Albertus Fabriczius in Luce evangelii pag. 448..

4. **Georgius Hornius** in Historia ecclesiastica cum notis Leydeckeri et Hartnaccii edita Francof. ad Moenum an. 1704. in 8. a pag. 786. usque ad p. 812..

5. Doctor **Brey** in Historia der Verfolgung, so die Protestanten von den Papisten erlitten haben, tom. II. part. VII. Londini an. 1712. edita. Vid. Neu eröffneter Bücher-Saal der gelehrten Welt XIX. Öffnung num. VII. pag. 525..

§. 2..

Meditabatur ante annos 30. et amplius **Joh. Fridericus Gauhen** P. O. Ausführliche Kirchen- und Reformations-Historie des Königreichs Ungarn und Fürstenthums Siebenbürgen; sed quid utilissimas destinationes ejus interverterit, juxta cum ignarissimis scio, cum praeter seriem capitum nihil impressum viderim amplius.

Prodiit illa series capitum in unica plagula, quantum divinando adsequor, circa an. 1722. in 8. sine notatione loci et temporis. Multum praestiturus erat autor, si optimis conatibus ejus desideratus respondisset eventus. Praeterquam quod enim incunabula religionis christianae in Hungaria ejusque fata ante reformationem multis capitibus describere in animum induxerat: etiam historiam reformationis, statum ecclesiarum et quae huc pertinent, ex actis publicis, diplomatibus regum et aliis fide dignissimis documentis ad an. usque 1722. libris, ut adparet, IV. complexus erat. Infelicitas haec nostra est, nunquam satis deploranda, quod publicis illis documentis, quae se autor adlaturum pollicebatur, *) carere necessum habeamus.

§. 3.

Prodiit circa an. 1756. Commentatio de iniquitate ducum Austriae, oppressis Evangelicis, quam cui

*) Doleschalnál közbeszúrva: alieno hoc rei evangelicae tempore

adscribere debeam, juxta cum ignarissimis scio. Scriptum est acre, sed solidum, in quo non pauca reperias ad res evangelicas constabiliendas perquam necessaria.

In eo est autor Commentationis, ut documentis publicis litterato orbi commonstret, in eo laborare ut quam plurimum archiduces Austriae, ut primum funditus deleantur evangelici; dein status imperii causae romani pontificis addicti, qui soli austriacis resistere nequeunt, sub jugum mittantur; pag. 1. inprimis in eo occupatus est, ut jura et leges pacis westphalicae per austriacos violatas esse, documentis, quae in publico sunt, edoceat. Haec cum ad rem meam parum conferant, lubens praeteribo, ea tantum ex eo passim adnotaturus, quae ad res nostras evangelicas elucidandas pertinere arbitrabor.

CLASSIS V.

DE

FONTIBUS CONDENDAE HISTORIAE EVANGELICAE.

Postremo juvat alios fontes condendae historiae evangelico-lutheranae in Hungaria obvios idoneosque digito velut indice commonstrasse, ex quibus uberior, non raro et certior rerum lutheranarum cognitio hauriri queat. Huc optima fide refero:

1. Supplicationes hungarorum lutheranorum sive ad caesareo-regiam majestatem, sive ad status et proceres regni, sive ad dominos, ut vocantur, terrestres, sive ad comitatus et universitates in causa exercitii religionis suae porrectas.

2. Rescripta sive diplomata regia aut officialium in favorem lutheranorum sive adversus eos publicata.

3. Jus tripartitum regni Hungariae.

4. Extractus articulorum et diplomatum super negotio religionis in I. regno Hungariae conditorum, quales articuli prodierunt non tantum semel atque iterum latine, sed etiam postremo an. 1742. latine et germanice clement. reginae Mariae Theresiae porrecti.

5. Acta comitiorum hungaricorum, qualia fuerunt neosoliensia, soproniensia, posoniensia, reliqua.

6. Acta commissionum specialium in negotio religionis institutarum, qualia sunt acta commissionis pestiensis anni 1721. seqq..

7. Acta synodorum, quae causa religionis in Hungaria congregabantur. Tales erant: eperjensis, leutschoviensis, solnensis, szepesvárallyensis, bicsensis, rosenbergensis, cseriensis, reliquae.

8. Colloquia religiosa, qualia fuerunt csepregiense, kesmarkiense et leutschoviense, ne quid de bicsensi adjiciam.

9. Libros memoriales sive protocolla et matriculas superintendentum lutheranorum in Hungaria, quibus sive ordinati ab iis, sive visitationes ecclesiarum ab iis institutae continentur.

10. Leges, statuta et protocolla contuberniorum.

11. Libros ecclesiasticos cujuslibet particularis ecclesiae.

12. Disputationes in negotio religionis et articulorum fidei institutas.

13. Librorum et tractatuum dedicationes aut iis praemissas, ut fieri solet, praefationes.

14. Cantiones veteres historicas de statu ecclesiarum evangelico-lutheranarum in Hungaria.

15. Carmina, inscriptiones templorum, orationes solennes, sacros sermones in obitum virorum de ecclesia optime meritorum aut in consecrationibus templorum, altarium aut superintendentum habitos.

16. Litteras eruditorum virorum ad alios scriptas.

17. Traditiones genuinas a viris fide dignis profectas. Si his quispiam plures fontes condendae historiae commonstraverit, non tantum non refragabor, sed gratulabor vel maxime.

SECTIO I.

DE

PRIMORDIIS EMENDATAE RELIGIONIS EVANGELICAE IN HUNGARIA.

§. 1.

Posteaquam Martinus Lutherus, theologus post hominum memoriam maximus, Germaniaeque suae Nestor et Orpheus, oppositis an. 1517. Tetzelio, veniarum nundinatori, 95. thesibus instaurationem sacrorum feliciter auspicatus esset et theses ejus dierum plus minus 15. spatio per universam Germaniam disseminatae at-

que mense nondum elapso Roman adlatae fuissent: fieri non potuit, quin divina providentia viciniori quoque regno Hungariae innotuerint, unde demum reformationem sacrorum fuisse sequutam haud incogitate existimari potest.

De thesibus Lutheri opinione facilius dissem natis videri potest Matthaesius de vita Lutheri pag. 12. et ex eo Hoepfnerus in Saxonia evangelica p. 31.. Ipse profecto Lutherus ad Leonem X. romanum pontificem scribebat: Scripta sua latius vagari, quam unquam speraverit. Vid. Tom. 1. epist. 98., pag. 53.. In Lutherum perdite injurius est rudium Rudimentorum historiae ecclesiasticae autor, qui opusculo VI. Cassoviae an. 1759. impresso pag. 69. Lutherum et vitae et doctrinae multo perversissimae fuisse, universam ecclesiam Christi horrendum in modum deformasse et doctrinam evangelio prorsus contrariam introduxisse audacter calumniatur, homo aut perdite mendax, aut historiae ecclesiasticae juxta cum ignaris multo ignarissimus. Nam doctrina ejus a quisquiliis superstitionis et traditionum repurgata verbo divino conformis est, quod neque prudentiores romano-catholici doctores negare ausi sunt. Andreas Masius abbas wingartensis audientibus multis pontificiis et lutheranis testatus est, in una scriptorum Lutheri pagina plus esse solidae theologiae, quam interdum in toto libro alicujus patris. Quod ad vitam ejus adtinet, Erasmus, quem Leo X. pontifex dilectum filium adpellat, vir, quod orbis litteratus novit, acerrimi ingenii, et vitae et doctrinae Lutheri testimonium in epistola ad archiepiscopum moguntinum scripta hoc reddit: Ut quisque est vir optimus, ita Lutheri scriptis minime offenditur; et in epistola ad Thomam cardinalem eboracensem missa libr. II. epist. 1.: Hominis vita magno consensu probatur, jam id non leve praejudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur. Vid. Thesaurus consiliorum M. Georgii Dedekenni part. 1. p. 5.. Abi jam calumniator cum rudibus Rudimentis tuis et dilectum papae filium Erasmum condemna, te ipsum eo facto condemnaturus. Ipsi galli, alioquin, quod scimus, maximi evangelicorum osores, cursum reformationis elegantissime adumbrarunt. Tempore Francisci, Galliarum regis, comoediae unius autor per unicum hominem ligna ad theatrum adportari curavit; advenit alter, qui eadem intuitus perlustravit, sed confestim discessit; tertius, qui comparuerat, supposito igne flammam excitavit; quartus ignem jam ardentem exstincturus, duo vasa, unum oleo, aliud aqua plenum adportavit et

inscius illud, quod oleo repleverat, in ignem ardentem effudit, quo facto multo majores flammae excitatae sunt; advenit quintus, qui periculo huic finem impositurus districto gladio ignem impedire conabatur, sed penitus impedire non potuit. Haec omnia eo redeunt: qui reformationi praelusit et ligna ad theatrum adportavit, fuit Reuchlinus, lingvarum orientalium peritissimus; qui ea perlustravit, fuit Erasmus Roterodamus, qui justo timidior, etsi reformationem necessariam agnoverit, eam tamen adgredi detrectabat; tertius, qui ignem in flammas excitavit, fuit Lutherus; qui ignem excitatum oleo perfudit, fuit Leo X. pontifex, qui bullis et rescriptis suis longe majorem ignem excitavit; quintus, qui in ardentem ignem saeviebat, fuit Carolus V., qui etsi cursum reformationis impedire voluerit, tamen non potuit, uti haec enarrat M. Georgius Lanyi in Narratione captivitatis suae §. 33.. Ita fit, quod non raro experiendo fieri didicimus:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

§. 2.

Illucescente apud saxones veritate evangelica, tantus Vitembergam ex diversis regnis studiorum causa discentium confluebat numerus, ut, teste ipso Luthero, tam inusitatam juvenum frequentiam angustia civitatis capere non potuerit.

Ipse Lutherus an. 1520. ad Spalatinum scripsit: Adfluit quotidie studentium numerus, sed non capit omnes civitatis angustia multique coguntur retrocedere. Vide plura in hanc rem in dissertatione D. Gottlieb Wernsdorffii de progressu emendatae per Lutherum religionis pag. 68.

§. 3.

Ex Hungaria primus omnium studiorum causa Vitembergam ad Lutherum profectus fuit Martinus Cyriaci*) leutschoviensis an. 1522., dum rectoris fasces tenuisset Philippus Melanchthon albo academico inscriptus. Hunc anno 1524. sequebantur Dionysius Lincius pannonius, Balthasar Gleba bu-

*) Tudósaink s iróink eddigi állitását, hogy Cyriaci volt hontársaink közől az első, a ki a reformatio kezdetén Vitembergbe ment megismerkedni az uj tannal, megdöntötte szintoly szorgalmas, mint szerencsés történetbuvárunk, Révész Imre, kideritvén, hogy Magyarországból Baumheckel György, beszterczebányai fi, előzte meg 1522.-ben Cyriacit. Lásd: Magyar történelmi tár. Kiadja a magyar tudományos akademia történelmi bizottmánya. VI. köt. 280., 215. ll..

densis, Christianus Lanyius, Johannes Sigler, Michael Szalay, Matthias Dévay, alii *), uti Joh. Georgius Schreiber in Descriptione Modrae ex Petri Lascovii Monedulati epistola nuncupatoria tractatui theologico de Homine praefixa posteritatis gratia adnotavit.

Conferri potest in hanc rem Seckendorfius in Historia reformationis libr. 1. sect. 55. p. 241., Joh. Henricus Heideggerus in Dissertationibus selectis p. 310. et ex hungaris Stephanus Tolnay in Hodego idiomate hungarico consignato libr. III. cap. XII.. Inter viros enumeratos ut quam plurimum insignis fuit Martinus Cyriaci, a patria sua Leutschovia non raro Lőcsei dictus, quod perperam fieri celeb. Fridericus Boernerus apud vitembergenses medicinae doctor et P. P. arbitratur in epistola ad cl. Paulum Fábry neosoliensem, dum Antiquitates medicinae aegyptiacae sub ejus praesidio tueretur, data an. 1756. Jőcsei non Lőcsei eum adpellandum esse censet, ex quo fundamento, uti ipse non adjicit, ita ego nulla ratione adsequi possum. Eum leutschoviensem fuisse vel hinc confirmor, quod in albo Barthol. Bogneri, cum quo patriam suam reformavit, se leutschoviensem adpellet et domus Cyriakana diu Leutschoviae perdurabat et forsan adhuc mutatis hospitibus perdurat. Adhaec exploratum omnibus est, seculo XVI. et XVII. non paucos a patria fuisse denominatos, quem morem inprimis apud calvinianos adhuc retineri omnes scimus. Hinc a Debreczino Debreczeny, a Miskolczino Miskolczy, a Losonczino Losonczy, a Rima-Szombath Rima-Szombathy, a Somogy Somogyi, a Tolna Tolnay, et sic Martinus Cyriaci a Leutschovia more hungarico Lőcsei denominabatur. Hanc gloriam nostris leutschoviensibus uti nemo bonus invidet: ita nemo unus a possessione ejus eos cum ratione deturbabit. Leutschoviensis fuit et Leutschoviam cum Barthol. Bognero reformavit, de quo in posterum dicturus sum.

---

*) Az ezen években Vitembergben tanult magyarok és erdélyiek névsora ki van már egészitve e munkában: Memoriae ungarorum, qui in alma condam universitate vitebergensi a tribus proxime concludendis seculis studia in ludis patriis coepta confirmarunt, concinnatae studio et opera Joannis Ladislai Bartholomaeides, olim academiae hujus civis, nunc Kövinii V. D. Ministri. Pesthini, 1817. 8 s kk. ll., és Révész Imrénél az i. h. 215. s kk. ll..

§. 4.

His felicibus auspiciis in patriam redeuntibus, quanta facta fuerit ad reformationem accessio, pronum est cuilibet existimare, siquidem haustam a Luthero, Melanchthone, Justo Jona, Crucigero, aliisque evangelicam doctrinam et ipsi constanter retinebant, et aliis magna cum diligentia commendabant.

Decipit ergo lectores et creditam institutioni suae juventutem autor Rudimentorum historicorum cassoviensium, qui opusculo IV. an. 1755. ibidem edito pag. 86. scribit: Post mohácsianam cladem interitumque praesulum, orto Ferdinandum inter et Johannem Zápolyam pro corona regni bello, clam intrasse lutheranos. Rudem in his rebus ecclesiastico-hungaricis oportuit fuisse Rudimentorum horum conditorem, quod vel hinc condiscas, quia nisi ante hanc cladem in Hungaria fuissent. lutherani, frustra Georg. Szakmáry, archiepiscopus strigoniensis, Lutherum e primariis Hungariae cathedris bulla summi pontificis an. 1521. damnari jussisset; frustra Ludovicus II. rex feralem illam de comburendis lutheranis an. 1523., post biennium an. 1525. repetitam legem tulisset. Uti enim cum umbris pugnare insanum est: ita ante morbum quaerere remedia insolitum. De his uberius dicetur in posterum. Cavebit sibi a talibus propter innocentissimas illas animas, quas instituit, autor. Nam quales sunt, ex sententia veterum, praeceptores, quos habemus: tales sunt scientiae, quas discimus.

§. 5.

Diversae autem sunt eruditorum sententiae de initiis emendatae religionis in Hungaria, quas hic breviter percensere posteritatis inprimis gratia multum interest. Hinc melioris ordinis causa in prima hac sectione non tantum de reformatoribus, sed etiam de eorum fautoribus dicendum erit.

CAPUT I.

DE PRIMIS REFORMATORIBUS.

§. 1.

Sunt, qui initia reformationis in Hungaria ad hussitas referunt. Certe Paris-Pápay, diligentissimus vetustatis indagator, huic accedebat sententiae. Vid. Rudus redivivum pag. 120.. Et

autor Historiae diplomaticae ex instituto hanc defendit opinionem, ne quid percenseam de libello, qui inscribitur: Kurtze und zuverlässige Nachricht von dem Zustande der protestantischen Kirche in dem Königreich Ungarn. De Leone X. pontifice, qui in litteris ad Fridericum electorem Saxoniae an. 1520. datis lutheranos a hussitis derivat, videatur Schleidanus de statu religionis lib. II. p. m. 27. et Andreas Kuhnaeus de schismatis inter ecclesias occidentales origine, cap. XVIII..

Cum an. 1741. seqq. regnante ausgustiss. Maria Theresia in publicis relationibus per omnes exteriores provincias scriberetur, protestantes in Hungaria ex praescripto legum regni liberum religionis exercitium obtinuisse, et tamen divexationes evangelicorum augerentur in dies: quidam veritatis amator, suspectam relationum fidem publice confutaturus, dictum libellum an. 1746. edidit in eoque initia reformationis hussitis adscripsit. Sed etsi hussitae sequuturae reformationi praeluserint eamque multo faciliorem, quam futura erat, reddiderint: tamen inter primos reformatores, meo judicio, referri non possunt. Nisi enim Lutherus et genuini ejus ex Hungaria discipuli sacra reformassent, hussitae ultro, quam prius jam factum erat, in emendatione sacrorum vix fuissent progressi. Nam sub Sigismundo *) et Vladislao I. rege ita fuerunt adtriti, ut etsi an. 1508. articulos confessionis suae Ladislao bohemo regi Hungariae obtulerint: convalescere tamen in solidum non potuerint. Hoc nihilominus exploratum mihi est, eos ad facilitandum reformationis in Hungaria negotium multum contulisse. Postquam enim hussitae, duce Johanne Ziska, per Lusatiam et Silesiam an. 1414. in Hungariam delati, superiorem ejus partem, fatis ita volentibus, infestis armis occupassent: haud pauci in comitatibus posoniensi, trenchiniensi, barsiensi, arvensi, scepusiensi, gömöriensi, sárosiensi, abaujvariensi **) consederunt et uti erant tempora, sacris suis libere defuncti sunt. Hi reducibus in Hungariam discipulis Lutheri lubentissime accedebant, doctrinam evangelicam ab erroribus repurgatam sponte amplectebantur et a nostris melius edocti de veritate, ultro templa, quibus usi sunt, cedebant. Nam ipsi hussitae, missis ad Lutherum humanissimis litteris, idem esse Lutherum in Saxonia, quod Hussus fuit in Bohemia, fatebau-

*) Ribaynál: Matthia.

**) Ribay- és Doleschalnál még: nitriensi, hontensi, soliensi, thuroczіensi, liptoviensi, neogradiensi.

tur, et Georg. de Zedlitz, eques bohemus, hussiticae veritatis adsertor, non tantum clientes suos ad Lutherum misit, sed etiam idoneum animae curatorem expetiit. Vid. Wernsdorfius, praeceptor meus et post fata in cineribus venerandus, in dissertatione de progressu emendatae religionis p. 38.. Etsi ergo hussitae reformatores religionis evangelicae non fuerint, ad emendationem tamen sacrorum facilius peragendam non parum contulerunt. Hinc facile colligas, templa, quae in Hungaria, ante constabilitam publica regni lege religionem evangelicam, in his partibus possederunt evangelici, non a romano-catholicis, sed a hussitis in lutheranorum venisse potestatem. Postquam enim hussitae in Hungaria consedissent, magna animi contentione templa excitabant et ea a romano-catholicis calicibus sive pictis, sive ex coemento in muro eductis discriminabant. Hinc dux eorum Ziska, Johannes de Calice, et hussitae, calixtini alias adpellabantur. Imo et distichon in hussitas, hanc ob causam, retrusa illa aetate confectum fuit:

Tot pingit calices bohemorum turba per urbes,
Ut credas Bacchi numina sancta coli.

Vid. Hieron. Kromayeri Ecclesia in politia p. 455.. Exstabant in superiori Hungaria innumera sacrae hujus vetustatis indicia, nisi ea adversarii et iniquitas temporum contemeravisset. Ut multa alia, quae passim adhuc inveniuntur, praeteream, templum ratkoviense, in quo hac vice singulari dei munere sacris operor, in anteriori sui parte habet calicem satis eleganter lapidi incisum, certissimum vetustatis hussiticae indicium. Hinc fallit non minus, quam fallitur Bonaventura Hocquardus, monachus franciscanus szakolczensis, dum in Perspectivo suo part. I. artic. VI. p. 343. et part. II. p. 448. calumniatur, lutheranos templa et alia huc pertinentia a romano-catholicis suffuratos esse. Ante confirmatam enim in regno religionem non tantum hussitae sponte sua lutheranos in societatem et possessionem templorum admittebant: sed etiam non pauci proceres Hungariae, uti in posterum visuri sumus, agnita veritate evangelica, libere in ditionibus suis templa iis adsignabant et saepe saepius cum praesentissimo vitae et bonorum suorum periculo tutabantur. Tales fuisse majores dominorum comitum Battyányi, Nádasdy, Zrinyi, Homonnay, Szécsy, Balassii, Prényi, Illésházy, Thurzones et reliquos neque autor Otiorum Báchmegyeyanorum colloquio VI. p. 752. diffiteri potest. Hinc mala fide ven. clerus tempore Commissionis pesthiensis questus est, nos templa ante pacificationem viennensem violenter occupasse, cum in proprio nemo fuerit

violentus unquam. Post confirmatam legibus religionem, ea lutherani possederunt templa, quae consensu omnium ordinum in publicis comitiis, per legitimos recuperatores, quos commissarios adpellamus, iis fuerunt adsignata. Vid. M. Daniel Lanyi in Ignea veritatis columna, parte speciali pag. 376..

§. 2.

Alii milites Ferdinandi imperatoris inter reformatores referre non dubitabant. M. Georg. Christophorus Burger, pastor condam tyrnaviensis evangelicus, in dedicatione libelli Odarum germanicarum, quas edidit, hanc laudem militibus Ferdinandi imperatoris transscribit.

Latior haec est, meo judicio, reformatorum denominatio. Etsi enim milites Ferdinandi, de religione evangelica ejusque veritate informati, dum in Hungaria agerent, animos civium disponebant; nihil tamen in publico effecissent unquam, nisi aliorum opera et studium antecessisset. Illi enim, quod scimus, non ad reformandum, sed militandum vocati erant. Florimundus Raimundus de Origine haeresium part. IV. cap. 5. scribit: Mauritium saxonem circa an. 1541. aliquot millium turmas auxiliares Ferdinando regi in Hungariam et Transylvaniam duxisse, inter quos multos fuisse praedicantes lutheranos, qui ubique Lutheri dogmata strenue disseminaverint. Adhaec part. IV. cap. 2. de Lazaro Schwendio, copiarum Maximiliani in Hungaria et Transylvania duce, scribit: fuisse hunc lutheranum haereticum, qui variis locis catholicos persequutus, lutheranam haeresim ubique locorum mascule propagaverit. Vid. celeb. Mart. Schmeitzelii Dissertatio epistolica de statu ecclesiae lutheranorum in Transylvania pag. 40., 41.. Lazarus Schwendius ab Abrahamo Baksay in Chronologia ejus de rebus hungaricis, Bonfinii historiae adjectis, adpellatur vir consilio, prudentia, celeritate *) ac militari disciplina inclytus pag. 695.. Isti, mea sententia, non reformatoribus, sed reformationis promotoribus accensendi sunt, cum reformationem in Hungaria multo prius susceptam fuisse exploratum sit.

§. 3.

Huic opinioni adfinis est sententia Severini Sculteti, qui in

*) Ribaynál: clementia.

der Jubel-Predigt scholares, ostiatim cantu victum quaerentes, reformatoribus adnumeravit.

Cantiones a Luthero aliisque piis viris compositas, multum ad hanc rem momenti adtulisse, nullus diffiteor. Nam non tantum Augustinus in Libro confessionum canticis veritatem instillari adseruit; sed etiam ipsa docuit experientia, sub initium reformationis comites oldenburgenses, bentheimenses, diepholtanos *), essenses, holsteinenses, cives item jeveranos, hamburgenses **), erfordenses, aliosque beneficio hymnorum quodam evangelii amore captos et ad veritatem a Luthero propositam adductos esse, uti ex Hammelmanno probavit celeb. Wernsdorf in Dissertatione de progressu emendatae religionis p. 67.. Maria, regina Hungariae, Ludovici II. conjux et Caroli V. atque Ferdinandi I. imperatoris soror, hymnis bohemicis ut quam plurimum delectabatur. Hinc ei Lutherus non tantum quatuor psalmos, videlicet XXXVII., LXII., XCIX. et CIX. cum explicatione dedicavit; sed etiam, ut memoria ejus in ecclesiis nostris supersit, elegantem illum hymnum: Mag ich Unglück nicht wiederstahn etc., qui initialibus litteris nomen Mariae exprimit, uti ex Sculteto Seckendorfius in Commentario suo de lutheranismo libr. II. sect. IX. p. 56. sq. recognoscit, posteritatis gratia composuit. ***) Hujus elegantissimae cantionis compositionem non Luthero, sed ipsi Mariae reginae adtribuit Danhauerus rerum ecclesiasticarum peritissimus in dedicatione tomi IV. Lactis catechetici, uti et patrius scriptor rev. Tobias Masnitius in Vinea Dei electa p. 151. cum Backio existimabat, nec sine ratione. Ita enim in cantione illa conditio vitae et fata reginae exprimuntur, ut praeter eam nemo recognoscere potuerit melius. Nam sacris evangelicis lubentissime opitulari voluisset, sed quia per Hieron. Alexandrum archiepiscopum brundusinum apud Carolum V. accusata ausa non fuit, de quo Luthero nondum innotuerat quidpiam, omnem causam deo, arbitro vitae et statori verita-

*) Ribaynál: bipontanos.

**) Ribaynál zárjel közt: et rex Sveciae, Gustav. Wasa, audito cantu apud hamburgenses, sacris post cum regno accessit.

***) A mik következnek, megvannak ugyan Ribaynál is, de a szóban forgó ének szerzőjét illetőleg ellentétben állnak az előbbiekkel, épen azért Doleschalnál ez áll: Mariam reginam hymnum illum composuisse, uti rev. dnus Tobias Masnitius in Vinea dei electa pag. 151. cum Backio existimabat, non credo.

tis in dicta cantione commisit. Fuit enim rerum sacrarum multo peritissima, uti ex Joh. Henckelio, qui ei a sacris fuit, fatetur se didicisse. Lutheri biblia sacra manibus suis excuti passa non est, sed non minus domi, quam peregre constituta lectioni eorum incubuit. Vide in hanc rem Lutheri tomum V. jenensem. *)

§. 4.

Propius ad veritatem accedunt, qui libellis Lutheri a mercatoribus ex Saxonia adlatis initium reformationis admetiuntur: neque tamen rem in solidum conficiunt, cum et rariores fuerint, nec a pluribus facile obtineri, aut etiam intelligi potuerint.

Communis fere haec est eruditorum sententia, qui de repurgatis apud hungaros sacris quidpiam commentati sunt. Nam non tantum Severinus Sculteti, sed etiam Hanerus cum Schmeitzelio hanc amplectuntur sententiam, imo quod mireris, ipsi adversarii huic accedunt opinioni et Alphonsus de Castro, monachus franciscanus lib. II. cap. 15. de puniendis haereticis operum suorum pag. 1324. palam confitetur: Rara est in toto orbe christiano provincia, in qua non sint aliqui lutherani, aut publici, aut occulti, quod non aliunde evenisse certissime constat, nisi quod libri Lutheri ab ejusdem classe hominum per omnes fere provincias impune deportati sunt. Sed aliud est libros Lutheri ad emendationem sacrorum in Hungaria haud leve momentum adtulisse: aliud, initium reformationis ab iis derivari oportere. Fateor ego lubentissime scriptis Lutheri non tantum apud saxones, sed apud exteros quoque doctrinam illam puriorem disseminatam fuisse, uti l. cit. cum ratione judicabat Wernsdorf; sed et hoc mihi exploratum est, Lutherum primo reformationis triennio docendo, praelegendo et disputando magis, quam scribendo operam impendisse, cum tamen post triennium innotuisse jam hungaris dogmata Lutheri haud obscure probari potest. Etsi ergo scripserit, uti scripsit omnino quaedam, antequam in Hunga-

*) Ezek helyett, a föntebbi pontot folytatólag, Doleschalnál imezek olvashatók: Adhaec etsi ii, qui pios Lutheri hymnos decantabant, non parum moverint hominum animos ad indagandam veritatem evangelicam, et ad eam suscipiendam haud vulgariter disposuerint, patet hoc inde, quod ipsi adversarii moleste tulerint, hymnos in lingva vernacula a plebe decantari, sicut intelligi potest ex querula capitularium cibiniensium epistola, ad Ludovicum II. regem Hungariae data an. 1525., quae tota legitur in Lampe Historia: tamen num jure laudem reformatorum primorum mereantur, non sine ratione ambigo.

ria purior religio coepisset disseminari: ea tamen vel in Hungariam difficiliter pervenerunt, vel, postquam pervenissent, paucis admodum fuerint cognita et, quod ego sentio, non tam per mercatores, quam reduces ex Saxonia studiosos opera mercatorum illata. Talia scripta Lutheri erant; de libertate christiana, de confessione, de poenitentia, de duplici justitia, de baptismo, de passione Christi, de votis monasticis, de communione sub utraque specie, de captivitate babylonica, aliis, uti adnotavit Hanerus in Historia ecclesiarum transylvanicarum p. m. 147.. Hinc etiamsi libris Lutheri tantum tribuam, ut aequum magis aestimatorem librorum ejus vix reperias: iis tamen initia reformationis in Hungaria adscribere nolim, cum circa an. 1523. plures fuerint in patria nostra lutherani, quam omnes exstabant libri, quos tota vita sua conscripsit Lutherus, quamvis multi nec viderint, nec legerint scripta Lutheri.

§. 5.

Venerandus condam Paulus Major, vir omnium confessione multo doctissimus, ecclesiae, quae Berzethini est, minister, et eo tempore ven. contubernii gömöriensis orator, peculiari oratione longe doctissima, in publico rev. fratrum conventu an. 1748. habita, primum et universalem in Hungaria reformatorem, Leonem X., summum romanum pontificem fuisse adseruit, cum idem rescripto, quod bullam vocamus, an. 1520. publicato, Lutherum et doctrinam ejus toti christiano orbi notam reddiderit.

Si universalem Lutheri et doctrinae ejus publicationem metiaris, sententia haec, meo judicio, non parum in recessu habere videtur. Nunquam enim Lutherus cum doctrina sua tam cito orbi christiano innotuisset, nisi bulla summi pontificis, quae ubique legi jubebatur, in omnibus partibus fuisset publicata; sed quia id ipsum praeter omnem ejus intentionem et, ut loquimur, ex accidenti tantum evenit, eum inter reformatores collocare nolim. Accedit, jam tum, cum bulla apud hungaros publicaretur, aliquos inveniri debuisse lutheranos. Nisi enim fuissent reperti, tam propera bullae publicatione opus non fuisset, cum absente morbo remedia quaerere non soleamus; neque Georgius Szakmáry, archiepiscopus strigoniensis, de quo jam dictum est, Lutherum an. 1521. ex primariis Hungariae cathedris damnari jussisset; quod tamen factum

fuisse, ipsi jesuitae tyrnavienses confitentur in Compendio archiepiscoporum strigoniensium an. 1752. in fol. edito pag. 96.

§. 6.

Mihi optime sentire ii videntur, qui initia reformationis in Hungaria post deum viris transscribunt, de religione evangelica melius informatis, ita tamen, ut dispositis divina providentia variis modis ad inquirendam veritatem hungarorum animis, non universalem susceperint reformationem, sed per partes officiis suis defuncti sunt.

Nemo est, cui ignotum esse possit, theses Lutheri Tetzelio oppositas mira velocitate in omnes fere orbis christiani plagas fuisse deportatas. Si enim intra unius mensis spatium Romam advolarint, fieri non potuit, quin vicino Hungariae regno innotescerent. Accedebant hymni Lutheri, a militibus Ferdinandi imperatoris aut studiosis cantu victum quaerentibus decantati, ne quid de libellis ejus hinc inde sparsis adjiciam. Tanta rei novitate excitati hungari, in veritatem thesium et doctrinae Lutheri inquirebant, et quidem tanto diligentius, quanto bulla summi pontificis, publici juris facta, magis opportunam suppeditabat occasionem. Ne quid autem desultoria levitate fecisse videantur, non tantum viros ex Saxonia venientes et de religione evangelica melius informatos lubentissime recipiebant, sed etiam excurrebant ipsi et Lutherum collegasque ejus docentes audiebant, atque demum reduces haustam ab iis doctrinam civibus et popularibus suis magno studio inculcabant. Fallit ergo iniquus Biró, qui in Enchiridio suo pag. 196. Bocskayum, Bethlenium et Rákóczyum primipilos et principales satores *) religionis nostrae impudico ore adpellare veritus non fuit. Nondum nati erant magni hi principes, dum religio evangelica in Hungaria coepisset emendari.

§. 7.

Uti ex diversis Hungariae partibus viri in Saxoniam commeabant: ita post reditum in diversis locis, ad quae viri illi redierant, religio evangelica plantabatur. Alii enim in superiori Hungaria, alii in montanis civitatibus, alii cis Danubium, in partibus inferioribus alii, sacra repurgabant.

*) Ribaynál: statores.

Factum hoc fuit ad exemplum reformationis saxonicae. Dum enim Lutherus, Justus Jonas, Melanchthon, Amsdorfius, Vitembergae laborarent, Johan. Langius Erfurti, Andreas Osiander Norimbergae, Brentius Halae Svevorum, Frechtius Ulmae, Hausmannus Dessaviae, Auterus Rostochii, alii alibi veritatem evangelicam praedicabant, ut laudatus D. Wernsdorfius l. cit. p. 68. adnotavit.

§. 8.

Quis autem primus post emendatam per Lutherum religionem, evangelium in Hungaria praedicare coeperit, difficiliter definiri potest. Ego, salvo aliorum judicio, hanc laudem Simoni Grynaeo, Vito Vinshemio, Johanni Henckelio et Michaeli Siklósi transscribendam esse existimo, qui circa an. 1522. publice sacris evangelico-lutheranis operabantur.

Accedunt huic sententiae et ii, qui a religione evangelica dissentiunt. Enim vero Samuel Timon, S. J., in rebus patriae ecclesiasticis versatissimus, ad an. 1523. in Epitome chronol. pag. 106. Simonem Grynaeum, Budae paedagogum, ad mentem Lutheri docere coepisse scribit et ad an. 1541. eundem primum Lutheri praeconem adpellat. Joh Sigismundus Podlusányi, parochus carponensis et protonotarius apostolicus de Rebus gestis regum Hungariae p. 486. Simonem Grynaeum, quem per contemptum exoletum paedagogum nominat, non tantum an. 1523. Budae rudi plebeculae Lutheri dogmata sermone ad omnem hominis pii speciem composito svasisse; sed etiam in carceres conjectum ex iisque liberatum esse confitetur. An. 1525. cum collega suo Vito Vinshemio, Buda expulsi apud exteros sedem fortunarum quaerere fuerunt coacti. Nec male iis cesserunt piae non minus, quam honestae destinationes. Grynaeus enim Basileae professor philosophiae, Vitus autem Vinshemius apud vitembergenses lingvae graecae professor fuit constitutus, uti adnotavit ex vero Lampius in Historia ecclesiastica ad an. 1525.. Simoni Grynaeo an. 1541. Calendis Augusti anno aetatis 47. mortuo Basileae in summi templi circuitu hoc epitaphium positum est: Dn. Simoni Grynaeo, almae hujus academiae rectori, et laude, et memoria sempiterna ob lingvae latinae, graecae et hebraicae peritiam, omnisque philosophiae ad miraculum usque cognitionem, ob theologiae verae scientiam et usum digno, monumentum hoc dicatum est an. 1542., uti observavit Joh.

Manlius in Collectaneis suis p. 632. *) Quod ad Johannem Henckelium adtinet, is fuit Mariae reginae, Ludovici II. regis Hungariae conjugi a concionibus, Erasmo vel maxime familiaris. Ad hunc dedit, vivente adhuc Ludovico II. Erasmus epistolam, in qua postquam ambigue, uti solebat, de reformatione Lutheri multa dixisset, addit, „quod jam in aliquot locis novi oriantur evangelistae, qui placide, prudenter, et evangelico spiritu praedicent evangelium, nec in dextram, nec in laevam declinantes.“ Hunc ille tandem characterem Henckelio tribuit et reginae gratulatur, quod ejus ministerio uti possit. Vid. Seckendorf. de lutheranismo libr. II. sect. IX. §. 22. p. 57.. Hoc frustra factum non est. Iste enim Henckelius in comitiis augustanis an. 1530. celebratis a theologis protestantibus ut vir honestissimus et humanissimus laudabatur. Cf. Seckendorf. l. cit. libr. II. p. 58. et Lutherus ipse tomo V. Altenburg. p. 157.. De Michaele Siklósi, qui an. 1522. Ujhelyínum reformare coepit, videri potest Mich. Némethy in praefatione Evangeliorum dominicalium. Fallitur ergo P. Martin. Szentiványi, qui in Dissertatione paralipomenica rerum memorabilium Hungariae p. 168. lutheranos se an. 1527. insinuasse scribit, cum et Gabriel Szerdahelyi in Antidoto suo jam ante annum 1523. eorum ingressum fuisse compertum perhibeat. Hinc si non a nobis, a sociis tamen suis jesuitis bonus Szentiványi se corrigere patiatur. Deerrabat aeque non parum Joh. Tsétsius junior, athenaei sáros patakiensis rector et professor ordinarius, qui in oratione seculari, altero reformationis jubilaeo in auditorio patakiensi 31. Oct. an. 1717. habita et post triennium an. 1720. in IV. publici juris facta, pag. 19. scribit: Apud hungaros omnium primus lapidem fregit Matthias Dévay. Non est ita. Dum enim Dévay apud exteros adhuc commoraretur, lapidem fregerunt Grynaeus, Vinshemius, Henckelius, alii. Dévay non prius, quam sub Johanne de Zápolya innotuerat et a monachis accusatus, propter impactum ei haereseos crimen, igni tradendus erat. Vid. Hist. diplomatica p. 8.. Liberatus lutheranis adhaesit, cum vivente Luthero et Melanchthone nihil prorsus hungaris de certamine calviniano innotuerit, postea male intellectis, quae scripserat Melanchthon, sensim deficere coepit et devius a veritate clam errores Calvini disseminare veritus non fuit, de quo plura in sequentibus. Bonus Tsétsius sui oblitus dicto loco p. 18. confitetur: „paucis id est 4. post reformationem annis et in

*) Ribaynál még: Vid. Menken Lex. Erudit. p. 884. sqq..

Hungariam lux evangelii pervenit, per mercatores libellis Lutheri adductis, cui duo budenses professores (Grynaeum et Vinshemium dixisse debebat) illico adhaerent.“ De his ergo dicendum erat, quod de Dévayo prodidit ad posteritatem, cum eo adhuc tempore nihil prorsus de Dévayo ejusque destinationibus intellexerint hungari. Hinc errant non parum omnes, qui Leonh. Stoeckelium Bartphae in superiori Hungaria fundamenta reformationis jecisse arbitrantur, cum is nonnisi an. 1539. in patriam redierit. In hac sententia fuit rev. condam Tobias Masnitius, qui in Electa dei vinea pag. 150. scribit, eum a Luthero missum initia reformationis religionis evangelicae Bartphae fecisse; sed aliter fuisse ex superioribus intelligi potest, alias in vanum tulisset feralem illam legem de capiendis et comburendis lutheranis Ludovicus II., quod tamen ejus temporibus an. 1523. et iterum an. 1525. consilio cleri factum fuisse omnes scimus. Rev. Masnitio errorem hunc tanto lubentius indulgemus, quanto nobis exploratum est magis, eum in tristi exilio apud exteros latitantem, a genuinis patriae documentis prorsus fuisse destitutum. *).

*) A Masnitiusról itt mondottak helyett Doleschalnál ezek olvashatók: Habuerunt et transylvani reformatores suos, qui prius fere Lutheri dogmata proposuerunt suis, quam in Hungaria innotuissent. In his fuit Matthias Colimannus, Matthias Ramássy, Johannes Surdaster. De his ita scribit Csernovics in Propugnaculo suo pag. 59. seq.: „Est in Transylvania saxonum natio etc. Ad hos jure quodam cognationis adlati sunt e Lutheri venenatis libellis non pauci. Hos lectitavit Matthias Colimannus ac hausto veneno defecit. Unde fundamentalis lapis et Moises lutheranae Transylvaniae vocitatur. Huic familiaritate conjunctus, nec satis a Luthero integer, successit Matthias Ramássy, in parochia Josue nuncupatus. His virulentior magisque cultus Johannes Surdaster, simillimus Luthero, e monacho apostata, primum sub dio, demum regii judicis Marci Pemflingeri favore, in templo S. Elisabethae, pro concione Lutheri dogmata jactabat, tanta plebis et senatus aviditate res novas hauriente, ut renitente licet fortissimo cibiniensi capitulo, minitante archiepiscopo strigoniensi atque ipso rege Ludovico, in foro, in domo maxime publica, catechismus explicaretur.“ Haec ille. Quae unde habeat, non docet. De Pemflingero quidem similia habet Lampe vel potius Paulus Ember in Historia eccl. reformatae in Hung. et Transylv., sed hos primos cibiniensium doctores non nominat; duos plebanos commemorat, qui reformationis negotium in Transylvania inchoavere; horum alter Ambrosius Silesita, alter Georgius ex ordine praedicatorum, quorum mentio fit in querulis capitularium ad archiepiscopum strigoniensem litteris. Qui duo ad sacram sedem ab archie-

§. 9.

His an. 1525. in exilium actis lux evangelica obscurari non potuit, sed divina providentia inter mille pericula, uti alibi, ita vel maxime in montanis civitatibus, majora in dies capiebat incrementa. Dum enim Ludovicus II. rex Hungariae infelici ad Mohács proelio a copiis turcicis superatus, cum praecipuis episcopatuum antistitibus aliisque regni proceribus occubuisset, et viri, qui ad audiendum Lutherum Vitembergam concesserant, felicibus auspiciis rediissent; dici non potest, quanta ad rem evangelicam facta fuerit accessio. Hinc uti Christoph. Sreterus cibiniensis in Diploide sua notat, in montanis studiosi litterarum circa haec tempora passim, non sine profusa voluptate, cantare consveverant:

Vive! vive! mi Luthere
Cuncti tibi dicunt χαιρε
Veritatis speculum.

*) Circa an. 1526. Budae in metropoli Hungariae publico ministri evangelico-lutherani officio defunctus fuit Conradus Cordatus, hungarus, s. theologiae doctor evangelicus, uti ex Johannis Molleri Homonymoscopia adnotavit Czwittingerus in Specimine Hung. lit. pag. 101.. Idem magna animi contentione iisdem plane temporibus factum fuisse in montanis civitatibus testatur M. Daniel Lanyi in praefatione parti generali Igneae veritatis columnae praemissa sub finem, ne quid de Stephano Kopácsyo adjiciam, de quo videri potest Podlusányi l. cit. pag. 512.. Georgius Chladny, condam ad D. Johannis templum in agro aurifero cremnicziensi vulgo Berg dicto VDMinister, celeberrimi illius vitembergensium theologi et rofes-

piscopo strigoniensi citati cum comparuissent, in Transylvania inposterum visi non sunt, procul dubio supplicio adfecti. Conf. Schmeiczelius ab autore saepius citatus.

*) Ezeket megelőzőleg Doleschalnál ez áll: Christophorus Sreterus, erroribus anabaptisticis imbutus, cum a M. Achatio cremnicziensi ad meliorem mentem revocaretur, Cibinium concessit et adversus M. Achatium Diploidem conscripsit, in eadem ingenuis reformatoribus non parum detraxit et interea se raucum canem adpellavit. Hoc dum in manuscripto ejus non sine indignatione legisset nobilissimus condam Andreas Czemánka de Tarnó, rerum ecclesiasticarum cognitione insignis, qui et Ms. ejus possedit, in margine Diploidis, non sine ratione adscripsit sequentia: „Allatrare Deum desine rauce canis."

soris primarii templique omnium sanctorum praepositi, Martini Chladenii felix pater, in Inventario templorum, quod Görlicii an. 1679. in 12. exul edidit, p. 143. ita commentatur: In plerisque locis circa montanas etiam civitates jam circiter an. 1525. sub utraque specie coena domini a discipulis b. Lutheri et Melanchthonis genuinis distributa fuit. Degener ille ecclesiae evangelicae filius, Steph. Paulus Báchmegyey in Otiis suis p. 623. diffiteri non potest, sub initium reformationis metallifossores plurimos ex Germania in Hungariam evocatos, Lutheri jam sectatores, mirum quantum doctrinam ejus in montanis civitatibus promovisse.

§. 10.

Post an. 1526., quo clades illa mohácsiana acciderat, non exigua rei evangelicae accesserunt auctoramenta. Nihil enim in reformandis coetibus intentatum reliquerunt viri, divina providentia ad conficiendum tam utile negotium excitati. Hinc Bartphae ab an. 1525. ad an. 1539. papatui mascule restitit quidam D. Esaias, *) quo anno ab exteris redux Leonhardus Stöeckelius coetum bartphensem prorsus reformabat, Michael vero Radaschinus, Stöeckelii antistes, et Joh. Schader, Radaschini felix successor, populum in agnita veritate evangelica magno studio confirmabat; Andreas Batizius et Michael Szilvásy nobile ad Bodrogum oppidum Ujhelyinum, Martinus Cyriaci et Barthol. Bognerus transylvanus Leutschoviam, Gallus Huszár cum Basilio Radan Debreczinum, Antonius transylvanus Cassoviam, Martinus Kalmancsehy Munkácsinum, Laurentius Serpilius alias Quendel dictus, Belam in Scepusio et Andreas Fischerus tractum gömöriensem felici cum successu reformabant. Horum certe virorum, qui emendandae in Hungaria religioni evangelicae operam impenderunt

Semper honos nomenque bonum laudesque manebunt.

Leonhardus Stöeckelius, patria bartphensis, Lutheri et Melanchthonis per annos tres et decem **) auditor, fuit primum islebiensis

*) Vezetéknevét Lang-nak találom Historia eccl. evang. aug. conf. add. in Hungaria st. Halberstadt, 1830. 6. l..

**) Hibás számitás. Stöeckel ugyanis 1530.-ban, oct. 1.-jén lőn a vitembergi tanulók közé beirva (lásd: Bartholomaeides i. m. 8. l.

rector, dein an. 1539. a Luthero in patriam missus, scholae patriae moderator fuit constitutus. Huic ille cum exstantissima utilitate per annos 21. praefuit et laborum satur 7. Jun. an. 1560. finem vivendi fecit, de quo in Vitis superintendentum evangelicorum prolixius commentatus sum *).

Mich. Radaschinus cum confessio quinque liberarum regiarumque civitatum a Stöeckelio consignata Ferdinando I. imperatori an. 1549. oblata fuisset, ecclesiae bartphensis ministrum egit et preces secundum evangelia et epistolas ad usum ecclesiae bartphensis conscripsit, an. 1560., dum Stöeckelius moreretur, senioris officio functus.

Joh. Schader, Melanchthonis et Chemnitii discipulus, praeter alia eo nomine notandus, quod ex ore Chemnitii librum de coena domini descripserit et in patriam delatum crypto-calvinianis opposuerit, an. 1580. in domino mortuus.

Andreae Batizio et **Mich. Szilvásyo** in reformando an. 1531. Ujhelyino operam suam adjunxit magnus veritatis evangelicae patronus, Casparus Drágfy, de quo videri potest Hanerus in Historia eccl. transylv. pag. 204..

Martinus Cyriaci adpellatur in Historia diplomatica primus leutschoviensium pastor, quod num ita sit, definire non audeo. Satis est, quod in libello supplice, quem an. 1549. quinque liberae regiaeque civitates cum confessione sua Ferdinando I. imperatori obtulerant, egregiam eum patriae suae operam navavisse, ex veteri matricula scepusiensi cognosci potest. Leutschovia enim, etsi multi operam impederint, ante annum 1544. plene et in solidum reformari non potuit. Hoc demum anno publice et solenniter in templis evangelium praedicari coeptum est, postquam universa fere civitas sacris evangelicis accessisset. Hinc factum fuit, ut ecclesia leutschoviensis evangelica an. 1644. jubilaeum, ut dicimus, celebrarit et deo pro admiranda religionis evangelicae in hac urbe conservatione pietatem suam religiosissime exsolverit. Videri potest in hanc rem sermo funebris in obitum Francisci Németh, leutschoviensium ministri, an. 1667. 23. Jan. dictus, per M.

és Magy. tört. tár VI. k. 216. l.), 1539.-ben pedig Bártfán találjuk már, a 13. év tehát 9.-re szállitandó le. Ha pedig islebeni tanitóskodását, a midőn nem hallgathatta vitembergi tanárait, fontolóra vesszük, elfogadandónak mutatkozik Ribay állitása, a kinél ez áll: per annos 3. et 10. menses auditor.

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hungaria hist. 1. k.61., 69. ll..

Christian. Seelmannum, ejusdem ecclesiae pastorem. Prodiit eodem anno Leutschoviae in IV.. Haec dum fierent sub glorioso Ferdinandi I. regis imperio et Pauli de Várda archiepiscopatu strigoniensi, synodus scepusiensis sub Stanislao Várallyaeo a Várallya ita dicto episcopo quinqueecclesiensi et praeposito scepusiensi an. 1544. celebrata propterea nihil constituit, quod iis plane temporibus universum fere Scepusium evangelicis adhaeserit. Hinc deplorat hoc in Conciliis suis Péterfy part. I. p. 299., quod praeter ordinem officiorum divinorum ex illa synodo nihil supersit.

Gallus Huszár fuit pastor óváriensis et circa an. 1568. evangelicus in illis partibus superintendens, de quo in Vitis superintendentum evang. egi uberius *).

De **Antonio** transylvano et **Martino Kalmancsehy** videri potest Lampe.

Laurentius Serpilius, alias Quendel dictus, a Philippo Melanchthone primum Serpilius adpellatus (Quendel enim herbae genus est, quod latine adpellatur Serpillum), patria fuit belensis et praepositi scepusiensis sacellanus. Hic Vitembergam delatus non minus Luthero quam Melanchthoni adhaesit atque patriae restitutus Belam, patriam suam, reformavit. Videri potest de eo Czwittingerus in Specimine Hung. lit. p. 353. sq.. Fallitur in eo bonus Czwittingerus et cum eo David Godofr. Arnoldi, boianoviensis in Polonia pastor et fratrum senior, qui in libello, cui titulus: Christlicher Lehrer Ruhm, Thun und Lohn pag. 16. hunc Serpilium primum in superiori Hungaria reformatorem fuisse adseverat, cum id ipsum ante Serpilium, uti exploratum est, Bartphae an. 1539. Stöeckelius praestiterit, Serpilius autem nonnisi an. 1545. minister evangelicus factus fuerit, uti observat Czwittingerus l. cit. p. 357.. Num vero, antequam de veritate evangelica Vitembergae plenius edoceretur, reformationem al quam cum utilitate suscipere potuerit, cum ratione ambigo. Hinc non primus reformator adpellandus, sed inter primos collocandus erat.

Andreas Fischerus tractum gömöriensem feliciter reformando hoc proemii tulit, ut a Bebeko, krasznahorcensi domino, caperetur et infelici fato ex altissima arcis rupe praecipitaretur. Sed dedit infamis Bebekus barbarae illius feritatis poenas, dum ex eo tempore omni fortuna et meliore conscientia destitueretur. His addi meretur

*) U. o. 83. l.. L. többet róla: Prot. egyh. és isk. lap 1862. 4. sz..

Conradus Cordatus s. s. theologiae doctor evangelicus et circa an. 1526. Budae in Hungaria VDM.. Hinc malitia adversariorum exturbatus in Marchia stendaliensis pastor factus. Vid. Joh. Molleri Homonymoscopia p. 848..

§. 11.

In aliis Hungariae partibus, inprimis cis et trans Danubium rem evangelicam egregie procurabant: Colacinus, Joh. Pruno, Albertus Husselius et Petrus Bornemisza.

Colacinus fuit scholae trenchiniensis rector, vir doctissimus *) et **Johan. Pruno** patria galgócziensis, comitis Georgii Thurzo praeceptor, vir ingenio et eruditione insignis, de quibus Mart. Intibus arvensis in carminibus Hieremiae Sartorio, ad regendam scholam trenchiniensem an. 1586. evocato, datis, tale tulit judicium:

Sustulit atra dies, similes vix secla videbunt,
Vos Colacine gravis sancteque Pruno puto.

Albertus Husselius primum scholae prividiensis rector, dein bitschensis pastor et comiti Georgio Thurzo a concionibus, ven. contubernii trenchiniensis senior fuit, in emendandis sacris magna cum religione studiosissime occupatus an. 1596. beate mortuus.

Petrus Bornemisza alias Abstemius dictus, qui praeter Postilla scripsit librum de tentationibus satanae, vocatur ex reformatoribus ecclesiarum hungaricarum trans Istrum facile primarius. Vid. Frid. Balduinus in Phosphoro vericatholicismi cardinalis Pázmáni Hodego opposito pag. 292..

§. 12.

In liberis regiis montanisque civitatibus vicinisque locis emendandis sacris insignem operam impenderunt: M. **Achatius, Anton. Philadelphus, Nicodemus Sartorius**, viri apostolico nomine insignes, et **Georg. Lovosányi**, reformatorum et primus et primas dictus.

M. **Achatius** non tantum scholae bartphensi praefuit, sed etiam Cassoviae sacellanum uxoratus egit et demum circa an. 1530. cremniciensis pastor factus est, uti Christoph. Sreterus cibiniensis in Diploide sua adnotavit. Hic cum M. Paulo Scheidero cremniciense, eo tem-

*) Ribaynál a szélen: Cf. Klein T. II. p. 423..

pore in schola patria rectore, permultum in emendandis sacris evangelicis laboravit.

Antonius Philadelphus postquam Rosnaviae et Várallyae in scholis docuisset, apud neosolienses pastor evangelicus constitutus nil qua voce, qua scripto intentatum reliquit, quod ad emendationem sacrorum pertinere arbitrabatur. Hic cum Mart. Philadelpho Opaviae ad aedem D. Georgii ministro confundi non debet, qui edidit Postilla slavonica an. 1590. *)

Nicodemus Sartorius comiti Georgio Thurzoni moderabatur et non tantum ecclesiae vetusoliensi, sed neosoliensi etiam tanta cum utilitate praefuit, ut nomen viri vere apostolici meruerit. Vid. Justa comiti Georgio Thurzo a M. Jeremia Spiegelio Vitemb. an. 1618. praestita.

Georgius Lovcsányi scholae hajnicensis rector, Vitemberga per inclytam gentem Balassiorum evocatus, ad emendationem sacrorum non parum contulit. Testem adduco Balthas. Exnerum de Hirschberga, illustrissimo principi Friderico Vilhelmo duci Silesiae a studiis, sui temporis poetam egregium. Hic in libro Tristium sive funebrium Olsnae Silesiorum an. 1609. impresso, quem Timotheo Lovcsányio, ecclesiae teschiniensis pastori et in eodem ducatu synedrii spiritualis decano dedicavit, ven. Georgium Lovcsányium, Timothei patrem, annos 95. natum (natus ergo fuit 1514,), inter primos ecclesiarum evangelicarum in Hungaria reformatores collocat, dum in haec verba scribit: Sicut Paulus apostolus primus doctor gentium, sic et hic post reformatam religionem hungarorum doctor fuit et primus et primas. In carmine, quod in ejus obitum conscripsit, Hungariam horum omnium testem adpellat, dum inter alia confitetur:

Norunt hungarici templa illa atlantica regni,
Queis hic restituit religionis opus.
Et cum judicii postremi advenerit hora,
Illo Lovcsányius nomine magnus erit.

§. 13.

Frustra igitur sunt calviniani, qui emendationem sacrorum in Hungaria, omnis aequitatis obliti, non Lutheri discipulis, sed Calvini asseclis transscribunt.

---

*) Ribaynál a szélen: Prodiit etiam 1602. Dresdae.

Si annales historicorum Hungariae ex vero evolvere voluerimus, ad oculum patebit, vix de Calvino in Hungaria vel auditum fuisse, dum praecones evangelici magna animi contentione sacra emendarent. Hoc ut omnibus evidens sit, sequentibus rationibus adstruere consultum esse existimavi:

1. Hungari post emendationem sacrorum a Luthero an. 1517. in Saxonia susceptam non in Helvetiam ad Zvinglium, qui post biennium demum Samsoni, mediolanensi franciscano, indulgentias praedicanti, restitit, sed Vitembergam ad Lutherum commeabant ab eoque de veritate religionis evangelicae edocti, nulla habita Zvinglii vel Calvini notitia, in Hungariam revertebantur et quod didicerant, magno studio popularibus suis inculcabant atque adeo veritatem evangelicam pure praedicando ecclesias reformabant. Hungaros autem primum Vitembergam ad audiendum Lutherum, non aliorsum concessisse, testis est Petrus Lascovius Monedulatus in epistola nuncupatoria tractatui theologico de homine praefixa, ubi et nomina eorum bona fide percenset. Uti igitur ex regula philosophorum non-entis nullae sunt affectiones: ita ignoti adhuc in Hungaria Calvini nulli poterant esse discipuli reformatores.

2. Inter decreta Ludovici II. regis Hungariae reperitur, quod scimus, decr. V. articulus 54., an. 1523. consignatus, de lutheranis poena capitis et ablatione bonorum puniendis, ubi nullum est prorsus vestigium calvinianorum. Hic articulus cum post biennium, an. 1525., in comitiis renovaretur, iterum nulla calvinianorum facta fuit mentio, unde invictissime concludimus, nullos iis temporibus fuisse in Hungaria calvinianos, alias tanquam a romano-catholicis dissidentes eidem poenae cum lutheranis subjici debuissent. Dices: fuerunt quidem calviniani, sed latuerunt sub nomine evangelicorum. Facilis admodum responsio. Sub quo nomine latuerunt, sub eo reformarunt, quia ignoti Calvini nulla poterat fieri cupido, cum oves Christi alienum neque sequebantur, neque audire volebant, Joh. X. 5.. „Occulti enim sacramentarii coram ecclesia et maxime infirmis simulabant se profiteri evangelium, ministerio Lutheri nobis restitutum, ubi autem poterant, sine fronte impia Zvinglii, Oecolampadii et Calvini dogmata crepabant," uti scribit Severinus Sculteti in praefatione Bello Calvini et Jesu Christi Nazareni ab Alb. Gravero cassoviensi rectore an. 1597. edito praemissa. Cf. et praefatio, quam bartphenses ministri Examini regularum Piscianarum adjunxerunt, in qua de subdola eorum agendi ratione et clam disseminatis erroribus non pauca cum omni veritate percensentur.

3. Si discipuli Calvini primi fuissent in Hungaria reformatores, primi etiam possedissent ecclesias, teste tamen Severino Sculteti in Hypomnemate folio 18. ad annum usque 1560. nullam possederunt ecclesiam, Lutheri autem discipuli multo prius Bartphae, Cassoviae, Leutschoviae, in montanis et reliquis liberis regiisque civitatibus, uti in superioribus demonstratum est, emendatis coetibus praefuerunt, unde sponte sua consequitur, hos, non illos primos fuisse in Hungaria reformatores.

4. Hungari emendationem sacrorum cum voluptate receperunt et primos illos reformatores in pretio habuerunt; crypto-calvinianos autem ut quam plurimum detestabantur, ut exemplo Pauli Thurii et sociorum ejus confirmari potest, qui cum ad meliorem mentem redire noluissent, a Gabriele Perényi sedibus exturbati sunt, quod nunquam facturus erat, nisi prius a genuinis Lutheri discipulis de veritate religionis evangelicae fuisset informatus.

5. Exorto crypto-calvinianismo non ad calvinianos, sed ad universitates saxonicas, tanquam musarum et veritatis sedem, inprimis Vitembergam et Lipsiam itum fuit, ut earum arbitrio et sententia excitatae controversiae consopiantur, de helveticis enim academiis nihil prorsus innotuerat hungaris. Hoc evidentissimum documentum est, eorum sententiam in hac controversia valuisse, a quibus primum in Hungariam dimanaverat religionis emendatio.

6. Hungari, qui meliorum erant partium, omnes augustanam confessionem receperant, et crypto-calviniani, teste Sculteto in Hypomnemate fol. 23., nonnisi post mortem Melanchthonis in conventu tarczalensi eam rejecerant. Hinc si prius recepta fuerat confessio augustana, quam helvetica, facile arbitreris Lutheri non Calvini discipulos priores fuisse reformatores. Illos enim ex praescripto ordinis priores esse oportuit, quorum confessio prius recepta fuit.

7. Supersunt litterae publico calvinianorum in Hungaria nomine post liberationem ministrorum ex triremibus ad proceres Helvetiae per Jacobum Csúzyum, theologiae doctorem et pastorem losonczіensem scriptae, in quibus ipsi calviniani non tantum profusam helvetiorum liberalitatem infelicibus ministris declaratam praedicant, sed etiam inter alia haud inviti confitentur, se ab an. 1567. confessioni helveticae adhaerere. In haec enim verba scribunt: „Pergite nationem nostram et ecclesias perantiquae confessioni vestrae ab an. 1567. integrum jam seculum addictas diligere et promovere.“ Consignatae fuerunt litterae Va-

ciae ipsis calendis Novembris, an. 1676.. Hanc publicam eorum confessionem opponimus Lampio, in reformandis ecclesiis hungaricis primas partes calvinianis vindicanti, ut omnis rerum hungaricarum ignarus a praepostera judicandi ratione se abstineat.

8. Accedit porro, quod a primordiis emendatae religionis lutherano-evangelicae in publicis regni comitiis, regum diplomatibus aliisque constitutionibus semper prima fiat augustano-evangelicorum mentio, quod indubitatae veritatis indicium est, lutheranos priores fuisse calvinianis. Alias rationes, quae addi possent, prudens praetereo.

CAPUT II.

DE REFORMATORUM FAUTORIBUS.

§. 1.

Primordia reformationis in Hungaria hoc non parum nobilitavit, quod haud vulgares Hungariae proceres, agnita veritate religionis evangelicae, non tantum eam acceptarunt, sed etiam constanter professi laetis successibus amplificarunt.

Hoc, omnium sententia, non minus utile, quam necessarium fuit. Jucundum enim est et salutare, ubi mutuis consiliis Moses princeps et Aron sacerdos, ita rem sacram promovent, ut Moses sit Deus Aronis et Aron sit os ac propheta Mosis, Exod. IV. 16. VII. 2.. Nam

Mosis et Aronis donec concordia fervet,
Fervet religio publica statque salus,

uti ex suggestu ecclesiae parochialis eperjensis germanicae ab evangelicis excitato, posteritatis gratia, non sine ratione adnotavit D. Samuel Pomarius in praefatione Hexadi disputationum theologicarum de natura peccati originalis praemissa.

§. 2.

Inter hos post Mariam Hungariae reginam et Alexium Thurzo, principe fere loco nominandus est Petrus Perényi, Casparus Drágfy, Franciscus Dersfy et Franciscus de Réva, religionis evangelicae adsertores; nequid de Andrea Magóchy, vidua Petri Jaxith, Paulo de Nádasd, Stephano, Sigismundo et Simone Balassa hac vice percenseam *). Jam Maximilianus I., qui post reformationem

*) A következők helyett Doleschalnál e pont van: His addendi sunt: Franciscus Bebek cum filio Georgio, Podmanicskyi (non hi, qui

Lutheri duos annos superfuit, per internuncium electori Saxoniae commisit, ut Lutherum sibi adservet, quo eo contra pontifices uti possit.

P. Gabriel Szerdahelyi S. J. in Antidoto suo contra venena p. 162. sq. Mariam, Ludovici II. regis Hungariae conjugem, Luthero favisse negat, cui tamen optimo jure opponimus Hieronymum Aleandrum, archiepiscopum brundusinum, nuncium summi pontificis ad Carolum V., qui Mariam, reginam Hungariae, tum jam Belgii gubernatricem, an. 1539. eo nomine accusabat, quod religioni lutheranae favere non desistat. Hinc etiam factum fuisse, ut electorem trevirensem a foedere norimbergico abstrahere voluerit et legationem gallicam retardarit, cum qua de viribus cum caesare adversus protestantes agi debuisset, uti Seckendorfius in Historia lutheranismi libr. III. sect. 18. §. 80. p. 206. memoriae prodidit. Ipse Lutherus, dum ei IV. psalmos, luculentissime illustratos, de quibus jam in antecedentibus dictum est, inscriberet, in dedicatione confitetur, se cum voluptate intellexisse, reginam evangelio favere, uti favit omnino. Hinc Augustae Vindelicorum an. 1530. prohiberi non potuit, quo minus sermones sacri apud eam haberentur, etsi multis variisque modis romano-catholici impedire conati fuerunt, uti notavit ipse Lutherus tom. V. Altemburg. fol. 157.. Sciebat enim summum in his terris beneficium esse, cum deus fideles et sinceros verbi sui ministros donat, uti Osiander in cap. II. v. 22. Joelis commentatur. Carolum imperatorem, fratrem suum, serio monuit, ne se a sacerdotibus decipi pateretur, sicut, inquit, deceptus fuit maritus noster Ludovicus. Vid. Spalatini Relatio de comitiis augustanis an. 1530.. Philippus Melanchthon ex comitiis Augustae Vindelicorum celebratis ad Lutherum scribit: „Cara regina Maria, mulier vere heroico ingenio, praecipua pietate et modestia, studet nobis placare fratrem, Carolum V., sed cogitur id timide et verecunde facere.“ Vid. epist. ad Lutherum tom. II. Coelestini pag. 20. et ex eo Danhauerus in dedicatione Lactis catechetici tom. IV.. Erravit ergo bonus ille studiosus hungarus, Paulus Holvaith, quem celeb. Joh. Jacob. Rambachius, tanquam juvenem doctum et egregium collaudavit, qui in descriptione historiae Mariae

hodie florent, sed multo vetustiores hussitarum posteri), Basones, Petrovicsii, Horvatinovicsii, clarissimi in Hungaria illis temporibus heroes. Quos non sine invidia enumerat Franciscus Csernovics in Propugnaculo reipublicae christianae in Hungaria, Tyrnaviae an. 1725. in 12. ed. pag. 68..

reginae Hungariae epistolam hanc Luthero adtribuit et verba recitata non satis genuine adsignavit. Vid. celeb. Rambachius in Collectione minorum scriptorum Lutheri, in primis in praefatione IV. illis psalmis praemissa. Medardum *), franciscanum, Ferdinandi concionatorem, sprevit et Henckelio suo, de veritate evangelica melius informato, adhaesit. An. 1531. gubernando Belgio praeposita suspicionem lutheranismi utcunque vitavit, atque tandem in Hispaniam per fratrem Carolum accita an 1558. beate in domino obdormivit. Quod invidi hispani mendacissime commenti sunt, eam, dum gubernando adhuc Belgio praefuisset, iterum religioni romano-catholicae publice accessisse, falsum est, ut mirer non parum, si mirari satis est, magnum Lutherum vano illo rumore deceptum fuisse, uti ex tomo V. Altemburg. fol. 805. elucescit, quae sequutus fuit etiam celeb. Seckendorf. in Historia lutheranismi lib. II. §. XXII. n. 6.. Hujus commenti nullum prorsus validum argumentum ex historicis adferri potest. Belgae, quibus annis 25. cum maxima laude praefuit, non siluissent, si vel per nebulam de his quidpiam intellexissent. Ad haec Franciscus Strada S. J., et sui ordinis et religionis defensor acerrimus, qui de ea lib. 1. de Bello belgico commentatus est, rem tanti momenti historiae suae intulisset, si quid ei certioris innotuisset, sed profundum est apud eum silentium. Thuanus, magnus veritatis historicae amator, in Historia sui temporis lib. XXI., etsi integritatem Mariae, reginae Hungariae, prolixe tueatur, nullum tamen apud eum defectionis Mariae vestigium. Eam, propter evitandum periculum, principem catholicam se adpellasse, facile largior; sed eam a veritate evangelica, in qua a Henckelio suo confirmata fuit, descivisse, non credo. Illa enim uti lingvarum latinae, gallicae, italicae, germanicae, bohemicae et aliarum peritissima fuit, ita sacrum codicem manibus suis excuti passa non est; sed uti quotidie, ita in venatione quoque, post lentam commotionem, diligentissime versavit. Venationis enim fuit multo amantissima adeo, ut vulgo venatrix adpellaretur et quoties pingebatur, nonnisi in veste venatica depingebatur, uti testatur Jac. Aug. Thuanus Hist. lib. XXI. pag. 26.. De prioribus vide ex relatione Henckelii, concionatoris reginae evangelici, plura in Annalibus Spalatini ad an. 1530. p. 140.. Eam ad reformationem religionis in Hungaria multum contulisse et scholas Budae, instituendae in veritate evangelica juventuti necessarias, consti-

*) Doleschalnál: quem traducit Erasmus in dialogo: Concio seu Medardus.

tuissse certum est et exploratum. Est enim vero simile eam Lincii et in Austria, dum apud avum Maximilianum esset, ex scriptis Lutheri de evangelica veritate convictam fuisse; nam in Hungariam delata, non tam facile Johannem Henckelium, concionatorem evangelicum, lateri suo admovisset. Post tristem cladem mohácsiensem scholae evangelicae dissipatae magnam ei suspicionem lutheranae religionis conciliarunt; eam tamen in ea perseveravisse ad finem vitae certus scio. Si enim eam mutavisset, Paulus III. pontifex eam apud Carolum V. imperatorem haereseos non accusasset, quod tamen eum per Joh. Riccium, suum apostolicum nuncium, missum in Hispaniam, fecisse, cum omnibus circumstantiis narrat Pallavicinus Sfortia in Historia concilii tridentini lib. IV. cap. 8. §. XII.. Valete igitur cum nugis vestris, qui iis delectamini, et pientissimae reginae, post pium ejus obitum in tumulo pacate quiescenti, injuriam facere desinatis. Eam in veritate evangelica a Georgio, marchione brandenburgico, qui eo tempore in aula Ludovici primum fere locum tenuit, confirmatam fuisse non obscure tradit Seckendorf in Historia lutheranismi lib. 1. sect. 55., §. CXXXIX. num. 6..

Alexius Thurzo, a Ludovico et Ferdinando regibus non minus opibus, quam dignitatibus auctus, Mariae reginae constanter adhaesit et uti Podlusányi de Rebus gestis regum Hungariae p. 496. non sine tacita criminatione scribit, cum regina aras focosque Budae haerens tuebatur, et adjicit insimul, eum Lutherum in posteris eructasse, sed vivum adhuc id aperte facere puduisse. Excitabatur ad amandam Lutheri doctrinam non minus reginae, quam consangvinei sui, Joh. Thurzo, episcopi wratislaviensis, exemplo, qui renascenti doctrinae evangelicae admodum favebat. Hinc Melanchthon an, 1520. ad eum ita scribebat: „Quod si haberet christiana respublica, uti ille rex homericus ait, decem tui similes *συμφραδμοισι*, non dubitarem renasci aliquando Christum.“ Vid. Sculteti Annales evangelici pag. 60. 61.. Et Lutherus obitum ejus Linecio an. 1520. his verbis significat: „Eadem fide in Christum episcopus wratislaviensis obiit, omnium episcoporum hujus seculi optimus.“ Vid. Seckendorf l. cit. lib. I. sect. 57. pag. 207.. De posteris ejus erit in posterum dicendi locus.

Petrus Perényi, inc. comitatus abaujvariensis supremus comes et coronae regni Hungariae duumvir, postquam ex Michaele Siklósy veritatem religionis evangelicae cognovisset, cum filiis, Francisco, Georgio et Gabriele, sacra lutherana suscepit et magna animi contentione tui-

tus est. Hunc Bonfinius *) primum religionem evangelicam in Hungariam induxisse scribit et Podlusányi l. cit. part. I. pag. 513. primum e proceribus regni Lutheri sectatorem adpellat et pag. 496. ad id palam audendum primum ex magnatibus servatum fuisse confitetur. Hic non tantum ipse religioni lutheranae constanter adhaesit, sed etiam in ditiones suas late patentes ministros induxit, veritatem evangelicam promiscue plebi traditurus. Dum optime de regione et religione mereretur, furor hispanicus heroem hunc lutheranum oppressit. Iniquissime enim a praefectis copiarum hispanis apud Ferdinandum I. regem accusatus, Neostadii in carcere vitam cum morte commutavit, Martini Liscani, arcis strigoniensis praefecti fraude interceptus et innata hispanis crudelitate torque et pretiosis vestibus spoliatus. Istvánfyus, vir rerum patriae peritissimus, cum nullam idoneam causam carcerum Perényianorum reddere potuisset, „propter invectum ab eo in Pannoniam lutheranum dogma divinitus plexum esse" confitetur. Bella ratio! non Istvánfyo, sed homine rudi indigna, inprimis eo nomine, quod causam mortis Perényianae, iniquissimorum hispanorum culpa procuratae, deo adscribat. Hoc Petro Perényio ad laudem perpetuo duraturam satis est, quod constans ille veritatis evangelicae confessor codici sacro, picturis accuratissimis illustrando, fuit immortuus. Franciscus Forgács de Ghymes cardinalis in Commentariis de rebus hungaricis sui temporis Mss. **) lib. II. pag. 55. fatetur, eum diuturnae captivitatis taedio vita functum esse, et non sine ratione adjicit, „fatone an dolo? incertum est, cum et libertatem 40. millibus aureorum redemisset et brevi se ad suos rediturum speravisset." Hinc uti opinabantur et hucdum opinantur multi, ne tantus heros et rei evangelicae adsertor in libertatem vindicetur, veneno sublatum esse. Quae de sepulchro ejus terebesiensi fulmine percusso Gabriel Szerdahelyi in Antidoto suo p. 158. sq. et Nicolaus Benger in Annalibus suis an. 1743. editis comminiscitur, fabula est definitore generali et theologiae doctore, qualis Benger erat, indigna. Hanc egregie ex oratione Basilii Fabritii, scholae patakiensis circa annum 1567. rectoris, in obitum filii Gabrielis Perényi, regiae curiae judicis supremi, anno eodem habita, confutavit cl. Mich. Rotarides in Prolegomenis lineamentorum historiae Hungariae litterariae, ubi Petrum Perényium non Terebesini, sed Sárospatakini sepultum fuisse, multis

*) Ribaynál: Istvánfyus, s igy van jól, mert Bonfin 1502.-ben, mások szerint 1505.-ben halván meg, a reformatióról nem irhatott.

**) Többé nem kézirat; kiadta Horányi 1788.-ban.

numero argumentis ad oculum demonstrat et de iniquis ejus fatis egregie commentatur. Conferri praeterea meretur articulus 55. an. 1545., ubi proceres Hungariae in publicis regni comitiis omnem ejus captivitatis causam in homines malevolos et regni Hungariae eversores, hispanos, derivant. Huc pertinet commentum de episcopatus agriensis sublesta per Petrum Perényium invasione. Occupaverat ille, tamquam praecipuus illius temporis militiae dux, arcem et tractum agriensem, ut turcis Hungariam latissime depopulantibus se cum dignitate objicere possit: sed episcopatum agriensem suae potestati subjecisse ejusque bonis inhiasse, nemo unus est, qui certo argumento probavisset. Ferdinandus I. imperator in responso suo statibus Hungariae in causa Perényiana in comitiis tyrnaviensibus an. 1545. suplicantibus art. 55. dato, non episcopatum agriensem, sed arcem repetit et Olahus, tum episcopus agriensis, nullam hujus rei facit in Chronico suo mentionem, quod uterque facturus fuisset, si Perényius bona episcopatus usurpavisset. Quod ergo neque Ferdinandus imperator, neque Olahus metropolita noverat, recentiores Sybillae effinxerunt. Epitaphium, quod Nic. Benger paulinianus definitor in Annalibus suis vol. II. lib. 1. pag. 18. et 19. apud terebesienses Petro Perényio positum esse mentitur, a rabulis paulinianis confictum est, cum non in Terebes, sed Patakini in domino requiescat. In hunc pessima fide injurius est Sigism. Podlusányi, qui de Rebus gestis regum Hungariae Tom. I. p. 530. sq. eum insolentem improbumque et neque Johanni, quem deseruerat, neque Ferdinando, quem oderat, fidum fuisse comminiscitur et nonnisi eo nomine conspicuum haberi, quod Lutheri zizaniorum egregius fuerit seminator. Ita rerum Petri Perényi feliciter pro patria gestarum juxta cum ignaris ignarissimus rabularum ad instar sparsit in orbem Podlusányi, homo propter odium religionis et coelesti et publicae veritati inimicissimus. Comes Perényi uti numerosissimos habebat clientes: ita latissima in regno Hungariae, inprimis in comitatu abaujvariensi, sárosiensi, zempliniensi et baranyiensi aliisque latifundia possidebat, uti Franc. Forgács cardinalis in historia manuscripta libro XVI. confitetur, ex quibus etsi quaedam per Joh. de Zápolya pecuniis redimerentur, evangelium tamen et veritatem evangelicam sine cessatione praedicari jussit heros religioni evangelico-lutheranae deditissimus. Inanem fabulam redolet et eruditis patriae civibus non sine ratione suspectum est, quod autor Fragmentorum cassoviensium de Petro Perényio ex narratione Petri Kozma, canonici agriensis, pag. 265. adfert: „eum videlicet suscepto

novorum dogmatum patrocinio, auctoritate, blanditiis, rationibus et minis institisse, ut rustica plebs a majorum religione desciscat.“ Haec enim majori facilitate dicuntur, quam confirmantur. Item „carnis esum sexta feria et sabbatho districte eum imperavisse, in egentiores de suo copiose distribuisse, focos inspexisse et si praeter carnes alia die sabbathi parabantur edulia, ollulas eum subvertisse“ nulla ratione credi potest. Nam uti unius Kozmae, jurati Perényiani hostis, narratione nituntur: ita facile exploduntur. Quid tanto heroi cum focis et lixis? Non satis est ad confirmandam narrationem, quod Kozma, qui haec ab aliis audivit, silicernium fuerit, nam et senes bis pueri esse solent, nec omnes intelligunt judicium, Job. XXXII., 9.. Ita patres, ut vocantur, S. J., dum nulla supersunt veritatis argumenta, crudis fabulis, coram ignara rerum patriae plebe, crudam in publicum propellunt commentationem. Non Kozmae, privati illius silicernii, narratione, sed publico documento adstruenda erat veritas, si digna omnium adprobatione debeat existimari.

Casparus Drágfy, unus ex praecipuis Hungariae magnatibus, in ditiones suas ministros evangelicos recepit et religionem lutheranam, quam receperat, constanter tuitus est. Sub ejus praesidio synodus erdődiana in castro ejus, non procul a Nagy-Bánya dissito, tamquam asylo, propter Drágfyi, qui evangelicis maxime patrocinabatur, auctoritatem convocata fuit, de qua videri potest Hanerus in Hist. eccl. pag. 208., cf. Historiam diplomaticam p. 7..

Franciscus Dersfy inter reformatorum evangelicorum fautores jure numerari debet. Erat is comes comitatus Sáros et liber baro in Landsee, patronus ecclesiae orthodoxae munificus, uti eum Severinus Sculteti in Hypomnematis sui dedicatione ex vero describit. Hypomnema enim suum, panharmoniae Jesu Christi et Calvini oppositum eidem inscripsit an. 1599.. Prodiit eodem anno Bartphae typis Dav. Gutgesel in 4..

Franciscus de Réva, comes comitatus thurocziensis, inter praecipuos adsertores religionis evangelicae nominandus, non tantum Luthero constanter adhaesit, sed etiam merces Calvini in Hungariam importantes ex animo detestatus est. Videri potest epistola Lutheri ad eum 8. Aug. an. 1539. in hoc argumento scripta, suo loco adducenda. Non latuit hoc Paulum de Várda, metropolitam. Hinc non prius quievit, quam a Ferdinando rege epistolam impetraret, qua propalatinum suum, Franciscum Révayum, severe admonebat, ne haeresim grassari

sinat, minus foveat. Vid. Archiepiscopi strigonienses compendio dati pag. 103.. Hoc an. 1548. evenit, eum tamen a religione lutherana non dimovit, in qua constans an. 1553. beate obiit.

Andreas Magóchy, dominus in Regécz et Torna, doctrinae religionis et litterarum fautor munificentissimus, cui Matthaeus Dresserus suum de Festis diebus librum an. 1584. in 8. Erfordiae editum *) dedicavit eundemque non parum collaudavit. Hoc dolendum est, quod omnes fere alumni et clientes ejus, ex quibus quosdam Dresserus l. cit. nominat, post mortem patroni sui ad calvinianos defecerint, indigni, qui stipendia tanti fautoris meruissent.

Vidua Petri Jaxith, teste Historia diplomatica, sine omni cessatione lutheranis adhaesit et in partibus trans-tibiscanis ad Marusium fluvium felici successu religionem evangelicam propagavit. Hanc non minus Paris Pápayus, in Rudere redivivo, quam Hanerus in Hist. eccl. magno studio commendant, ut quae „in reformandis subditis suis tam in citeriori, quam in ulteriori Hungaria, in districtu interamni, qui Chrysio hinc et inde Marusio clauditur, magna animi contentione laboraverit et cum eo tempore rariores essent viri docti, qui gregi Christi praeirent, eorum numerum liberalibus suis impensis auxerit.“ Vid. laudatus Hanerus in citata historia sua p. 204..

Paulus de Nádasd, infelicis filii Francisci, qui sub Leopoldo M. supplicio adfectus est, pater, egregius cum dilecta conserte sua, Juditha Révay, veritatis evangelicae confessor. Hic ultra 40. ecclesias in ditionibus suis sustentavit, quas infelix filius Franciscus, post felicem obitum majorum a fide evangelica desciscens, exturbatis ministris evangelicis, romano-catholicis adseruit. Hoc illustr. condam comiti Paulo de Nádasd et dilectae consorti ejus, Judithae Révay, ad laudem satis est, quod sacros Zvonaricsii in evangelia dominicalia, ut vulgo loquimur, sermones juxta cum aliis in forma IV. edi curarint. Dum sacri ejus sermones ederentur, et quidem an. 1627., filius ejus Stephanus fuit czenkiensis concionator, et Georgius Adami Battyányi praeceptor, uti in Commentatione mea de superintendentibus evangelicis commonstravi **). Horum enim studio et industria editio sermonum sacrorum procurata fuit.

Majores illustris gentis **Balassianae** et ante et post confir-

*) Ribaynál a szélen: Prodiit etiam Lipsiae in typographia Abr. Lambergi 1590. cum dedicatione Casparo Magóchy, filio.

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 89. l..

matam publica lege regni religionem protestantibus adhaeserunt, inprimis Stephanus, Sigismundus et Simon sacra evangelica sequuti sunt. Petrus Bornemisza, ante synodum csepreghiensem superintendens evangelicus, circa an. 1581. fuit rárbokiensis pastor et inclytae gentis Balassianae aulicus concionator, qui secundam editionem Explanationum suarum evangeliorum dominicalium non tantum in Detrekő et Rárbok, ejusdem arcis pago, in fol. an. 1584. imprimi curavit, sed etiam sacrum hoc opus magnifico Stephano Balassa de Gyarmath, in Detrekő et Nagy Tapolcsán dedicavit et nostris deditos partibus prolixe collaudavit. Prior operis hujus sacri editio Semptaviae in majori 8. an. 1573. prodierat, Julio a Salmis et Elisabethae Thurzó, conjugi ejus, inscripta. Valentinus Balassa de Gyarmath et in Kékkő dogmata Calvini sequutus est; bellator strenuus et poeta hungaricus ad admirationem svavis, de quo Joh. Rimai in elogiis Cantionibus ejus ecclesiasticis praemissis dixit, quod ad laudem ejus satis est. Conferri potest Czvittingeri Specimen Hungariae litteratae pag. 28. sq..

Talibus jure quodam suo accensendus est **Lazarus Schwendius**, supremus Maximiliani imperatoris copiarum dux, qui antequam in Hungariam duceret exercitum regium, agnita veritate religionis evangelicae et ejus doctrinae, postquam an. 1565. in Hungariam delatus fuisset, rem evangelicorum et consilio et auxilio egregie sustentabat. Perdite in tantum heroem injurius est perversus ille medicus Báchmegyey, qui in Otiis suis, omnium eruditorum sententia revera otiosis, p. 622. sq. non sine calumnia scribit: „eum pertinaciae sectariorum non parum addidisse; sed nec aliter fieri potuisse, quam ut habito tam potenti nutritore, haeresis copiosissime lactata ad giganteam usque molem crederet se excrevisse.“ Dignum otioso medico et veritatis evangelicae desertore judicium, qui saepenumero de praescribendis potionibus medicis cogitans, melius potare, quam de rebus patriae ecclesiasticis judicare didicerat, infelix Forgácsii, Pázmáni, Szentiványii, Szerdahelyii et Timonis expilator, dignus profecto, qui propter convicia in Otiis otiosis in miseros evangelicos pessima fide conjecta et post miserum obitum nigra perfundatur amurca.

§. 3.

Quod ad partes trans Istrum adtinet:
Troes eramus! quando Nádasdya,

Törökiorum, Bánfya, Kérya,
Balassiorum, Zrinyiorum
Gens quando nostris dedita partibus
Splendensque Martis non minus artibus,
Quam dotibus doctae Minervae,
Munificos peperit patronos.

Ita non minus docte, quam eleganter de reformatorum evangelicorum fautoribus cecinit Daniel Haynóczy, condam scholae soproniensis rector longe meritissimus, an. 1747. beate in domino mortuus, in erudita illa epistola, qua Joh. Tóth Sipkovics sacram superintendentis provinciam, eidem collatam, cum omni humanitate venerabatur. Prodiit Halis an. 1742..

De illustri gente **Nádasdyana** scripsit Czvittingerus, sed parce admodum. Dabit se opportunitas, ubi plura de gente illa adferentur.

Inter comites Törökios maxime comes Valentinus Török mihi commendandus est. Is religionem lutheranam professus, constantissime eam tutatus est, inprimis cum ad castra Ferdinandi I. transiisset. Apud eum cum unus omnium gratia maxime floreret et supremus dux copiarum hungaricarum constitueretur, nihil neglexit eorum, quae ad provehendam rem evangelicam pertinere existimabat, exemplo et monitionibus soceri sui, Marci Pemflingeri, comitis ac regii judicis cibiniensium, excitatus. Ille enim unus omnium maxime cavebat, intercessione apud regem facta, ne quid mali evangelicis in Transylvania eveniat, uti Hanerus l. cit. p. 158. adnotavit. Hic cum in Hungariam ad generum suum venisset, in religione evangelica et veritate confirmatus comes Törökius constans veritatis confessor perdurabat et verbi divini ministros evangelicos in ditiones suas inducebat.

De inclyta familia **Bánfy** hoc certissime scio, Franciscum Bánfy de Losoncz, comitis doboczensis, baronis in Hunyad et illustr. principis Transylvaniae consiliarii filium, rectoratum apud vitembergenses an. 1588. gessisse et de universitate illa optime meritum in Hungaria evangelicis ecclesiis optime providisse. Cf. Boernerus l. cit..

De comitibus **Kéryis**, in primis Joh. Kéry, august. imperatoris Ferdinandi III. ad Georgium Rákóczy, Transylvaniae principem, legato, ex ejus manifesto, Cassoviae an. 1644. 29. Martii dato, judicium ferri potest, de quibus, uti Balassiis et Zrinyiis dicentur plura in posterum.

§. 4.

His porro adnumerandi sunt: Stephanus, Casparus et Gabriel Illésházy, Georgius, Stanislaus et Emericus Thurzó, Nicolaus Dersfy, Stephanus, Sigismundus et Emericus Tököly, Petrus de Réva, Moses Sztúnyogh, Jeremias Pongrácz, Theodosius Szirmiensis, Joh. Dávid de Szent Péter, Franciscus Eszterházy et Johannes Hrabovszky, quorum posteriores omnes articulos ven. contubernii trenchiniensis manu et sigillis confirmarunt.

De illustri domo **Illésházyana**, dum religionem evangelicam profiteretur, ejusque profusa benevolentia agere labor foret inexsuperabilis. Stephanus enim Illésházy archiduci austriaco Matthiae et omnibus Hungariae proceribus percarus, sub eodem Matthia II. rege Hungariae prorex factus, veritatis evangelicae fuit amantissimus. Quod autor Palatii regni Hungariae palatinorum in vita ejus p. 85. addit, eum ad insaniam usque Luthero devotum vixisse, criminatio est, pio et liberali homine indigna. Torsit eum sine dubio hoc, quod nullis relictis posteris, Casparum Illésházy, sibi sangvine conjunctum, cum regio consensu heredem scripserit ea cum conditione, ut ejuratis sacris romano-catholicis lutherano-evangelica amplectatur. Quod uti ex vero praestitit, de capitibus religionis evangelicae informatus, ita constantissime eam cum omni pietate retinuit, ecclesiis omnibus et scholis addictissimus. Hunc M. Zacharias Lányi superintendens in praefatione Strigilis Kircheriani, gymnasii banovicensis conditorem et defensorem adpellat, quamvis Stephani dilecta consors, Catharina Pálfy, amplam fundationem in libro memoriali sive protocollo superintendentali consignatam pro schola hac evangelica ordinaverit. De Gabriele, Caspari filio, vid. sect. III. cap. II. §. 4..

De insigni gente **Thurzóiana** et in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria actum fuit, et hic porro in laudem ejus necessum est confiteri:

Haec domus in nostram gestans pia pectora gentem,
Non paucas donavit opes, vasa aurea, fundos,
Unde sacri coetus debitis proventibus aucti.

Georgius Thurzó Hungariae prorex hoc etiam ab iis, qui a religione nostra dissident, commeruit, ut eum autor Palatii regni Hungariae palatinorum domi militiaeque rebus gestis clarissimum adpellet et coronam regni Hungariae annis 58. in oris peregrinis adser-

vatam inter faustas populi adclamationes reduxisse testetur p. 88. et 90.. Hunc cel. condam vitembergensium professor, Jacobus Martini, in Solennibus justis comiti Georgio Thurzó Vitembergae an. 1618. praestitis, cum omni veritate et elegantia ita describit:

Justitia alter Aristides, virtute Metellus,
Eloquio Nestor, religione Numa,
Regis dextra manus, primaria gemma coronae,
Praesidium Phoebi, consilium populi.

Fatis functo prorege, vidua ejus, Elisabetha Czobor, praeter multa alia gymnasium bitschense magno sumptu fovebat, alumnos suos in universitate vitembergensi educabat et quacunque demum poterat ratione, religionem evangelicam sustentabat. Hinc non minus versionem Hodegi Pázmániani, quam oppositum ei Phosphorum Balduini magnis impensis procuravit, uti ipse Balduinus in epistola dedicatoria Phosphoro suo praemissa cum prolixa tantae benevolentiae laudatione haud invitus recognoscit. Stanislaus Thurzó, aeque Hungariae prorex, die 1. Maji an. 1625. aetatis 49. beate in domino mortuus et Leutschoviae in basilica non sine usitata eo tempore hungaris solennitate tumulo illatus, qualis et quantus fuerit, ex epitaphio, quod ei conscriptum est, cognosci potest:

Hac sub rupe jacet Stanislaus Thurzó, secundus
A rege in regno qui reputatus erat.
Pro patria miles, pro justitiaque fidelis,
Nec quod in hoc posset carpere livor habet.

Ut sciant posteri, filius fuit Alexii Thurzó, ex Barbara, celebris illius Hungariae herois, Nicolai Zrinyi, filia genitus. In patria feliciter educatus Strassburgum, et postea ad italos, Paduam, Venetias et Romam experientiae causa missus fuit. Post beatum obitum optimi patris serenissimo archiduci Austriae, Matthiae, illustri Nicolao Istvánfyo et Ludovico Berthóty adhaesit et militiae adscriptus sub archiduce Matthia ad Strigonium, Jaurinum, Canisam, Albamregalem et Budam; sub Maximiliano archiduce ad Vaciam, Keresztes et Hatvanium heroicis virtutibus multis rationibus se distinxit. Anno aetatis 22. duxit in uxorem Annam Rosinam Listhiam, Joh. Listhii liberi baronis filiam, matrimonii foedere an. 1598. consummato sibi adjunctam, ex qua 5. filios et 2. filias suscepit, ex quibus mortuo patre 4. supererant. Filius Stanislaus consentiente rege patri successit et inc. comitatus scepusiensis supremus comes factus est. Pater Stanislaus 3. Junii an. 1622. in proregem Hungariae electus,

pietate, justitia, clementia, veritate et fortitudine se commendavit atque strenuus veritatis evangelicae adsertor Galgóczi ni et alibi scholas excitavit, complures alumnos ad universitates suis stipendiis promovit et hac ratione illustre nomen suum immortalitati consecravit. Huic beate mortuo vidua ejus in hunc modum parentabat:

Charissime et svavissime domine,
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrimosa dies.

Vide de his sermonem funebrem in ejus obitum a M. Petro Zabelero superintendente habitum et an 1626, per Danielem Schultz Cassoviae impressum in IV.. De Emerico, Georgii filio, scripsit in Specimine Hungariae litteratae Czvittingerus p. 384., sed parce admodum et non absque errore. Deerravit bonus vir in eo, quod Emericum 10. Hungariae comitatibus tres superintendentes praefecisse scribat, cum id pater ejus, Georgius Thurzó, Hungariae prorex, antequam Emericus adolevisset, an. 1610. feliciter praestiterit. Emericus an. 1615. Vitembergam delatus, oblatam sibi rectoris academiae provinciam non tantum non detrectavit, sed toti illi celebri universitati cum maxima laude moderabatur, uti confitetur Leonhardus Hutterus in praefatione, quam Irenico vere christiano praemisit. Dum fasces teneret, ex hungaris praeter alios albo academico nomina dederunt: Franciscus Paczoth de Becki, Johannes Osztrosith de Ghiletincz, liber baro in Illava, et Paulus Szenothey, fautores religionis evangelicae multo clarissimi. Tanta fuit comitis Emerici Thurzó in Saxonia existimatio, ut ab ipso electore Saxoniae, Christiano II. in susceptorem fuerit evocatus, quod ipse prorex, comes Georgius Thurzó, in litteris an. 1615. ad superintendentem Eliam Lányi datis, quas possideo, testatum fecit. Laudavit eum, uti meruerat, an. 1620. D. Frid. Balduinus in dedicatione Solidae refutationis catechismi ariani, uti multis aliis nominibus, ita eo inprimis, quod Vitemberga discessurus, nemine monente, Formulae concordiae sponte sua subscripserit et in agnita veritate evangelica constantissime se perseveraturum sanctissime receperit, quod et cum omni pietate praestitit. Hoc triste fuit et peracerbum, quod anno aetatis 24. mori habuerit necessum, heros litteratissimus multo longiore vita dignus, et quemadmodum M. Petrus Zabelerus superintendens in sermone funebri Stanislao Thurzó proregi habito adsignavit, ad omnia summa natus. Sed multo porro tristius, quod aulici eorum concionatoris, rev. Szaladini, praedictionem tristis comprobaverit eventus. Praedixerat

enim, morti vicinus, gentem hanc non tantum a religione evangelica discessuram, sed etiam absque omni posteritate desituram. Neque alias factum est. Nam postquam vivere desiisset insignis ille heros, Emericus, vidua ejus, Catharina Nyáry, sacro matrimonii foedere proregi Hungariae, Nicolao Eszterházy, conjuncta an. 1625. a sacris evangelicis descivit, quam an. 1630. sequuti sunt Adamus et Michael Thurzó. Hinc statim, ac religionem evangelicam ejurarunt, evanuerunt omnes, ne vestigio quidem posteritatis relicto, omnibus latifundiis eorum in alios Hungariae magnates devolutis. Num haec praedictio divino judicio aut casu impleta fuerit? non disputabo. Scimus enim multa praedici, quae casu eveniunt. Addam exemplum, cum ad nos hungaros pertineat, ad omnem posteritatem memorabile. Johannes Jessenius, de quo in Syllabo litteratorum thurocziensium prolixius disserui, non bohemus, ut celeb. D. Wernsdorfius in dissertatione de primordiis emendatae religionis p. 26. existimabat, sed nobilis hungarus de Jessen, ex carcere, ad quem Vindobonae conjectus fuerat, proditurus, parieti inscripsit litteras: I. M. M. M. M., quas cum multi frustra niterentur interpretari, Ferdinandus austrius, postea imperator, rem acu tetigit, ita explicans: Imperator Matthias Mense Martio Morietur, statimque accepta creta subjecit: Jesseni Mentiris Mala Morte Morieris. Quo audito dicebat Jessenius, ut ego mentitus non sum, ita Ferdinandus operam dabit, ne vanus audiat vates. Evenit utrumque. Nam et imperator Matthias mense Martio decessit, et Jessenius post insignem rerum in Bohemia conversionem supplicio est adfectus, *) ut ex Memorabilibus Caroli scribit l. cit. Wernsdorffius; sic uterque aliquid praedixit, quod omnino evenit, sed casu. Daniel Kleschius in dedicatione Inaugurationis sacelli schavnikiensis comites Georgium, Stanislaum et Emericum Thurzó adpellat constantissimos fidei salvificae adsertores et orbis pannonici condam lumina et columnas p. 17..

De **Stephano Tököly** dicam in posterum, id unicum hac opportunitate de Sigismundo adjicio, quod M. Daniel Kleschius in descriptione Inaugurationis templi schavnikiensis p. 17. eum adpellare non metuat „veritatis evangelicae adsertorem, et propugnatorem constantissimum, athletam religionis salvificae zelosissimum,

*) Ribaynál zárjel közt: Taubmannus ante annos novem ei idaedixit. Vid. p. 116..

cultorem veri dei devotissimum, promotorem litterarum et litteratorum munificentissimum, amatorem ordinis ministerialis sincerissimum, dominum ac patronum gratiosissimum," quod ad laudem ejus omnium confessione satis est. Emericus Tököly, patre Stephano de Kesmark et in Árva, inc. comitatuum arvensis et liptoviensis perpetuo supremo comite, matre ex comitibus Gyulaffy natus, dum a primis pueritiae annis ad studia propenderet, ad illustre condam inc. statuum regni Hungariae augustano-evangelicorum gymnasium eperjense ab optimis parentibus an. 1668. *) mense Januario missus, sub institutione Andreae Szántó et D. Samuelis Pomarii, athenaei illius supremi moderatoris, ita profecit, ut anno aetatis 14. eleganter latine loqui potuerit. An. 1669. in publico examine eperjensi, cui et internuncii patris ejus intererant, non sine multorum admiratione commilitones suos examinabat et sequenti statim die in frequentissimo nobilium concursu de veritate religionis disputabat. Dum in praesentissimam patriae spem adolevisset, propter fata patris sui minus propitia solum vertere et adsumpta rustica veste cum Ambrosio Keczer et alio nobili non sine maxima molestia et praesentissimo vitae periculo per confinia regni Poloniae in Transylvaniam ad principem Michaelem Apaffy anno aetatis suae 16. fugere necessum habuit, amplissimis patris sui, interea temporis beate mortui, latifundiis et omnibus, quocunque nomine veniebant, bonis privatus. Hoc ei feliciter evenit quod vix ad principem Apaffyum delatus est, unus ex consangvineis ejus, comes Franciscus Rédey, sine successore mortuus, eum superstes adhuc, ultima voluntate, omnium bonorum suorum heredem constituerit eique comitatum marmarosiensem cum dignitate supremi comitis contulerit. His accessit insignis in Transylvania et superiore Hungaria bonorum portio, quae ad matrem ejus, comitis Gyulaffy filiam, pertinebat, jure hereditario in filium Emericum devoluta. Horum omnium bonorum administrationem an. 1675. adiit et omnium Hungariae comitum ditissimus censebatur. Accidit praeterea, ut an. 1682. Francisci I. Rákóczy, in Transylvania electi, sed a Porta ottomanica rejecti principis viduam, Petri Zrinyi filiam, sacro matrimonii foedere in Munkács sibi conjungeret et hac ratione amplissimis bonis suis multas conjugis suae ditiones potestati suae subjiceret. His accessionibus et blandiente ex omni parte fortuna audacior factus, cum et libertates patriae suae, Hungariae, labefactari et consortes fidei ut quam

*) Ribaynál: 1660.

plurimum premi intelligeret, saepe saepius per internuncios suos patriae et protestantium causa august. imperatorem Leopoldum I. cum omni humilitate interpellavit; sed cum praeter promissiones nihil consequeretur amplius, bellum augustiss. imperatori inferre constituit, quod et intulit, de quo hic loci, cum publica supersint historicorum patriae monumenta, commentari necessum non est. Quantum ad rem evangelicam pertinet, sectione IV. de eo dicturus sum. Conferri in hanc rem potest: Wahrhafte eigentliche Original-Bildnüss Emerici Tököly, quod scriptum prodiit an. 1683. in IV.. Hunc Elias Ladiverus, collegii eperjensis director, in programmate Torcular Engeddi adpellato, quo an. 1683. inspectores collegii et reliquos cives ad publicum examen evocabat, collegii statuum restauratorem et nutricium munificentissimum adpellabat, et quod condam Aurelius Victor de optimo principe Trajano dixit, eum ad restituendas bonas artes coelitus a deo esse missum, id in magnum hunc heroem, nec sine ratione, transferebat. De matre ejus, insigni illa heroina Maria Gyulaffy de Rátót, ad sequuturam posteritatem merito scribi debet, eam post 106. annorum placidissimam quietem sacrilegas militum manus evitare non potuisse. Obierat 29. Nov. an. 1659. *), aetatis 22. et loculo ex singulari stanno anglicano, inaurato, confecto imposita, in templo arcis kesmarkiensis 1. Febr. an. 1660. **) solenniter contumulata ad an. 1766. mensem Septembrem placidissime et absque omni corruptione quievit. Tandem dicto anno miles quidam hungarus in arce deambulans forte fortuna per foramen quodpiam loculum conspiciens, advocatis duobus sociis, nocte concubia, sepulchrum ingressus loculum violat, uniones et reliquas res pretiosissimas sacrilega manu decerpit et cum torquem aureum collo impositum desumere non posset, pretiosum ejus caput infami securi amputat et tam insigni praeda potitus, particulam loculi abscissam judaeo cuidam hundsdorfiensi vendit et ab eodem proditus, convasatis pretiosis rebus, cum unico socio in Poloniam profugit, tertius eorum captus, rem omnem, uti gesta est, detegit. Hinc loculum cum beatissimo et nondum corrupto corpore templo cathedrali, quod pauliniani possident, illatum, omnium, qui volebant, conspectui exponunt, et ad decipiendos homines imaginem crucifixi lateri ejus adponunt, ne evangelici, quorum religioni addicta fuit, partem loculi jure praetendere posse videantur. Cutis cor-

*) Ribaynál: 1660..

**) Ribaynál: 1661..

poris ejus erat nimium alba et multa arte elaboratissimo corio similis, quod complures manibus suis contrectabant. Exangvi corpore honeste sepulto, loculus ille usibus ecclesiae cathedralis adjudicatus fuit. Detestare ergo furentis diaboli astutiam, qui cum fideles domini in vita eludere non possit, post eorum beatum obitum infamiam per satellites suos procurare intendit, ut vel hac ratione puriori religioni maculam adspergat.

Petrum de Réva, illustrem illum comitem, etsi in commentatione mea de Litteratis thuroczienſibus, uti meruerat, laudaverim; hic tamen hoc addendum esse arbitror. Postquam sacram coronam Hungariae a Gabriele Bethlenio, Ecsedini captivam, Trenchinium feliciter reduxisset, ad pedes ejus an. 1622. mortuum, valedictionem, dignam profecto, quae typis imprimatur, eodem anno instituisse et unicum filium suum, Paulum, spiritu prorsus heroico ad omnes, quae illustrem virum commendant, virtutes magna animi contentione cohortatum fuisse. Nam „in deum pietatem, in regem fidelitatem, in regnum publicam utilitatem, in religione evangelica constantiam, inter amicos sinceritatem et in subditos mansvetudinem“ multis ei verbis commendabat. Est mihi haec valedictio, mea profecto sententia cedro digna, quam, nisi destinationes meas inter confertissimos, quibus distentor, labores taedium scriptionis intervertisset, integram adscripsissem, ut vel hoc exemplo proceres Hungariae discant, qua ratione morituri suos deo, regi et patriae commendare necessum habeant. Hic uti deo et regi suo fidelis erat: ita commoda rei evangelicae promovit non parum, quod hic recognoscere opus non est. Certe Petrus noster Commentario suo de sacra regni Hungariae corona meruit omnium sententia laudem ad omnem posteritatem duraturam. Filius ejus unicus, Paulus, si quid divinando adsequor, optimo regi suo apud exteros militare jussus, ibidem vitam cum morte commutavit, quorum memoria et est, et erit ad omnem posteritatem insignis et propter tanta merita ut quam plurimum memorabilis.

SECTIO II.

DE PROGRESSU EMENDATAE RELIGIONIS EVANGELICAE IN HUNGARIA.

§. 1.

Postquam per universam fere Hungariam haud vulgaria religionis lutheranae, non bello, uti quidam comminiscuntur, sed effi-

cacissima verbi divini praedicatione, jacta fuissent fundamenta: dici non potest, quam laetis auctibus invalescebant satis alioquin pressi evangelici. Qui ne a veritate semel agnita desciscerent, Agriam an. 1561. congregati, ad servandam religionem evangelicam jurejurando se obstrinxerunt.

Nemo fere est romano-catholicorum, qui de religione in Hungaria commentati sunt quidpiam, qui non primordia et incrementa religionis evangelicae armis et seditionibus transscribat. Profecto ipsi status et ordines romano-catholici in comitiis soproniensibus an. 1681. ad augustissimum imperatorem Leopoldum in replica, ut vocatur, ad gravamina evangelicorum facta audacter magis, quam ex vero perscripserunt, „religionem evangelicam excitatis intestinis seditionibus, armorum potestate, non efficaci verbi divini praedicatione, sed cruento gladio, etiam a naturalibus nominis christiani hostibus accersito, originem et propagationem sumsisse," quod quam verum sit, cuilibet historiarum perito facile est existimare. Nam circa primordia emendatae religionis, quae ad an. 1521. referuntur, nondum tanti erant lutherano-evangelici, ut ad arma convolare aut moliri quidpiam in regno potuerint. Parabatur miseris a Ludovico II. rege Hungariae rogus, sed non propter arma aut seditionem excitatam, verum propter fidei christianae ex fontibus Israelis genuine explicatam confessionem et a quisquiliis humanarum traditionum repurgatam religionem. Dic si vir es, quis evangelicorum Ludovico II. regi? quis Johanni de Zápolya? quis Ferdinando I.? quis Maximiliano imperatoribus se objecerit? quis armis aut quibuscunque violentis mediis usus est? Nemo unus. Quotquot erant de veritate melius informati ministri, sola informatione, divini verbi diligenti praedicatione et efficacissima ex verbo dei convictione, hominum animos ad cognitionem veritatis et religionis evangelicae permovebant. Huic cum multi nobilium et reliquorum popularium sponte sua et libere accederent, templa, quae eo tempore possidebant, tamquam legitimi possessores et heredes optimo jure retinuerunt, cum ex regula juris in proprio nemo judicetur violentus. Postquam vero sub initium seculi superioris XVII. variis modis, uti ex pacificatione viennensi patet, libertas patriae in secularibus per quosdam romano-catholicos patriae cives laesa fuisset et bellum illius redintegrandae causa exarsisset, quis jure evangelicos accusare potest, quod illa opportunitate usi, liberum religionis exercitium in patria sua a summo magistratu impetraverint? Non enim religionis, sed regionis causa bellum gestum fuit, quod vel hinc confici potest, quia unicus tantum

articulus in negotio religionis conditus est; reliqui omnes ad tutanda avita patriae jura et conservandam pristinam civium Hungariae libertatem pertinebant. Reliqua, quae nobis sine ratione objici solent, bella, Bethlenianum, Rákóczyanum et Tökölyanum, non ad propagandam, sed postquam publica regni lege admissa fuit, defendendam religionem evangelicam dirigebantur, de quibus sectione IV. prolixius commentabor. Quod ad conventum agriensem an. 1561. institutum adtinet, etsi evangelici apud Ferdinandum I. imperatorem tamquam rebelles accusarentur: tamen objectum sibi crimen peculiaribus litteris, communi nomine exaratis, facili opera apud augustissimum imperatorem diluerunt. Conf. Historia diplomatica p. 7. et 8.. Hinc exploratum est non armis, sed praedicatione verbi divini plantatam et propagatam esse in Hungaria religionem evangelicam, teste Erasmo in epistola ad Johannem Henckelium exarata, de qua in superioribus dictum fuit. Mentitur ergo in os suum impostor ille Báchmegyey, qui in Otiis suis pag. 652. comminiscitur, religionis evangelicae ingressum furtim, per multas illicitas vias, factum fuisse et progressum sub continuis fere cladibus et desolationibus, per turcam et nos ipsos causatis, adolevisse. Dignum barbaro homine mendacium.

§. 2.

Increvit autem res evangelica multis oppido auctoramentis. In quibus cum non parum sit, sequuturae posteritatis gratia, potiora justo ordine designanda existimavi.

CAPUT I.

DE MAGNATUM ET ECCLESIASTICORUM AD RELIGIONEM EVANGELICAM ACCESSIONE.

§. 1.

Vix arbitraberis, quam brevi tempore convaluerit in Hungaria religio evangelica, postquam tantum non omnes Hungariae magnates et ex ecclesiasticis romano-catholicis non pauci religionem evangelicam fuissent amplexi.

Longum foret percensere omnes, qui eo tempore ex magnatibus in Hungaria religionem evangelicam professi fuerant, aliquos tamen, ut

sciant posteri, adsignabo. In hunc censum post Gabrielem Perényium referendi sunt: Georgius Rákóczy, comes sárosiensis; Franciscus Batthyányi, comes soproniensis; Nicolaus et Georgius Zrinyi, comites szaladienses; Thomas, Paulus et Franciscus Nádasdy, comites castriferrei; Georgius, Stanislaus, Christophorus et Emericus Thurzó, comites de Bethlenfalva; Franciscus et Petrus de Réva, comites thuroczienses; Stephanus et Gabriel Illésházy, comites trenchinienses; Petrus Forgács de Ghymes; Stephanus Tököly de Kesmark; Thomas et Georgius Szécsy, liberi barones; Nicolaus Bocskay, liber baro in Kövesd; Franciscus Bánfy; Andreas Kapy; Johannes Csetneky; Gabriel Bakos de Osgyán; Ladislaus Barkóczy, vicecomes zempliniensis; Casparus Pethő, capitaneus geszteliensis et plures alii.

Inter ecclesiasticos quoque reperti fuerunt non pauci, qui deliberato animo, relicta religione romano-ca tholica, evangelicis accesserunt Tales inter complures alios erant:

Petrus Paulus Vergerius, justinopolitanus episcopus, quem Matthias Flacius Illiricus in prafaetione Clavi scripturae praemissa, popularem suum adpellat, jam an. 1539. per cardinalem Aleandrum *) haereseos accusatus, an. 1546. sacris evangelicis accessit, a Christophoro, duce würtembergico Tubingam vocatus et sustentatus, vir legum et canonum longe peritissimus, eo nomine inprimis notandus, quod multa pontificiorum arcana detexerit. Vid. Sleidanus lib. XXI. p. 649., ubi longam de ejus conversione narrationem instituit. Hic etsi pontifici fuerit a secretis, non tamen fuit italus, uti M. Dan. Lányi in Ignea veritatis columna, parte generali p. m. 258. existimabat. De fratre ejus, Joh. Baptista Vergerio, episcopo polano, qui aeque sacris evangelicis accesserat, et confestim non sine suspicione veneni mortuus est, legi potest Seckendorf. in Hist. lutheranismi lib. III. sect. XXXIII. §. 29. p. 601. sqq..

Andreas Dióssy, canonicus S. Benedicti, qui die 26. Febr. an. 1616. Bitschae sacra evangelica amplexus est et coram superintendente Elia Lányi aliisque multis confessione edita, minister evangelicus atque demum superintendens factus fuit, de quo in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria plura legi possunt **).

*) Ribaynál: Alexandrum.

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 42. l..

Caspar Fecherus, qui ad multas multorum persvasiones, relicto amplissimo patrimonio, ordinem monasticum ingressus fuit, sed de veritate religionis evangelicae convictus, sponte ordinem suum deseruit et postquam Posonii publice palinodiam cecinisset, a comite Stanislao Thurzó ecclesiae koschensi minister datus fuit.

Casparus Kolarikius relictis sponte sacris romano-catholicis religionem lutherano-evangelicam amplexus est et ecclesiam zsaskoviensem in inc. comitatu arvensi an. 1580. primus repurgavit.

Martinus Prochacius natione bohemus, patria pragensis, ex clerico factus evangelicus, coram superintendente Joachimo Kalinkio an. 1655. *) die Laurentio martyri sacra Illaviae religionem catholicam ejuravit.

Jacobus Franciscus Froncsius **) bohemus, patria curimenus, franciscanus szakolczensis, deposita Galgocii apud M. Danielem Lányi veste monastica, primum Trenchinium ad rev. Jonam Hodikium· dein ad superintendentem Joachimum Kalinkium, postremo Briznam ad Davidem Lányi delatus 27. Sept. an. 1654. sacris romano-catholicis renunciavit.

Andreas Hrusovszky ex monacho ordinis dominicani et sacellano archiepiscopi colocensis an. 1706. mense septembri apud arvenses pastor factus ecclesiae nemestoviensi praefuit et a superintendente M. Stephano Pilarikio, dum ecclesias visitaret, Martinopoli, in inc. comitatu thurocziensi, minister ritu apostolico renunciatus fuit.

Franciscus Josephus de Scharfenstein, praenobilis austriacus angellocellensis, patre Ferdinando Ignatio, matre Rebecca de Küberg natus, postquam studiis Lincii et Viennae operatus fuisset, militiae nomen dedit inc. regimini solariano nomine vexilliferi adscriptus, Cibinii in Transylvania aegerrime constitutus, a PP. Jesuitis multis promissis inductus in Sicilia 17. Septemb. ***) an. 1701. monasterium ingressus est et an. 1706. liberatus Cassoviam venit et deposito habitu monastico, sub colonello Andrea Radics stationem quartiriorum magistri administrabat. Hic cum proderetur, a monachis captus, clam 28. Febr. an. 1707. Ujvarinum ad monasterium missus est. Hinc admirando prorsus modo liberatus, Schemnicium venit et a ven. superintendente M. Stephano Pilarik in fundamentis religionis evangelicae confirmatus, ean-

*) Ribaynál: 1635.

**) Doleschalnál: Fronesius.

***) Ribay- és Doleschalnál: Decembris.

dem in multorum praesentia sponte sua acceptavit et accepta commendatione ad scepusienses delatus, cum sua praeclare faceret, in ecclesia neosylvana seu neuwaldtdorffensi minister constitutus a ven. superintendente Jacobo Zabelero Bartphae 25. Jun. an. 1707. sacris ordinibus initiatus est, uti ipse in matricula superintendentali propria manu consignavit. Quae mutatis rebus evangelicorum in Hungaria ejus conditio fuerit? non potui indagare Ad haec quis hungarorum est, cui ignotus esse possit illustris ille

Alexius liber baro **de Réva**, condam ordinis franciscanorum provinciae S. Mariae in Hungaria praedicator et lector theologus, nec non quardianus et superior nitriensis, qui cum Posonii, in metropoli Hungariae, theologiam doceret, ab archiepiscopo condam strigoniensi Emerico Eszterházy de Galantha censor librorum evangelicorum, qui in tricesimis detinebantur, constitutus, quae mane, ut ipse confitetur, cum Saulo rapuit, vespere cum Paulo divisit spolia et diligentiore eorum lectione ita de veritate evangelica convictus est, ut an. 1751. in Silesiam, et illinc ad saxones concesserit, ibidem sacris evangelicis initiatus. De his consuli potest epistola pastoralis Johannis Josephi e comitibus Trautsohn de Falckenstein, sacri romani imperii principis et archiepiscopi viennensis, quam Alexius de Réva Vitembergae observationibus practicis, moralibus et theologicis secundum veram lucem evangelicam exposuit, enucleavit, illustravit. Prodiit Vitembergae et Servestae ao. 1753. *) in IV.. Evolve, si placet, pag. ejus 24. et 25., ne quid de iis percenseam, qui durante illa divexatione universali, quam alii leopoldinam adpellant, ex Hungaria discedentes, sponte religionem evangelicam acceptarunt, quales erant: Johannes Petrus Heckentheil **), canonicus quinqueecclesiensis, et Michael Welligranth, canicorum prior. Vid. Joh. Fridericus Gauhen l. cit. pag. 14.. His omnibus merito adjungi debet insignis ille

Andreas Dudithius, episcopus quinqueecclesiensis, Budae an. 1533. die 5. Febr. natus. Postquam Patavii studiis humanioribus fuisset operatus, tantam sibi latini sermonis comparavit elegantiam, ut dictionis Tullianae aemulus esse putaretur. Patriae suae Hungariae redditus, primum tiniensis, dein csanadiensis, postremo quinqueecclesiensis episcopus constitutus, multas legationes sub Ferdinando I. magna cum celebritate

*) Ribaynál: 1755.

**) Ribaynál Hecken.

nomínis sui obivit. Concilio tridentino cum Georgio Draskovicsio an. 1562. interfuit et duplici oratione, prima de communione sub utraque specie, altera de sacerdotum conjugio, in eodem concilio habita litterato orbi innotuit. Exploratis omnibus, quae in concilio tridentino mala fide acta sunt, non tantum a religione romano-catholica defecit, sed etiam apologiam et eam quidem prolixiorem ad Maximilianum II., caesarem optimum, scripsit et quod sublesta fide in concilio tridentino omnia acta fuerint, integerrime significavit. Hoc ei in vitio datur, quod in religione fuerit inconstans. Nam postquam romano-catholicos deseruisset, primum reformatis in Polonia, dein fere socinianis, postremo lutheranis accessit et scelestum socinianorum dogma, datis ad Polycarpum Lyserum litteris, sancte ejuravit, Wratislaviae an. 1589. mense Febr. mortuus, cujus epitaphium, quod in templo elisabethano adhuc superest, in Czvittingeri Specimine Hungariae litteratae p. 130. legi potest. Hinc condiscas eum in fide evangelica obiisse, alias apud wratislavienses tam honestum solenneque funus nunquam commeruisset. De reliquis eruditissimi hujus viri fatis videatur Czvittingerus l. cit. pag. 125. ad 134. et Dan. Lányi in Ignea veritatis columna, parte speciali, art. XXIII. p. 976..

Johannes Tordanus monachus religionem evangelicam libere et sua sponte acceptavit et an. 1610. coram superintendente Isaco Abrahamides Hrochotio pristinos errores suos publice in ecclesia bajmoczensi revocavit, uti confitetur superintendens Elias Lányi in epistola ad rev. Stephanum Kruspirium ujhelyensem eodem anno data, quae ad manus est.

His jure meritoque addi potest **Johannes Hustius**, moravus, qui a valdensibus secessione facta, postquam in arce trenchiniensi in dicendis sermonibus sacris operam studiumque suum probavisset, ab illustri domo Illésházyana in aulicum concionatorem vocatus Bitschae 4. oct. an. 1611. ordinatus fuit, uti superintendens Elias Lányi publico testimonio confirmavit.

§. 2.

Haec ita certa sunt et explorata, ut ipse P. Martinus Szentiványi S. J., multitudine scriptorum illustris, haud invitus fateatur, „eo jam ventum fuisse, ut ante introductionem publicarum scholarum societatis Jesu in Hungaria, in toto regno nonnisi tres magnates numerarentur catholici, ex nobilibus autem vix ulli, uti inquit

Stephanus Arator, unus ex primis patribus nationis hungaricae in suis manuscriptis testatur.“

Haec ejus confessio legi potest in Dissertatione paralypomenica rerum memorabilium Hungariae, editionis tyrnaviensis an. 1702. p. 127.. Hanc cum occasione ita postulante adduxisset Joh. Georgius Schreiberus in Descriptione civitatis Modor an. 1719. edita, immerito et temere satis eo nomine eum castigavit Gabriel Szerdahelyi S. J. in Antidoto suo contra venena p. 157., cum Schreiberus hanc Szentiványii confessionem non pro adstruenda religionis evangelicae antiquitate, uti Szerdahelyi mala fide torquet, sed pro declarando felici reformationis successu, in medium adducat, ut vel hoc nomine palam sit, ne adversarios quidem diffiteri, religionis lutheranae negotium laetis in Hungaria successibus invaluisse. Magnus ille veritatis et religionis, quam deseruerat, osor, Báchmegyey, in otiosis illis Otiis suis p. 743., etsi forte noluisset, in haec verba scribit: „Mirabatur sub initium seculi XVI. Hungaria, se lutheranam et calvinianam factam. Non enim populus solum fere universus, sed etiam potior pars magnatum, una cum nobilibus, ac omnibus fere civitatibus liberis regiisque et montanis castra Lutheri vel Calvini sequebantur, tres palatini lutherani in continua serie se excipiebant, imo plenis velis felicium successuum ipse sol blandiebatur sectariis.“ Errat hic turpissime in rebus patriae rudis Báchmegyey, qui tres lutheranos palatinos se continua serie excepisse mentitur, cum Georgio Thurzóni alteri palatino lutherano, an. 1616. in domino mortuo, Sigismundus Forgács, blanditiis Pázmáni Luthero ereptus, adeoque romano-catholicus, an. 1618. sub Ferdinando II. imperatore successor datus sit, cui an. 1621. die 30. Jun. exstincto, omnium sententia et Ferdinandi II. imperatoris confirmatione vir bello et rerum patriae sedula procuratione clarissimus, Stanislaus Thurzó, suffectus est. In hunc perdite injurius est autor Palatii palatinorum regni Hungariae, qui parte II. p. 100. scribit, eum amplissimum palatinatus magistratum secundo suam in familiam non sine justa multorum querimonia intulisse et propter fortunas, quas prope regias possidebat, aliis praeripuisse, quod stultum ejus judicium omnis historicus Hungariae detestatur, imo ipse autor Palatii, priorum scriptorum immemor, sponte confitetur: „Reddita tranquillitate Hungariae, comitia Sopronium convocata palatium Thurzóni dedere, quod triennio fide integra ita custodivit, ut cum regi Ferdinando, tum civibus faceret satis;“ vid. ejus p. 103.,

Non ergo verum est, quod autor Palatii palatinorum scribit, eum non sine justa multorum querimonia supremum magistratum secundo in familiam suam intulisse, cum non tantum communi statuum regni consensu collatus, sed etiam a Ferdinando imperatore confirmatus fuerit supremus ejus in Hungaria magistratus. Quidquid querimoniarum erat, a detestabili odio religionis et invidia derivari debet, cum eum et regi et toti Hungariae ex asse respondisse autor Palatii non potuerit diffiteri. De felici religionis evangelicae propagatione, etsi non, quod romano-catholicis in usu est, absque turpi criminatione, quod mireris, ipse cardinalis Bellarminus in praefatione tomi I. scriptorum suorum diserte fatetur: „Quis ignorat pestem lutheranam, paulo ante exortam, mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad aquilonem et orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse, tum ad occidentem et meridiem pari celeritate delatam, et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse et in Italiam usque penetrasse.“ Vid. Joh. Jacobi Gesneri Romam adversam p. 61. sq., et admirare tantum cardinalem, qualis Bellarminus existimatur, dum sua scriberet, unum jam regnum Pannoniam et Hungariam constituere ignoravisse. Conferri potest Catechismus romanus ex decreto concilii tridentini jussu Pii V. pontificis an. 1723. recusus in formaque 8. editus, in quo pag. 3. scribitur: „Nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus reipublicae christiane angulus inveniri potest, quo haec pestis lutherana occulte irrepere non tentavit.“ Ipsi profecto patres jesuitae tyrnavienses in Compendio archiepiscoporum strigoniensium an. 1752. evulgato pag. 117. confitentur, quod Verantio archiepiscopo superstite censebantur in strigoniensi dioecesi 900. partim abbatiae et praeposituraе, partim paroeciae, quae ritu catholico curabantur, sed Kutassyi archiepiscopi temporibus repertum fuisse, octingentis curionibus romano-catholicis successisse totidem novitiae doctrinae magistros, h. e. ministros evangelicos, unde de felici progressu religionis lutheranae facile arbitreris. Imo jam an. 1538. temporibus Pauli de Várda, metropolitae, praeter eum nonnisi duo reperiebantur consecrati episcopi romano-catholici, Simon Erdődy, zagrabiensis et Stephanus Brodericus, vaciensis. Vide cit. Archiepiscopos p. 102..

§. 3.

Profecto ita creverat numerus lutheranorum in Hungaria, ut jam sub finem seculi XVI. nomine s t a t u s uterentur evangelici, unde pronum est existimare, et multos fuisse et tales, qui inter proceres regni meruerint nominari.

Diu eadem adpellatione s t a t u s utebantur evangelici, uti ex publicis comitiorum actis luculentissime demonstrari potest. Jam ab an. 1687., quo austriacis subjugata est Hungaria, eo ventum est, ut non amplius s t a t u s sed a c a t h o l i c o r u m nomine insigniantur, nulla legum patriae habita ratione. Hinc non sine causa anno quoque 1749. apud clementissimam reginam Mariam Theresiam eo nomine questi sunt nostri in hunc modum: „Gravem porro dolorem et in adflicto statu nostro moerorem in fiducia, quae unica post deum apud thronum clementiae Majestatis Vestrae sacratissimae residua est, exprimere cogimur, quod qui membra coronae, pars statuum et ordinum regni sumus, et cum subjectissimo una nobiscum fideli populo, augustanae et helveticae confessioni addicto, plus quam medietatem regni constituimus, et etiam ideo partem non minorem in Majestate Vestra sacratissima et ejusdem clementia, ita ut populus Israel in domo davidica, habemus, libertatemque conscientiarum et religionis ita qua praeattactis confessionibus addicti habentes, tali etiam constitutionibus regni recepto modo in benignis decretis et intimatis, a Majestate Vestra sacratissima per directum expeditis adpellamur: ab excelso tamen consilo regio locumtenentiali profectae resolutiones alte titulatae Majestatis Vestrae intimantes et aliae expeditiones vix unquam hoc nomine, verum a potiori acatholicorum, nonnunquam etiam sectariorum et haereticorum nos designant, prout id ipsum ex interventis talibus intimatis aliunde in publicum notum esset.“ Videri potest in hanc rem instantia suae majestati sacratissimae an. 1749. a fidelibus subditis augustanae et helveticae confessioni addictis, in regno Hungariae degentibus, porrecta. Sed quam parum valuerit, vel hinc facile est arbitrari, quod etsi sua sacratissima majestas nostros bene sperare jusserit et non sine solatio ab augustissimo throno suo dimiserit; tamen ad hoc usque tempus illa nos compellandi ratio romano-catholicis in usu est. De nomine e v a n g e l i c o r u m nobis ab ipsis etiam romano-catholicis doctoribus adtributo legi potest inter alios M. Daniel Lányi in I g n e a v e r i t a t i s c o l u m n a, parte speciali, p. 3., ubi notavit ad posteritatem, ne ipsum

ven. clerum cum statu romano-catholico seculari, in protestatione sua caesareo-regiae majestati oblata, nos eo nomine dedignatum fuisse. Conferri possunt in hanc rem articuli comitiorum anni 1647. et 1655.. Imo jam an. 1591. evangelici in publicis comitiis se potiorem partem statuum et ordinum adpellabant, uti confitetur autor Otiorum Báchmegyeyanorum p. 625., cum de variis religioni suae illatis injuriis querularentur. Jam an. 1644. die 29. mensis Martii eo nomine questus fuit princeps Georgius Rákóczy in epistola ad Ferdinandum III. data his verbis: „Grave nimis et ignominiosum statui evangelico accidit et hoc inter alia, quod eos contumelioso haereticorum nomine proscindant et quod majus, in constitutionibus regni declaratam et receptam status evangelici denominationem in proxime praeteritis comitiis abrogaverint, longe secus statuto regni et XVII. conditionibus postulantibus. Vid. laudata epistola dicto anno impressa Cassoviae in IV..

CAPUT II.

DE
RELIGIONIS EVANGELICAE PUBLICA CONFIRMATIONE.

§. 1.

Dum ita invalescerent evangelici, ad felicem fortunatumque religionis lutheranae progressum id permultum contulit, quod omnium statuum ordinumque consensu semel atque iterum publica regni lege fuerit confirmata.

Postquam sub Rudolpho II. imperatore an. 1604. in publicis comitiis constitutum fuisset, ut „omnia in negotio religionis ad statum pristinum reducantur," fieri non potuit, quin misere adfligerentur evangelici, etsi articulus ille contra evangelicos extra comitia et sine regnicolarum assensu adjectus fuerit, uti articulo I. pacificationis viennensis legitur et Hieronymus Ortelius augustanus, eximius illis temporibus chronologus, ad annum 1604. mensem Aprilem adnotavit, non prius status et ordines ad postulatas nomine caesareo-regio per Matthiam archiducem contributiones accessisse, quam iis liberum religionis exercitium polliceretur, quod in proxime sequuturis comitiis se sanctissime praestiturum adseverabat. Vid. Ortelii Chronologia parte IV. p. 11. sq.. Sed postquam divexationes increbescerent, Stephanus Bocskay pacificatione viennensi, anno 1606. facta, ita presso statui evangelico providit, ut Rudolphus imperator per Matthiam archiducem Austriae, fratrem et in hac pacificatione vicarium suum sancte fuerit pollicitus,

„se neminem in religione et confessione ejus nusquam et nunquam turbaturum, nec per alios turbari aut impediri permissurum.“ Vid. pacificationis viennensis articulum I., quem juxta cum aliis bona fide recitat Hieronymus Ortelius in Chronologia Hung. p. IV. p. 145. sq.. Subscripserunt pacificationi viennensi cum Matthia archiduce ex utraque parte praecipui Hungariae proceres in hunc modum:

Matthias.

Paulus Trautsohn	Stephanus Illésházy, comes.
Ernestus a Molart	Thomas Erdődy, comes montis Claudii.
Carolus a Lichtenstein.	Georgius Thurzó, comes.
Siegfrid Christophorus Preiner	Sigismundus Forgács, comes.

Confirmavit non minus pacificationem, quam subscriptiones has in arce pragensi d. 6. Aug. an. 1606. augustissimus condam imperator Rudolphus II, cum iis, quorum intererat, hoc modo:

Rudolphus.

Franc. Forgács, episcopus nitriensis, cancellarius.

Tiburtius Himmelreich, secretarius.

Omnia haec legati ad principem Stephanum Bocskay pertulerunt, qui non tantum lubens consensit, sed etiam per litteras ad regnicolas 17. Aug. an. 1606. Cassovia datas se consensisse testatus est. Rudolphus autem imperator omnia, quae in pacificatione viennensi definita erant, evangelicis regni Hungariae civibus peculiari diplomate, Pragae 24. mensis Septembris an. 1606. dato, confirmavit. Subscriptio talis erat

Rudolphus.

Franciscus Nagy-Mihály.

Quia vero clausula viennensis articuli I. „absque tamen praejudicio catholicae romanae religionis,“ quibusdam, nec sine ratione, scrupulum injecerat, archidux Matthias tandem clausulam ad preces regnicolarum in hunc modum explanavit: „Quod vero praedictum paragraphum ultimum concernit, sicut omnia in hoc tractatu bona fide acta fuerunt, ita etiam dictum paragraphum in verbis: ‚absque praejudicio catholicae romanae religionis,‘ usque ad finem non mala fide adjectum esse, sed ut utraque pars in religione, confessione, usu, exercitio et templis non turbetur. In hujus rei testimonium has litteras propria nostra manu subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus. Datum Viennae 25. Sept. an. 1606..

Matthias.

Franciscus Nagy-Mihály.“

Hanc explanationem archiducis in eandem sententiam recitat laudatus Ortelius l. cit. p. 146. et conditione „absque praejudicio catholicae romanae religionis“ nihil aliud designari adserit, quam ne romano-catholici evangelicis et evangelici romano-catholicis infesti sint; sed attributis sibi ecclesiis ab utrinque in pace praesint, ubi pag. 145. et articulum de reducenda veteri religione an. 1604. latum, extra comitia et absque consensu regnicolarum adjectum fuisse confirmat. Huc advertat oculos et animum autor Otiorum Báchmegyeyanorum, infelix ille veritatis amicus, qui profano ore adserere non veretur, articulum pacificationis viennensis nobis usui esse non posse, p. 628., cum in eo adjiciatur: „absque praejudicio catholicae romanae religionis.“ Hinc eum decreto adsimilat, quod statueret, „ut carbo ignitus in cumulo straminis, absque tamen ejus praejudicio, jaceret; ut capra hortum, absque tamen praejudicio caulium, inhabitaret; ut lupus, absque tamen praejudicio ovium, in ovili hospitaretur.“ O insanum caput, terebra perforandum! Si capra et lupus in leges consentire possent et vellent et ex sententia latae legis se reste constringi paterentur et ultra definitum sibi locum, spretis legibus, non progrederentur: cur non absque omni praejudicio caulium et ovium inter eas hospitari possent? Jam omnibus veritatis amantibus exploratum est, non tantum clementissimum regem Rudolphum et archiducem Matthiam in pacificationem viennensem et leges ibi conditas, sed omnes etiam status et ordines regni consensisse easque, adulto in patria nostra more, subscriptione nominum suorum sponte sua confirmasse, atque adeo vi legum ibidem confirmatarum, ad eas sanctissime servandas et nulla ratione violandas constrictos teneri. Hinc perdite in romano-catholicos injurius est autor Otiorum, qui eos igni, capris et lupis adnumerat. Egregium mihi ecclesiae romano-catholicae civium encomium! Deerrant etiam omnes, qui praelatos sive ven. clerum pacificationi viennensi subscripsisse in eandemque consensisse negant, cum ipse Forgácsius, episcopus t. t. nitriensis et regni Hungariae cancellarius augusto nomini imperatorio suum quoque subjecerit et juxta cum reliquis Hungariae proceribus nomine omnium statuum et ordinum regni Hungariae libere et spontanee animoque bene deliberato pacificationem illam inviolabiliter se observaturum receperit, uti totidem verbis in conclusione pacificationis adnotatur. Accedit, quod fundamentalis ille articulus, de libero religionis lutheranae exercitio, in publicis quoque comitiis, sub Matthia II. rege celebratis, non tantum clementissimi regis, sed etiam omnium statuum et ordinum regni con-

sensu confirmatus fuit. Vid. Corpus juris hungarici, inprimis art. I. ante coronationem, in quo status et ordines inc. regni Hungariae deliberarunt, ut exercitium religionis, eam sponte ac libere acceptare volentibus ubique liberum relinquatur, nec quisquam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio a quoquam impediatur. Hoc inaestimabile emendatae et confirmatae religionis evangelicae beneficium tanti fecerunt lutherani, ut ducto a ratione consilio, praesentibus superintendentibus Elia Lányi, Samuele Melikio et Isaco Abrahamide, an. 1617. jubilaeum celebrarint et pro conservata religione evangelica gratias cum omni pietate exsolverint. Dies erat ultimus mensis Octobris, quo Moschoviae, in inc. comitatu thurocziensi, apud ven. Matthiam Lochmannum, contubernii illius seniorem, hac pietate religiosissima defuncti sunt, de quo videri potest Andreas Praganius in Themate seculari Heidelbergae propugnato, ubi praeter multa alia proceres illos Hungariae, qui eam ob causam dies festos egerunt, bona fide percensuit. Frustra ergo est illustris Péterfyus, qui in Conciliis suis sacris part. II. p. 191. sq. scribit: „nomina praelatorum de more, non de consensu ab iis praestito articulis an. 1608. in decreto Matthiae regis adposita fuisse," cum haec distinctio viro theologo et socio Jesu indigna, publico Matthiae II. decreto, in comitiis an. 1606. publicato, rejiciatur. Vid. Corpus juris hungarici ad an. 1608. et conf. Petri Petschii Malleus peniculi papistici pag. 11. sq., ubi articulum an. 1608. in negotio religionis latum egregie vindicavit. Neque hoc cum veritate conciliari potest, statum secularem romano-catholicum pacificationi viennensi contradixisse, cum ipsi diplomati pacificationis, praeter supra adnotatos, subscripserint: Nicolaus Istvánfy, comes Nicolaus de Zrinyio, Johannes et Georgius Keglevics et Emericus Balassa, quos omnes romano-catholicos fuisse constat. Hinc non est mirum, quod libertas religionis per status et ordines regni sanctione pragmatica articulariter an. 1608. stabilita sit. Vid. praefatio art. an. 1608., ubi nulla contradictionis mentio. Si quae fuisset, quod in posterum demonstrabitur, inanem eam esse oportuit, quod ex regula juris patet: Factum protestationi contrarium tollit vim protestationis. Si non poterat ven. clerus impedire libertatem religionis, cum concederetur, jam concessam et legibus regni firmatam ex lege frustra convellere nititur, si legibus per status et ordines regni latis et diplomate regio confirmatis, sua debeat constare autoritas. Ne quid de eo adjiciam, quod Ferdinandus I. imperator liberis regiisque civitatibus in superiori Hun-

garia adhuc an. 1555. liberum religionis evangelicae exercitium indulserit, uti adnotavit Lampe in Historia ecclesiastica p. 107.. Hinc erravit in coelum magnus alias cardinalis Pázmánus, qui teste Balduino in Phosphoro veri catholicismi p. 174., mala fide et non sine mala criminatione in Hodego suo adserit: „in regno Hungariae turcarum et tartarorum armis liberaque haidonum depraedatione lutheristarum et calvinistarum errores libertate donatos esse.“ His similia mendacia adjicit infelix Báchmegyey, qui in Otiis suis p. 652. „ingressum religionis nostrae furtim et per diversas illicitas vias, propagationem vero sub continuis fere cladibus et desolationibus, per turcam et nos causatis, factam esse“ vociferatur. Quid est spuere in coelum et obloqui veritati, si hoc non est? Quod enim indulgentissima regum, Rudolphi et Matthiae II. voluntate et libero totius regni consensu factum est, id turcis tartarisque perperam adscribitur, nisi quis in coronata illa capita, leges regni et omnes Hungariae proceres perdite injurius esse voluerit. Nos de Rudolpho et Matthia II. rege id profiteri necessum habemus, quod Virgilius Maro de Saturno professus fuit:

Aureus hanc vitam in terris Rudolphus agebat,
Aureaque, ut perhibent, sub rege utroque fuere
Secula,

quod de posterioribus regiminis Rudolphi annis intelligi debet, cum prioribus, uti visuri sumus, vel maxime infestus fuerit evangelicis. Sequutam felicitatem evangelicorum intervertere conatus est Melchior Cleselius, summus viennensium episcopus et neostadiensis episcopatus administrator, qui Pázmáno archiepiscopatum strigoniensem, Pázmánus autem Cleselio pileum cardinalitium impetravit. Dum enim Matthias archidux Austriae et a Rudolpho II. imperatore constitutus confoederationis, an. 1606. initae Viennae, supremus administrator ex Cleselio quaesivisset, num exigente ita necessitate plures religiones admitti possint in regno Hungariae? profano scripto ad eum misso edixit, „id salva sancta *) justitia, salvo officio salvatoris nostri, et salva conscientia admitti non posse.“ Hoc crudum consilium crudi Cleselii Matthias II. uti parum aestimavit, ita sitientem sangvinis lutherani D. Polycarpus Lyserus multis rationibus felicissime confutavit. Vid. Cleselii Ausführlich Bedencken an. 1609. et Polycarpi Lyseri judicium von dieses des Melchioris Cleselii Bedencken, utrumque

*) Ribaynál: summa.

an. 1609. impressum. Uti Cleselius multis argumentis victus erat: ita elaborante Taubmanno Clesel 150. asinis Romam Dresda proficisci habuit necessum, in sangvinem Hungariae evangelicorum ut quam plurimum injurius.

§. 2.

Hanc libertatem, publica regni lege adfirmatam, sequuta fuit desideratissima a jurisdictione episcoporum romano-catholicorum exemtio. In publicis enim anni 1608. comitiis articulo 1. ante coronationem, ad praecavenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet religio suae professionis superiores seu superintendentes habeat, statutum est.

Quamprimum confirmatae religioni lutheranae superintendentes admissi fuissent, nutabat jurisdictio episcoporum romano-catholicorum non parum. Etsi enim et post emendata jam sacra ad annum fere 1610. inter evangelicos jurisdictione sua usi sint, cum et ecclesias pro lubitu visitarent, et seniores sive vicearchidiaconos apud evangelicos constituerent, casus matrimoniales et quoscunque alios ex suo arbitrio deciderent, et pecuniam a singulis cathedris strictissime *) exigerent: admissis tamen superioribus evangelici in Hungaria, ad normam transactionis passaviensis an. 1552. initae, jugum illud excusserunt et jus suum episcopale per superintendentes et consistoria libere administrarunt, neque jurisdictioni eorum ecclesiasticae in causis, ut vocantur, spiritualibus aut ordinationibus ministrorum amplius subesse voluerunt, sed alios Vitembergae in Saxonia **), alios Graetii in Styria, in Transylvania alios, inprimis autem Brigae in Silesia ordinari curarunt. Certe inclinante seculo XVI. complures ex Hungaria ad suscipiendos sacros ordines Brigam commeabant, et sub patrocinio illustrissimi principis Silesiae, Georgii, ministerio M. Laurentii Starck, illustris aulae brigensis pastoris et superintendentis, ad obeundum rite ministerium ritu apostolico consecrabantur. Est mihi testimonium reverendo condam Andreae Carbonario, in diaconum ecclesiae vallensis vocato et praesentibus omnibus ministris brigensibus a dicto Starckio ordinato, an. 1586. die 14. Febr. exhibitum, ex quo luculentissime elucescit, non paucos Hungariae filios ibidem fuisse sacris ordinibus initiatos. Hic optimus vir an. 1610. synodo solnensi qua minister martinopolitanus

*) Doleschalnál: usitato more.

**) Ribaynál a szélen: et Pragae.

cum reverendo Georgio Smidelio, S. Helenae pastore, interfuit. Eo jam ventum erat, ut post pacem religiosam augustanam, a Ferdinando rege, caesaris Caroli V. locumtenente, die 25. Sept. an. 1555. confirmatam, in universis provinciis caesareis etiam episcopis, praelatis et clericis, religionem evangelicam amplecti fuerit permissum, eo tamen reservato ecclesiastico, ut si quis archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et clericorum a pontificia religione ad lutheranam secederet, ei quidem illud salva fama et existimatione sua liceret, ita tamen, ut beneficio pristino ecclesiastico una cum fructibus et reditibus omnibus confestim excideret, principe quodam pontificio palam tum adseverante, talem autonomiam velle ecclesiasticis permittere, ut religione mutata retineant tamen beneficia, nihil aliud esse, quam novaculam acutam admovere gutturi pontificiae religionis. Nostri quidem ex officio per legem intercesserunt, nec in appendicem illam unquam consenserunt, cum et clericos et subditos suos a suscipienda religione evangelica hac ratione arceri arbitrarentur: sed cum valida clericorum contradictione pressi, nihil efficere potuerunt, soli deo negotium hoc commiserunt. Vide supplicationes statuum plures Wegen der Geistlichen Freistellung in Berichte und Wiederlegung von deutschen Interim Doct. Schlisburgii p. 330.—374., uti et alios, quos notavit Samuel Pomarius in saepius jam laudata praefatione Hexadi disputationum theologicarum de natura peccati originalis praemissa. Ab anno tandem 1610. constituti superintendentes omnibus legitime ad ministerium vocatis domi in Hungaria sacros ordines conferebant, quamvis majoris experientiae causa liberum fuerit cum consensu ordinarii superintendentis apud exteros initiari. Vide Acta synodi solnensis, recusa ibidem an. 1708. in IV. §. VII.. Torsit hoc non parum cardinalem Franciscum Forgács, archiepiscopum strigoniensem, quod ex Contradictione ejus synodo solnensi opposita intelligi potest, in qua tria evangelicis objiciebat, „quod illegitime in ea superintendentes creaverint, ad multiplicia errorum portenta ministros obligaverint et jus alienum temere usurpaverint;“ sed illust. cardinali in Apologia ejusdem synodi per nostros conscripta et an. 1612. publici juris facta ingenue satisfactum fuit. Conf. Petri Petschii, ministri freywaldensis, Malleus peniculi papistici adversus apologiam solnensis synodi editi p. 95. sq.. Jurisdictionem hanc suam in ministros evangelicos contra omne jus et fas redintegrare nitebatur ven. clerus an.

1721. occasione Commissionis pesthiensis, non alio fine, quam ut judiciis suis ministros evangelicos, experientia teste, frequenter convincendo et tali modo liberi religionis exercitii usum convellendo, praeconceptam evangelicorum eliminationem eo citius adsequi posset, cum tamen vi Tit. IV. Prologialis judicis officium sit, neutri parti favere et neminem odio prosequi, quod a sacra illa, uti adpellatur, sede praestari non posse et votum ven. cleri et acta ejus in Commissione pesthiensi evidentissime docent. Praeterea media processus sacrae sedis religioni nostrae contraria sunt, cum inquisitiones per solum clerum peragantur et advocati, nisi decretale jusjurandum per sanctos deponant, agere non possint. Hinc evangelici legitimis defensionis mediis contra jus naturae privarentur. Ad haec ven. clerus ministros evangelicos pro laicis reputat, adeoque respectu functionum ministerii ut clericos neque in jus trahere, nec judicare potest, et quia evangelicos membra ecclesiae suae esse non posse palam confitetur, in eos jurisdictionem suam extendere et exercere salva veritate nequit, cum juxta regulam juris 170. factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non sit. Accedit, nullibi, ubi religio evangelica publica lege recepta est, ministros evangelicos cleri romano-catholici foro subjacere et adversae religionis superiorum jurisdictioni subesse. Hoc etsi agentes evangelici tempore Commissionis pesthiensis totidem fere verbis evidentissime demonstrarint: fieri tamen non potuit, quin august. condam imperator Carolus VI. in benigna resolutione sua, etsi ministros protestantium a jurisdictione sacrae sedis exemerit, visitationem tamen ecclesiarum, quoad baptismum, episcopis romano-catholicis concesserit et causas matrimoniales juxta principia articulorum augustanae et helveticae confessionis in sacra sede examinare praeceperit, quamvis jurisdictionem quoad causarum matrimonialium revisionem evangelicis in usu fuisse ipsi status et ordines regni recognoverint, dum in comitiis publicis an. 1647. celebratis art. 15. in matrimonialibus in usu consveto eos permanere debere constituerint. Ante benignam Caroli VI. resolutionem hoc archidiaconis romano-catholicis facere integrum non fuit. Nam etsi adhuc sub Ferdinando III. imperatore visitationem peragere voluerit Stephanus Mihályi, archidiaconus gömöriensis, an. 1639. et sub Carolo VI. idem tentavit in inc. comitatu gömöriensi an. 1713. Johannes Kiss, canonicus strigoniensis et archidiaconus tornensis, ad ecclesias tamen augustanae et helveticae confessioni addictas admissi non sunt. Post benignam resolutionem carolinam nemo unus erat, qui man-

dato regio contradicere fuerit ausus. In resolutione enim carolina puncto V. constitutum est, „ut ministri acatholicorum in hoc duntaxat, ut constet, num ejusmodi ministri suos rite baptisent, seu ad valide baptisandum sufficienter instructi sint, etiam visitationi archidiaconorum catholicorum subesse teneantur.“ Hanc constitutionem regiam ven. clerus, non minus autoritati, quam utilitati suae deserviturum, ita diligenter observabat, ut annis statim sequentibus omnes ecclesias evangelicorum et calvinianorum autoritate regia et mandato archiepiscopi strigoniensis, Emerici e comitibus Eszterházy, visitarit. Ad inc. comitatum gömöriensem peragendae visitationis gratia missus erat reverendissimus dominus Johannes Illés, archidiaconus, qui an. 1733. adjunctis sibi duobus plebanis et clerico Téglási *), officio notarii defuncto, duobusque viris politicis, omnes ecclesias adibat, ministros evangelicos in articulo de baptismo breviter explorabat, aedificia templorum et paroeciarum, sacram supellectilem et quae huc pertinent, perlustrabat proventusque templorum, ministrorum et rectorum conscribebat, vir ad omnem humanitatem comparatus, sed admodum aeger, continuato visitationis negotio, in itinere, quod Tyrnaviam versus susceperat, fatis functus. Quieverant per annos fere viginti a talibus visitationibus evangelici; sed postquam an. 1751. indulgentia clementissimae reginae Mariae Theresiae Nicolaus e comitibus Csáky archiepiscopus strigoniensis, sacri romani imperii princeps et primas regni Hungariae fuisset designatus et anno sequente consveto more inauguratus, statim post solennem inaugurationem suam, quod a memoria hominum factum non fuisse annales loquuntur, ipse inc. comitatum sárosiensem, scepusiensem, gömöriensem et plures alios adibat, qua ipse, qua per canonicos suos, comitem Eszterházy, comitem de Réva et alios visitabat. Ad inc. comitatum gömöriensem d. 17. Aug. an. 1753. delatus et ab inc. nobilitate pro eo, ac meruerat, acceptus, 21. ejusdem mensis cum splendido comitatu Rosnaviam ingressus est, ibidem, tanquam in archiepiscopali oppido suo, de sequutura ecclesiarum visitatione dispositurus. Vix ibidem quieverat, visitatores suos, illustr. praepositum Georgium Molnár, reverendiss. Michaelem Okolicsányi canonicum scepusiensem et unicum ex S. J. theologum, patrem Hlinej **) ad visitandas ecclesias dimisit, qui per vallem rosnaviensem Topscham ascendentes, ministros evangelicos topschensem, felső sa-

*) Ribaynál: Telgasi.

**) Ribaynál: Hlinyi.

jóiensem, oláhpatakiensem, alsó sajóiensem et kobellarensem Topschae in articulo de baptismo examinarunt. Hinc Csetnekinum delati ministrum loci cum nagy szlabosensi, ochtinensi, rostariensi, kún taploczensi et rozlozsnensi examini subjecerunt atque Alnoviam versus Röczam venientes, rever. bisztrensem eo citatum et 31. Aug. examinatum in pace dimiserunt. Alnoviam reduces versus Süvete et Rákos 2. Sept. Ratkoviam venerunt et me cum ministro ribnicensi, paucissimis propositis quaestionibus, in momento absolverunt atque non sine contestatione humanitatis Kövinium, ubi pransi sunt, absque cunctatione abierunt. Hinc per Dereske 3. Sept. Harkácsinum, atque demum Balogino ad Feled delati, ministros evangelicos padariensem, budikfalvensem et derencsiensem explorarunt, postquam gömöriensem et gömörpanithensem, cum quibusdam ministris calvinianis, Pelsőczini examinavissent. Rever. bradnensis et kietensis tanquam longius remoti in tuto relicti sunt. Quaestiones, ut sciant posteri, quae a visitatoribus ministris evangelicis et calvinianis proponebantur, non tamen omnes omnibus, neque ubique, quod experiendo didici, fuerunt sequentes:

1.) Quae est materia baptismi?

2.) In quo consistat forma baptismi?

3.) Num baptismus ab obstetricibus in casu necessitatis administratus sit validus?

4.) Num obstetrices adjuratae et ad baptisandum in casu necessitatis bene informatae habeantur?

5.) Num obstetrix, si infans vivus sit, neque in lucem prodire queat, propendens ex utero matris membrum baptisare teneatur?

6.) Num validus sit baptismus, si minister ex suggestu dicat ego te baptiso in nomine etc., alter sub suggestu conspergat infantem aqua? *) Id enim apud calvinianos evenisse adfirmabant visitatores.

7.) Num infantes, qui mortui nascuntur, cum solennibus ceremoniis et ubi sepeliantur?

8.) Num feriae decretales promulgentur?

9.) Num neosponsi tribus distinctis vicibus ex cathedra in facie ecclesiae ante copulam soleant promulgari?

10.) Num et quot habeant filiales?

11.) Num in ecclesia inveniantur catholici?

His omnibus absolvebatur visitatio. Hoc ad posteritatem scribi debet,

*) E kérdés Ribaynál csak igy van fogalmazva: Num validus sit baptismus, si minister ex suggestu conspergat infantem aqua?

dominos visitatores omnem, quae desiderari potuit, humanitatem ministris evangelicis eorumque auditoribus declaravisse; sed neque in nobis aut auditoribus nostris desiderari potuit quidquam. Nam advenientibus omnem observantiam testabantur et discedentes pari ratione, addita etiam ipso opere grati animi testificatione, comitabantur. Post haec an. 1760. ex mandato, ut dicebatur, superiorum, reverendiss. vicearchidiaconus gömöriensis, plebanus jolsvensis, Christianus Pstruha cum rev. Francisco Szadeczky*), plebano rákosiensi, jam pohorellensi, ecclesias percurrebat et pro consveto more proventus ecclesiarum et ministrorum conscribebat. Haec etiam visitatio ita decurrit, ut nulla nobis querulandi relicta fuerit necessitas. Multo hae modestiores fuerunt visitationes, quam illae, quae sub primordiis emendatae religionis evangelicae in Hungaria per archidiaconos instituebantur. Illi enim „omnis aequitatis obliti non modo injurias et contumelias a miseris ministris non depellebant, sed etiam ipsi injurias et contumelias conduplicabant, ordinationem eorum una cum ipsa doctrina probrosis criminationibus exagitabant, conjugium, uxores et liberos eorum illegitimos esse clamabant et adigebant ad ea suscipienda, a quibus pietas et conscientia abhorrebat, renuentibus vincula, carceres, ignes minitabantur, nec nisi aureis vel argenteis lacrymis placabantur. Si quis eorum auxilium implorabat, sannis delusum judicias dimittebant aut in nervum compingebant et subsidiis ad vitam agendam pertinentibus privabant," quod uti experiendo didicit, ita optima fide posteritatis gratia percensuit Petrus Petschius in Malleo peniculi papistici an. 1612. editi p. 96. et non sine ratione judicavit, pro tali officii administratione censum archidiaconis romano-catholicis non deberi, p. 97.. Elaborabant enim etiam post confirmatos superintendentes nostros archidiaconi, ut quotannis cathedratico a ministris nostris potiantur. Hinc Matthias Bornay, vicearchidiaconus nagy honthensis, sequentem dedit ad ven. contubernii illius ministros evangelicos epistolam:

Reverendi, Honorabiles in Christo Domino Fratres!

Salutem a Salvatore nobis nato cum felici exordio hujus novi anni precatus, servitia sua humillima promittens.

Officii mihi commissi necessitas porrigit, ut toties Dominationes Vestras, etsi invitus, scriptis meis molestem. Mandatum Suae Majestatis, Domini clementissimi, accepi, mediante Admodum Venerando

*) Ribaynál: Radeczky.

Domino Andrea Kerpetzit, canonico Almae Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis et Archidiacono Comitatus utriusque, Majoris et Minoris, Honthensis. Quod quia idem Superior noster ob certam quandam Ven. Capituli legationem, more solito, in persona coronae Fratrum pro nunc praesentare non poterat, mihi serio demandavit, ut ego Dominationibus Vris Rdis, data occasione, sine mora proponerem, quatenus intelligant S. Reg. Mattis voluntatem et sciant, qualem et cui superiori suo debeant praestare obedientiam, taxam, census et id genus alia, antiquitus a Sanctis sancita Regibus, contribuere. Quare Rndas Dnaones Vestras monitas volo, censum Cathedraticum prae manibus habeant et quacunque hora requisitae fuerint, sive singilatim in propriis domiciliis, sive certo assignato loco, sint ad deponendum paratae. Dnus Rev. Parochus Semberiensis, qui hucusque vices Intendentis gessit, dabit operam, ut sermonem mittat ad suos, sic sese accommodent *), ne quispiam eorum per aliquam levitatem aut contumaciam incidat in crimen laesae Majestatis, suos quoque auditores de mandato certificabunt. Valeant in Domino et floreant. Dabam in Németh juxta Szebekléb 19. **) Jan. an. 1616.

Matth. Bornay
Parochus in Németh et V. Archidiac.
Comitatus Nagy-Honthensis.

Has postquam legisset ven. condam Christophorus Leczkovius, semberiensis evang. pastor et ven. contubernii nagy honthensis senior, datis 29. Jan. an. 1616. ad rev. fratres litteris, omnes graviter commonuit, ne quis Bornayo aut cuipiam alteri censum cathedraticum, praeter ordinarium superintendentem suum, exsolvere audeat, nisi gravem mulctam et notam infidelitatis incurrere velit, ne forte hac ratione semel jugo liberati iterum nos subjugare patiamur. Nec alias, ac senior volebat, cessit negotium. Fratres enim exaratis communi nomine ad Bornayum litteris, simpliciter se censum amplius soluturos negarunt et non alteri, quam superintendenti suo exhibituros adseverarunt, monueruntque Bornayum, ne in monendis fratribus et reposcendo ab iis solito censu cathedratico, alium magistratum concernente, amplius desudet. Hoc in aliis quoque ven. contuberniis augustiss. regum Rudolphi et Matthiae II. temporibus eodem cum successu factum fuisse omnes scimus et deum im-

*) Ribaynál: commendent.

**) Ribaynál: 14.

mortalem religiosissime adoramus, quod singulari sua bonitate nos a talibus divexationibus liberaverit et adhuc tutos praestet, et ardentissime precamur, ne nos amplius subjugari patiatur.

CAPUT III.

DE
FREQUENTI SYNODORUM CONVOCATIONE.

Ne autem constabilita religionis lutheràno-evangelicae libertas pessum eat, variis synodorum constitutionibus provisum fuit.

Facile admodum hoc labore supersedere potuissem, si Synodologia Jacobi Zabeleri superintendentis, quam eum in manuscripto reliquisse celeb. Johannes Rezikius omni exceptione major testis est, haberi potuisset; sed divinando adsequor, quod Historiae ecclesiasticae Burianae evenit, idem Synodologiae Zabelerianae factum esse, quam Thorunii blattis et tineis corrumpendam reliquerat filius, non satis aequus magni patris doctissimorum laborum aestimator. Ego hac vice nolo percensere omnes synodos, quae mihi in diversis Hungariae partibus ab evangelicis habitae innotuerunt, illas tantum hic attigisse, quae aut sub primordiis emendatae religionis, aut post ejus confirmationem celebratae ad felicissimum ejus progressum non parum contulerunt, aequum esse existimavi. De synodo erdődiana dictum est in superioribus. Conf. sect. I. cap. II. §. 2.. *) Huc retuleris conven-

*) Doleschalnál itt következők olvashatók: Anno item 1554. feria tertia ante dominicam Palmarum celebratur synodus Óvárini ad Samosium, inter Szathmár et Csenger, in qua, ut Hanerus memoriae prodidit, 89. pastores articulum de s. coena secundum Lutheri sententiam adprobarunt. Item cum Lucas Agriensis, famosus in Hungaria Socini adsecla, dogmata sua passim propalaret, Lazarus Schwendi, ministris ecclesiarum Cassoviam synodum indixit pro die 26. Jan. 1566., in qua non modo ad propositiones Lucae responsum est, sed etiam edita confessio illius doctrinae contraria, cui omnes ministri superioris Hungariae subscripsere. Nomina eorum praecipua erant: Thomas Hilarius, m. e. cassoviensis; Johannes Vitus Balsaratius M. doctor spectabilis ac magnifici dni Gabrielis Perényi, postea vero pastor ecclesiae liscensis et patakinae; Franciscus Czeglédi, pastor ecsediensis et senior comitatus zempliniensis; Basilius Szikszay, rector scholae patakinae; Demetrius Zétsy; Benedictus Illosvay; Benedictus Belsius; Johannes Seyder, bartphensis; Valentinus Megertinus, cibiniensis; Antonius Platner; Johannes Lemmha-

tum illum agriensem, in quo evangelici propter divexationes, quas sub Johanne de Zápolya et Ferdinando I. imperatore tolerare necessum habuerunt, an. 1561. congregati constantiam in religione professi sunt, *) de quo in antecedentibus jam dictum est; sect. II. §. 1.. De synodo csepregiensi an. 1590. celebrata, alibi commodior dicendi erit modus. Bono jure huic adjungi potest synodus leutschoviensis an. 1597. instituta, in qua praesente Alberto Gravero non tantum veritas religionis evangelicae confirmata et Formula Concordiae adprobata fuit; sed etiam M. Antonius Platnerus, pastor leutschoviensis, a M. Johanne Rhaw, rectore, calvinismi convictus, resipuit, constans in posterum augustanae confessionis adsertor. Consulatur Leonhardi Hutteri Concordia concors p. 1409.. Vix ulla synodus ad provehendam religionis lutheranae felicitatem sive commodior, sive utilior fuit solnensi, mense Martio an. 1610. sub praesidio proregis Hungariae, comitis Georgii Thurzó, in magna virorum utriusque ordinis frequentia celebrata et non minus a cardinali Francisco Forgács, cardinali Pázmáno, quam nuper a Carolo Péterfyo, S. J., exagitata. Forgácsius enim in contradictione sua synodo huic opposita coitionem quandam, conventiculum, conciliabulum et pseudosynodum eam nominavit; Péterfyus autem in Conciliis suis part. II. p. 194. conciliabulum, forum scrutarium, confabulationem et pag. 219. solennes solnensium nundinas profano ore adpellare veritus non fuit.

---

merus; Johannes Sincerus; Valentinus Megander; Cyriacus Koch; Benedictus Labassy; Theodorus Montanus; Johannes Tsutyássy, miskolczinus; Gregorius Liptoviensis; Cyprianus Ostmucensis; Matthias Scholczi; Briccius Corámiensis; Antonius Herni; Casparus Carosinus; Georgius Fabricius; Franciscus Futaki; Stephanus Galata; Franciscus Balogdi; Michael Hevessy, pastor et senior miskolczensis; Gregorius Szikszay; Nicolaus Károlyi; Franciscus Strigoniensis; Johannes Szecsemssy: Demetrius Unghváry; Andreas Salanky; Thomas Fabry; Richardus Kapsius; Johannes Tsergey; Michael Moszius; Matthaeus Almássy; Blasius Bitrary; Daniel Török; Johannes Belsius; Petrus Gorczky; Matthaeus, judex cibiniensis; Josephus Graiphen Seincholt. Schwendius tum Lucam Agriensem carceri inclusit et per quinquennium detinuit, qua poena ad sanitatem revocatus est, quod patet ex reversalibus an. 1573. datis, quibus omnes Socini errores revocat.

*) Doles chalnál: ad servandam constanter religionem lutheranam jurejurando se obstrinxerunt et suspicionem, in quam apud Ferdinandum inciderunt, peculiari scripto diluerunt; vid. Historia diplomatica p. 7. sq..

Uterque horum, ne quid de Pázmáno addam, inprimis vero Péterfyus, omnis humanitatis et sacrarum patriae legum oblitus, in miseros lutheranos perdite injurius est; quem tamen ex vero ad Caucasum usque cum ejus asciis, telis et ensibus profligavit in Lineamentis suis cl. Rotarides p. 96. sq.. Huc pertinet synodus szepesvárallyensis, an. 1614. sub directione comitis Christophori Thurzó mense Januario instituta, cujus ut et solnensis acta et conclusiones semel atque iterum impressae legi possunt *). His addi possunt, quae in Commentatione mea desuperintendentibus evangelicis in hac materia scripta sunt **). Est mihi in manuscripto series synodorum celebratarum ab an. 1546. in quinque liberis regiisque civitatibus et oppido Sáros, a M. Casparo Lehmanno, consulari cassoviensi, conscripta, quarum tabellam hic adscribendam constitueram; sed cum praeter notationem annorum, dierum, loci et nominum nihil fere contineat amplius et a sacra veritatis linea non raro declinet, talibus benevolum lectorem fatigare aequum esse non existimavi. Adnotat inter reliqua an. 1564. in synodo Bartphae die 7. et 8. Junii celebrata primum perlectam fuisse confessionem quinque liberarum civitatum et adjicit: an. 1560. Ferdinando imperatori et archiepiscopo strigoniensi, Antonio Verantio, exhibitam fuisse quinque liberarum civitatum confessionem et adprobatam, cui omnes legati subscripsere. Sed multo est aliter. Nam confessio illa Ferdinando I. oblata est an. 1549., quod luculentissime docuit Samuel Pomarius, athenaei eperjensis an. 1549. supremus director, in praefatione Disputationibus theologicis de natura peccati originalis praemissa. Confer, si placet, Leonhardum Hutterum in Concordia concorde cap. 53. p. 1382., ubi ex synodo eperjensi anni 1593. id ipsum clarissime demonstravit. Hinc confessionem quinque liberarum civitatum in superiori Hungaria an. 1560. Bartphae in synodo praelectam et a legatis adprobatam fuisse largior; sed eam Ferdinando imperatori an. 1549. oblatam esse exploratum habeo, alias ante cognitam confessionem liberis illis civitatibus an. 1555. liberum religionis exercitium non indulsisset, id autem factum fuisse facili admodum negotio confirmari potest ex actis synodalibus liberarum regiarumque civitatum superioris Hun-

*) Legujabban kiadta Szeberinyi János, bányakerületi superintendens, is e czimü munkájában: Corpus maxime memorabilium synodorum evangelicarum augustanae confessionis in Hungaria. Pesthini, 1848..

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 6.—7. ll.

gariae, inprimis synodo eperjensi an. 1656. d. 15., 16., 17. Maji sub praesidio Martini Wagneri, pastoris bartphensis et quinque liberarum regiarumque civitatum superintendentis, celebrata, et ex synodo cassoviensi d. 6., 7., 8., 9. mensis Martii an. 1668. per Michaelem Liefmannum, pastorem cassoviensem et superintendentem, convocata. In utraque primum et ante omnia in praesentia virorum clarissimorum et magna frequentia politicorum praelegebatur confessio civitatum Ferdinando I. imperatori, uti ipsi confitentur, an. 1549. oblata. Addebatur huic praelectio diplomatis majoris et minoris Thurzóniani, quo superintendentum constitutio liberis civitatibus vigore constitutionum regni et autoritate palatini Georgii Thurzó plenissime roborabatur, uti confitetur celeb. Pomarius, qui synodo cassoviensi interfuit. De synodo rosenbergensi an. 1707. celebrata in posterum dicetur, quamvis de ea prolixius commentari necessum non sit, cum eam publica regni lege an. 1715. sublatam esse sciamus. De hac non nemo audacter magis, quam ingenue dixit:

Quid synodus? nodus. Fratrum chorus integer? aeger.
Conventus? ventus. Sessio? stramen. Amen.

Multi sunt, qui opinantur, carmen hoc in synodum illam rosenbergensem primum confectum fuisse; sed falluntur non parum, cum multis annis prius in Polonia natum fuerit. Cum enim an. 1645. Wladislaus rex Poloniae de conciliandis in religione dissidiis consilia agitaret, colloquium indixit Thorunii, evocatis ad colloquendum pontificiis, lutheranis et calvinianis theologis, postquam pontificii infallibilem sibi quaestiones decidendi potestatem arrogavissent, colloquium omni fructu et utilitate destituebatur. Hinc eo tempore enatum fuit hoc carmen ad conventum rosenbergensem adcommodatum. Vid. Historica deductio colloquii thoruniensis. De speciali conventu cseriensi, quem illustriss. condam liber baro Joh. Godofr. de Hellenbach 28. Maji an. 1704. post diuturnum superintendentis Georgii Zabojnikii obitum, ad redintegrandum in illo districtu ordinem instituit, in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum prolixius percensui *). Intererant illi conventui cseriensi: ex montanis: ven. Jacobus Zabelerus jun., eo tempore verbi divini minister schemniczіensis; ex inc. comitatu honthensi: rev. Petrus Rosziar dacsolomensis, ejusdem ven. contubernii senior, rev. Johannes Valen-

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 97. l..

tini bathensis, contubernii notarius, Johannes Fabritius teszíriensis, ven. contubernii orator; ex inc. comitatu neogradiensi: ven. Georgius Lovcsányi tamásfalvensis, rev. Paulus Kolbányi poltáriensis et rev. Jacobus Blasy dobrocsensis verbi divini ministri; ex inc. comitatu zoliensi: ven. Jeremias Pilárik dobronensis, et rev. Johannes Glosius radvanensis pastores; ex inc. comitatu kis-honthensi: rev. Elias Bubenkius rahoviensis et Jonas Bartholomaeides klenóczensis verbi divini ministri, ne quid de inc. patronatu adjiciam.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIORUM A SUMMIS MAGISTRATIBUS CONFIRMATIONE.

Synodis accedebant privilegia confirmatae religioni lutheranae a summis illis magistratibus, rege ejusque vices gerentibus, adjecta.

De privilegiis, quae Ferdinandus I. liberis regiisque civitatibus in superiori Hungaria, Rudolphus vero et Matthias II. toti religioni lutheranae liberaliter indulsit, in antecedentibus dictum fuit. Ferdinandus II. an. 1622. artic. 2. conditione 1. omnes conclusiones pacificationis viennensis et articulos anni 1608. et 1609. sancte confirmavit. Ferdinandus III. imperator an. 1647. post debitam omnium horum confirmationem, non minus concionatoribus evangelicis, ne amoveantur et amoti restituantur, quam rusticis, ne a dominis terrestribus turbentur, consulto providit, vid. art. 5. an. 1647. et 90. templa evangelicis restitui praecepit, quae recensentur art. 6. an. 1647., imo ubi romano-catholici templa occuparunt, lutheranis alia templa, paroecias et scholas aedificare permisit, vid. art. 10. an. 1647., quod etiam Leopoldus magnus diplomate peculiari an. 1659. confirmavit. Hinc in augustissimos imperatores, sacras regni leges et ipsam veritatem injurius est Báchmegyey, qui in Otiis suis colloq. VI. p. 717. nugatur „nunquam vere concessum, nunquam unanimiter admissum, nunquam stabilitum et in regno radicatum fuisse religionis nostrae exercitium“ et p. 698. perdite mentitur, „jura nostra putatitia solum fuisse atque in instrumentis publicis non vere et solide, sed taliter qualiter tantum fundata.“ Ridebit profecto tam desperate mentientem posteritas, et omnes periti legum patriae tantam in coronata illa capita injuriam execrabuntur. Quis

enim ita prostitute malus est, ut unctos illos domini dolose et non ex animo egisse, status et ordines regni in haec et similia mala fide consensisse arbitretur? Ipsi proreges Hungariae, quos palatinos adpellamus, singularia prorsus privilegia non tantum superintendentibus iisque subjectis pastoribus, sed etiam quoad viduas ministrorum elargiti sunt, qualia a comitibus Georgio et Stanislao Thurzóne profecta hic recognoscere opus non est. Imo quod mireris, ipsi inc. comitatuum supremi comites uti alibi, ita apud gömörienses, non prius ad regendam provinciam admissi fuerunt, quam omnia privilegia religionis evangelicae scripto confirmarent. Hoc etsi sequiore tempore a Casparo Szúnyogh denegatum fuit; tamen cum Rosnaviae in supremum inc. comitatus gömöriensis comitem 10. Maji an. 1642. confirmaretur, coram magnifico Thoma Dósa et Gabriele Bakos litteras, quas protectionales adpellant, evangelicis elargitus est. Idem praestitit non minus lubens, quam promtus Franciscus Veselényi, regni Hungariae palatinus, cum 21. April. an. 1659. in supremum inc. comitatus gömöriensis comitem inauguraretur, ne quid de supremo comite Georgio Szécsy percenseam, apud quem, dum 11. Oct. an. 1667. Rosnaviae supremus comes renunciaretur, ven. Jacobus Regius et rev. Christophorus Nigriny litteras protectionales facili negotio impetrarunt, uti in publicas ven. contubernii gömöriensis tabulas relatum est. Jam injuria temporum omnia haec cessavisse et nos dolemus et ventura, si quae speranda est, posteritas cum dolore querulabitur.

CAPUT V.

DE
TEMPLORUM EVANGELICORUM ET SCHOLARUM ERECTIONE.

Confirmata religione evangelica non defuerunt praeclari ejus adsertores, qui non tantum templa, sed scholas etiam, seminaria illa pietatis, non minori studio, quam sumptu erigerent. Tales erant Perényii, Thurzónes, Illésházyi, Nádasdyi, Balassii, Forgácsii, Ostrosithii, Szúnyoghii, Berzeviczyi, Görgeyi, Szentiványii et multo plures, qui de nobilissima Hungariae juventute solliciti, eidem divina providentia insigniter prospexerunt.

Stanislaus Gosnovicerus, minister condam in inc. comitatu thurocziensi martinopolitanus, cum rev. fratres ad revisendam scholam

evocaret, inter alia adjicit, quendam poetam in laudem scholarum ex Esa. LXI. haec carmina consignasse:

Culta propagantur ceu per viridaria plantae,
Sic sunt plantata culta vireta scholae,
Per quas justitiae succrescit fertilis arbos,
Unde redit domino gloria lausque deo.
Hinc simul inde petunt fructus ecclesia Christi,
Publica res, aula, curia, castra, forum.

Hoc uti ex vero dictum esse nemo dubitat: ita de profusa scholarum utilitate vix pro dignitate scribi potest. Mei quidem instituti non est, prolixam scholarum hungaricarum historiam conscribere, aut de variis earum fatis commentari, cum in eodem studii genere celeb. condam Johannes Rezikius et rev. Samuel Matthaeides elaborarint, quamvis doctissimae eorum lucubrationes lucem videre non potuerint: breviter tamen, ut sciant posteri, meminisse juvabit. Constabilita intra regnum Hungariae religione lutherana, insignes ejus nutritii, Perényii, inprimis Petrus et Gabriel, sárospatakiensem, Thurzónes, Georgius, Stanislaus et Emericus, bitschensem et galgóczensem, Illésházyi banoviczensem; Nádasdyi csepreghiensem, Balassii vágh-beszterczensem, Forgácsii trenchiniensem, Osztrosithii illaviensem, Szúnyoghii vág-ujhelyiensem, Berzéviczyi, jam occasione expeditionis hierosolymitanae clari, berzeviczenam, Görgeyi, ab Arnoldo de Garg saxone descendentes, görgeyanam, Szentiványii szentivanensem scholas erigere in lucris deputabant, ne quid de illustri condam gymnasio neerensi sive sztrázsensi in Scepusio, cui magnus ille Albertus Graverus moderabatur, hac vice adjiciam. Hoc ab exteris redux excitaverat insignis condam Hungariae heros, Gregorius Horváth-Stansith de Grádecz, Marci filius, veritatis lutheranae tenacissimus, litteratissimus, nobilissimus et devotissimus, uti eum adpellat M. Petrus Zabelerus in sermone funebri in obitum proregis Stanislai Thurzó Leutschoviae 12. Jan. 1626. habito et Sebastiani Lam, ministri kesmarkiensis crypto-calviniani, de quo in posterum plura dicentur, osor acerrimus. Paulus Malus alias Jablonovszky, rector scholae moschoviensis, condam collega gymnasii neerensis, in elegiis, quas in obitum ejus scripserat, conscius horum hanc ei laudem adtribuit:

Ad patrios remeans magna cum laude Penates,
Adduxit Musas ex Helicone Sztrázsam,

Gymnasium quibus exstruxit, quas sumtibus amplis
Extremum vitae fovit ad usque diem.

De praeclaro hoc Musarum patrono vel hinc in proclivi est arbitrari. Huc pertinent praecipuae scholae civitatum: bartphensis, eperjensis *), cassoviensis, leutschoviensis, soproniensis, cremniciensis, posoniensis, neosoliensis, kesmarkiensis, schemniciensis, briznensis, solnensis aliaeque complures profusa liberalitate civium et excitatae et sustentata. Complurium ex his vix vestigium superest amplius. Scribit equidem autor Rei litterariae hungaricae, quae Cassoviae an. 1735. in 12. impressa est, pag. 19. in haec verba: „Numerant sua et lutherani et calviniani gymnasia, in quibus copiosam erudiunt juventutem; illi quidem Posonii, Cassoviae, Sopronii, Jaurini, Leutschoviae, Eperjesini, Neosolii; hi vero Debrecini, Patakini, Miskolcini, Rimaszombathini"; sed ne hic quidem se a criminatione abstinet, cum addat: „non mediocri fortasse eruditionis incremento, religionis certe nullo, sua alioquin laude ornandi, si cum pura latinitate puriorem etiam christianam pietatem adolescentiae instillarent." Novit deus, nobis hanc supremam esse legem, ut adolescentibus pietatem in deum magno studio et sine intermissione inculcemus illosque in coelesti illa veritate, quae nobis per scripturas revelata est, studiosissime confirmemus. Purior enim latinitas non constituit, sed ornat evangelicos, soli deo et puriori religioni devotos. Quam multum ab an. 1735. mutata sit gymnasiorum nostrorum facies, vel hinc pronum est existimare, quod jaurinense, in quo numerosa in spem patriae educabatur juventus, an. 1749. penitus sublatum sit; cassoviense, neosoliense, cremniciense et schemniciense ita constricta tenentur, ut ultra grammaticam docere non permittantur, reliqua variis vicissitudinibus obnoxia inter lacrymas et suspiria bonorum gemunt. Anno 1766. d. 30. April. in oppido Pelsücz apud gömörienses in publica inc.

*) Erről Doleschalnál e jegyzet olvasható: De celebritate gymnasii statuum evangelicorum eperjesiensis non sine dolore recordamur, quod profusa plane liberalitate Stephani Tököly et erectum et sustentatum fuit. Hoc patet ex autographo, cujus partem possidemus, sequentis tenoris: „In laudem et gloriam divini numinis, ad status evangelicos aug. conf. regni Hungariae in lib. ac reg. civitate eperjesiensi". . . . reliqua desunt. Sed paulo post: „Pro erigendo gymnasio gratanter confert binas vineas in promontorio possessionis Rátka, in comitatu zempliniensi existente, habitas, 10,000 fl. comparatas, sub conditionibus per plenipotentiarium suum ejusdem gymnasii ord. inspectoribus repraesentandis. In arce Kesmark die 28. (?) 1666. Com. Steph. Tököly. m. p."

comitatus generali congregatione publicatum fuit excelsi consilii regii locumtenentialis intimatum, in quo scribitur, sacratissimam et apostolicam majestatem caesareo-regiam, Mariam Theresiam, in eo esse, ut liberales artes studiaque omnia ad splendorem illum, quem apud exteras cultiores gentes obtinent, evehantur promoveanturque, ideo benigne ordinasse peculiarem commissionem sub praesidio excell. et illustr. domini comitis Judicis curiae regiae habendam, quo universorum intra regnum studiorum regulatio, ut scribitur, ad sensum legis et notanter articuli 70. anni 1723. per exc. consilium regium locumtenentiale institui possit. Jubet ergo inc. comitatum gömöriensem, quo circa acatholicorum scholas in medio sui existentes, super sequentibus universis quaestionum punctis clare et adaequate, secundum omnes circumstantias informationem suam intra bimestre spatium a dato praesentis intimationis metiendum submittat et quidem:

1.) Nominibus locorum, in quibus scholae aug. conf. addictorum publicae habentur, praeviae designatis

2.) Quando et per quem fundatio haec facta fuerit?

3.) Qua cum obligatione et conditionibus scholae hae constitutae habeantur?

4.) Quales sint proventus ex bonis et capitalibus hisque ubi elocatis? Quales denique ex quibuscunque emolumentis propter scholas a se traditas, vel professores aut alia studiorum requisita percipi soliti?

5.) Quae nomina studiorum et qui qualesve professores aut magistri habeantur? Hi demum professores an singillatim unam duntaxat, vel plures scientias qualesve simul tradendi provinciam sibi concreditam habeant? et quae sunt reliqua. Datum fuit hoc intimatum ex consilio locumtenentiali regio hungarico Posonii d. 2. mensis Martii an. 1766. celebrato, cui subscripsit comes Paulus Balassa, Ladislaus Balogh et Josephus Aszalay. Apud nos gömörienses in praecipuis scholis, topschensi, csetnekiensi, gömöriensi, ratkoviensi et köviensi per judices nobilium haec inquisitio mense Junio dicto anno instituta fuit, quo cum eventu? tempus docebit.

Eadem fere est conditio calvinianorum. Quantas ante hac mutationes subire cogebatur collegium patakiense, eruditis Hungariae civibus ignotum esse non potest. An. 16 72. *) princeps Sophia Báthory et

*) Helyesebben 1671.. Lásd: Magyar prot. egyháztörténelmi emlékek. Kiadja a tiszáninneni helv. hitv. egyházkerület. Sárospatak. 1860. 197. l. és: A sárospataki ref. kollégiomnak rövid históriája st. S. Patak, 1827. 8. l..

filius ejus Franciscus Rákóczy, postquam religionem romano-catholicam amplexus fuisset, collegium turbavit et juventutem excedere jussit, quae etsi redierit in posterum, tamen circa an. 1686 *), occupata per romano-catholicos schola, sedem suam Cassoviam transferre necessum habuit. Sed brevis ei fuit ibidem commoratio. Nam occupato et usibus monialium dedicato templo reformatorum, quod illi intra moenia in loco, ut loquimur, articulariter exciso, propriis impensis excitaverant, ad suburbium relegati, etsi benevolentia patronorum quaedam aedificia pro usibus studiosorum erecta fuerint: tamen imminente sub motibus Rákóczyanis obsidione, ex mandato generalis Nigrelli, qui eo tempore Cassoviae praeerat, prorsus solo aequata sunt et juventus jussu ejusdem comitis Sáros-Patakinum commigrare jussa fuit. Circa an. 1712. ad multas ven. cleri supplicationes collegium calvinianis ademptum erat; sed postquam patakienses, ad august. imperatorem Carolum VI. recurrissent, et tam varias vicissitudines scholae bona fide exposuissent: non tantum collegium permanere jussit, sed etiam liberum religionis exercitium benigne confirmare dignatus est **), uti nostri occasione commissionis pesthiensis luculentissime declararunt.

Quod ad templa adtinet, vix eorum numerus iniri posset, quae ab evangelicis fuerunt sive aucta, sive a fundamentis excitata et jam injuria temporum qua vi, qua fraude in aliorum potestatem devoluta. Thurzónes profecto, Illésházyi, Tökölyi, ut alios taceam, nihil antiquius esse existimabant, quam sive ornare, sive excitare templa, peragendis sacris ut quam maxime opportuna. Hinc comes Georgius Thurzó bitschense et quod in arce arvensi est, comes Stephanus Illésházy vetus templum Bazingae, in quo cum dilecta conjuge, Catharina Pálfy, tumulatus est, ita percoluit, ut nihil ei ad celebritatem defuerit. Posonienses evangelici an. 1636. s. s. trinitati dedicatum, et aliud an. 1640., jam in potestatem ursulinarum translatum, proprio sumptu excitarunt. Bazingenses lutherani aeque sacram aedem, quam aedificarunt, ad an. 1674. frequentarunt; ne de sancto-georgiensi, in medio urbis ab evangelicis erecta, quidpiam recenseam. Dum aedificatum fuisset templum hoc, excitavit ei deus munificentissimos patronos. Nam Andreas Segner, qui tunc in urbe posoniensi fasces tenebat, pro sua liberalitate donavit altare

*) 1695.-ben. Lásd az utóbb emlitett munka 11. l..

**) 1715.-ben. U. o. 12. l. és: Magyar prot. egyháztörténelmi emlékek. 181. l..

Altum et imaginibus pictis sculptisque columnis
Ornavit positis, auro rutilante refulgens;

Volfgangus Gillig *), eo tempore urbis judex, ex nigricante marmore baptisterium, suggestum et organum pneumaticum; vidua Martini Dorri **) senatoris et Alexander Segner urbis praetor maximum aes campanum prolixa munificentia sua contulerunt. De quibus omnibus videri potest: Inf. Hungariae libera regiaque civitas Sancto-Georgium simplici carminis stylo in illustri vitembergensi academia a. c. r. 1679. delineata per Georg. Peucker, neosoliensem hungarum. Prodiit eodem anno Vitembergae typis academ. in IV.. Sigismundus Tököly liber baro de Kesmark in hereditario castro suo Schavnik elegans et sumptuosum templum exstruxit et an. 1669. 24. Nov. magna cum solennitate s. s. trinitati dedicari jussit per M. Dan. Kleschium, ecclesiae olasziensis pastorem. Intererant solennitati huic praeter illust. liberum baronem, carissimam conjugem ejus Salome Pográny et dilectissimam unicam filiam Sophiam Tököly, complures inc. comitatus scepusiensis praenobiles et 12. verbi divini ministri, quorum unus, rev. Jonas Fontanus ex Joh. XVII. 11. deo patri, alter, rev. Martinus Machner, szent andrásiensis minister, ex Exod. XVII. 15. deo filio, tertius, pastor kravanensis, deo spiritui sancto templum consecrarunt, quod tamen post convertionem rerum Tökölyanarum patribus jesuitis etiam cum bonis adtributum est. Exstat Inauguratio templi illius consignata per M. Danielem Kleschium Bartphae an. 1670. edita, ne quid de aliis, in Hungaria passim existentibus, adjiciam. Lutherani enim uti semper, ita inprimis seculo XVII. cum magna religione templa sua deo devovebant, uti Martinus Spetkius superintendens posteritatis gratia de templo alsó sztregoviensi adnotavit. In magna ministerii et inc. nobilitatis frequentia ex paroecia cantando in templum itum est, ubi absoluto cantu rev. Samuel Csernák de laudibus templorum et benificiis patronorum ad aram dixit, dein vener. superintendens ex Matth. XXI. 13. templum externum, internum et aeternum explicabat et continuatis oblationibus, quae tali occasione institui solent, domesticus pastor, Johannes Fidicinis prolixa oratione deo et inc. patronatui gratias egit et ut deus templa evangelica tueatur, magna cum religione precatus est.

*) Ribaynál: Gellig.

**) Ribaynál: Böry.

CAPUT VI.

DE VIRORUM ERUDITORUM AB EXTERIS EVOCATIONE.

Ne scholae, ad publica rei evangelicae commoda erectae, steriles sint et parum fructuosae: patroni earum viros eruditos et ad formandam juventutem peridoneos ex vicinis provinciis evocabant, quo et litteris suum decus et piis salutaribusque eorum destinationibus desideratus eventus respondeat.

Non deerant quidem Hungariae optimi viri, statim post emendatam religionem evangelicam apud saxones melioribus litteris perculti, quos sectione I. §. 3. adnotavi: ad conciliandam tamen scholis celebritatem exteri evocabantur, provinciam docendi cum utilitate obituri. Comes Stephanus Illésházy, magnus rei evangelicae vindex, scholae, quam Banoviczii erexerat, ex aequo provisurus, M. Eliam Ursinum, delitschiomisnicum, Vitemberga ad regendam scholam evocavit, et Casparus Illésházy M. Martinum Monkovicenum an. 1616. Praga accitum, primum rosenbergensi, dein banoviczensi scholae praefecit. Cassovienses Leonhardum Coxium, praeclaro anglorum genere oriundum, et Henrici VIII. regium paedagogum, vivente adhuc Luthero, in rectorem scholae Cracovia evocarunt, quem Leonhardus Stöckelius ut optimum suum in Hungaria praeceptorem saepe saepius commendavit. Egregius ille religionis evangelicae adsertor, spectabilis condam Gregorius Horváth-Stansith de Grádecz juxta cum aliis nobilibus evangelicis Albertum Graverum, magnum apud eruditos nomen, Sztrázsam accivit, qui uti exstanti cum utilitate numerosae juventuti ibidem et Cassoviae moderabatur: ita autoritatem Formulae concordiae in synodo lentschoviensi stabilivit et an. 1595. Kesmarkini in conventu Sebastianum Lamium, alias Ambrosium adpellatum, calvinismi convicit. Cum illustre gymnasium statuum evangelicorum eperjense an. 1666. restauraretur, doctor theologiae Samuel Pomarius, Magdeburgi ad aedem s. Jacobi pastor, in supremum ejus moderatorem et M. Jacobus Röserus, ordinis philosophici adjunctus, in oratoriae et historiarum professorem Vitemberga evocatus fuit. Bartphenses aeque M. Johannem Schwartzium, Vitemberga accitum, scholae suae praefecerunt, qui dum apud leutschovienses in gymnasio docuisset, edidit Logicam, de qua M. Christianus Seelmann, pastor leutschoviensis, jurene vel injuria? non definio, judicavit: „nihil in ea

reperiri, quod ex aliis commodius *) disci non posset.“ Postremo nominandus est infelix Johannes Kircherus, Tubinga primum Banoviczium, dein Neosolium evocatus, qui uti Tubingae uxorem, ita Neosolii lutheranam religionem incautus deseruit atque demum, uti meruerat, misere interiit, de quo in antecedentibus dictum fuit. Hungaris ad laudem satis est, quod seculo XVII. litteris melioribus perculti, ita inclaruerint, ut exteri etiam eorum opera habuerint necesse. Exploratum enim est omnibus, celebres illos viros, Martinum Chladenium, s. s. theologiae doctorem, Johannem Baptistam Roeschelium, moralium professorem, Georgium Michaelem Kassay **), ordinis philosophici adjunctum, cum magna nominis celebritate Vitembergam illustrasse; Danielem Gvilhelmum Mollerum in universitate altdorfina cum maximo adplausu docuisse; Matthiam Zimmermannum a Johanne Georgio, electore Saxoniae, vocatum Missenae autoritate superintendentis non minus religiose, quam utiliter praefuisse, de quo videri potest Christophori Bulaei, superintendentis dresdensis, Architectus ecclesiasticus an. 1666. editus. Matthias Zimmermann erat patria eperjensis, qui postquam in patria didicisset, Thorunium concessit et post triennium ad universitates, inprimis Lipsiam profectus, studia sua confirmavit. An. 1651. a patre suo Adamo Zimmermann in patriam revocatus, primum Eperjesini gymnasii rector, dein ecclesiae pastor constitutus fuit et quia virtus exteris probata latere non potuit, an. 1660. per Georgium II., ducem Saxoniae, Colditium in adjunctum et futurum superintendentis successorem vocatus transiit et dum sua praeclare ageret, mortuo M. Conrado Barthels an. 1662. eidem qua superintendens voluntate ducis Saxoniae et inspectorum ecclesiae suffectus fuit, per Christophorum Bulaeum, s. s. theologiae doctorem et superintendentem dresdensem solenni actu ecclesiae praesentatus, de quo consuli potest ipse Bulaeus loco citato. Si oculos in Prussiam convertamus, pervidebimus facile, hungaros Gedani, Thorunii et Elbingae illustrioribus officiis admotos cum magna nominis hungarici commendatione laboravisse, quales erant: M. Johannes Sartorius eperjensis, Paulus Pater menhardivilla-scepusius, Rezikius korossino-nitriensis et jun. Jacobus Zabelerus, magni patris filius, de quo uti

*) Ribaynál: compendiis.

**) Erről Ribaynál zárjel közt ez áll: Is amisso per mortem filio omnem suam substantiam et bibliothecam testamento legavit hungaris Vitembergae sanctioribus litteris studentibus semperque duodecim numero fruuntur stipendio ab ipso constituto.

et de Rezikio in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria pluribus commentatus sum *). De reliquis videri possunt Ephraimi Praetorii Athenae gedanenses et cl. Joh. Georgii Lippischii oratio peculiaris de Thoruno hungarorum litteris deditorum matre, Jenae in IV. an. 1743. impressa. Hac etiam nostra aetate summe ven. Joh. Godofr. Schwartzius, condam scholae leutschoviensis rector et, dum haec scribuntur, osnabrugensis superintendens, vir rerum Hungariae longe peritissimus, et David Frühauf, apud leutschovienses conrector, viri laude mea majores, neque litterato orbi propter varia eruditionis specimina ignoti, apud exteros nomen hungaricum cum maxima su commendatione illustrant.

CAPUT VII.

DE
ALUMNORUM AD ACADEMIAS PROMOTIONE.

Non parum momenti ad progressum rei evangelicae conferre videbatur profusa maecenatum liberalitas, qui non domi tantum, sed in exteris quoque provinciis magno sumptu alumnos sustentarunt, cum dignitate, ubi necessum fuerit, officia ecclesiastica in Hungaria obituros.

Non sine voluptate illius temporis recordari soleo, quo post emendata sacra evangelica illustres Hungariae proceres non tantum alumnos suos, litteris deditos, ad universitates expediebant, sed ipsi etiam confirmandorum studiorum causa exteros adire gloriosum esse existimabant. Hinc Franciscus Bánfy Losonczi, comes dobocensis, ita studiis apud exteros inclaruerat, ut jam an. 1589. rector academiae vitembergensis fuerit constitutus. Comes Emericus Thurzó, Georgii, proregis Hungariae, filius, quem Balthasarus Meisnerus in Anthropologia sua vivum laudavit, quanti apud saxones habitus fuerit, in superioribus dictum est. Michael Forgács liber baro de Ghymes et Sigismundus Péchy de Ujfalu an. 1587. Vitembergae studuerunt, quod ex carminibus Theodorae, professoris Ebhardi a Veihe, juris utriusque doctoris, filiae fatis functae, dedicatis cognosci potest. Hic Michael Forgács, ab

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 77., 78. és 113., 114. ll.

exteris redux, perpetuo juvenes, in spem patriae natos, in academiis aluit. Hinc cum an. 1586. Jeremias Sartorius ad regendam scholam trenchiniensem Vitemberga evocaretur, Nicolaus Baticius arvensis in carminibus discessuro datis inter reliqua ita cecinit:

Ergo deo primas, redde patrono secundas
Grates, qui studiis fulcra fuere tuis.
Dic mecum, laus sancta deo multosque per annos
Floreat illustris Forgácsiana domus.

His addi debent Sigismundus Mariássy de Markusfalva, Thomas Eszterházy de Galantha, Marcus Horváth-Stansith de Grádecz, Nicolaus Horváth-Mladosevicz de Körmend, Caspar Szúnyogh de Jeszenicze liber baro in Budetin, Gabriel Ketzer de Lipócz et Martinus Berzeviczy de Eadem. Superiori seculo claruerunt apud exteros Johannes Osztrosith de Ghyletincz liber baro de Illava, qui an. 1616. sub praesidio M. Georgii Gutkii de Majestatis absoluta potestate publice disputavit; Johannes ab Hellenbach, cremniciensis *), qui Manipulo logicarum quaestionum, quem praeside M. Ernesto Backio an. 1658. tuitus est, et Oratione pro Hungaria multo elegantissima, in auditorio academico habita et typis Oelschlegelianis an. 1656. impressa, nomen suum illustravit; Matthias a Schmidegh cremniciensis, propter disputationem de Eclipsi lunae, quam sub M. Esaia Pilárik hungaro an. 1680. defendit, eruditis non ignotus. His merito adjungi meretur illust. liber baro Johannes Kemény de Gyerömonostor, qui in universitate Fridericiana summa cum laude versatus, Transylvaniam, patriam suam, cum omni adplausu illustrat. Huic Halis redituro Institutiones lingvae germanicae celeb. olim Matthiae Belii, opera sua auctas, dedicavit eumque, uti meruerat, collaudavit an. 1730. C. A. Körberus, philosophiae et mathematum professor et magni illius baronis in lingva germanica informator. Sub finem seculi XVII. adamaverant hungari nostri Prussiam. Hinc alii Regiomontum, alii Gedanum, Elbingam alii et inprimis Thorunium concedebant, ubi sub institutione M. Georgii Vendii rectoris praeter complures alios studiis operabantur equestri apud hungaros dignitate illustres, Andreas Székely, Sigismundus Berzeviczy, Paulus Ottlik de Ozor et Kochanócz, Andreas et Stephanus Ketzer de Lipócz fratres, Nico-

*) Mások, mint Vallaszky, Bartholomaeides, Sugár, selmecznek állitják.

laus Gosztonyi, quod ex matricula gymnasii eruderavit Lippischius l. c. p. 23. et 31.. Si Georgii, Stanislai et Emerici Thurzó, Stephani, Gabrielis et Caspari Illésházy in academiis alumnos percensere vellem, neque finis esset, neque modus. Nullus enim abiit annus, quo non aliquot numero ad academias dimiserint. Imo ipsa Elisabetha Czobor, comitis Georgii Thurzó vidua, et post pia mariti sui fata non tantum gymnasium bitschense magno sumptu fovit, sed etiam juvenes in academia vitenbergensi aluit, uti Balduinus in Phosphoro veri catholicismi statim in dedicatione confitetur. De liberalitate Stephani, Sigismundi et vel maxime Emerici Tököly, cum toti litterato orbi innotuerit, non habeo dicere. Profecto etiam praenobiles hungari nihil hac in parte negligebant, quod ad sustentandos melioris spei juvenes pertinere arbitrabantur. Unum atque alium posteritatis gratia nominabo. Stephanus Vittnyédy, aulae Zrinyianae familiaris primarius, uti confitetur Johannes Fabricius, Dobra arvensis, in disputatione de Ubi etate universalium, Magdeburgi typis Johannis Mülleri an. 1665. impressa, ejus stipendio adjutus, non tantum Tubingae, Jenae, ubi magister factus fuit, sed etiam Vitembergae studia excoluit et ab eodem ad continuanda feliciter studia academica 650. imperiales levavit. Recenset ibidem complures alumnos ejus, qui profusa optimi patroni benevolentia studia academica cum exstanti utilitate absolverunt, quales erant: Losyi, Stürczeri, Enselii, Sárosyi, Demetrii *), reliqui. Hinc Fabricius ita apud exteros profecit, ut in patriam redux primum briznensis, dein gymnasii cassoviensis evangelico-lutherani rector et professor primarius constitueretur, qui Solidissimo coelestis veritatis malleo, Cassoviae typis Erici Erich impresso Zephyrium Sambario-Debredianum ovum ita concussit, contrivit et disjecit, ut nemo eorum vel loqui fuerit ausus. A statione sua cassoviensi artibus patrum jesuitarum et proprio malo deturbatus est. Cum enim stipendium ejus negligentius exsolveretur, per Georgium Klimannum, discipulum suum, extremis ferendis peridoneum, talem ad patronos transmisit epistolam: „Salvete patres patriae i. e. voragines et gurgites patriae, qui ecclesiam et scholam praeclare defenditis, i. e. evertitis, pessumdatis, qui pietate majorum de sustinendo gymnasio descripta minervalia procuratis et merentibus juste transsribitis, i. e. abliguritis, in censum privatum redigitis, focis et aratro

*) Ribaynál még: Czabanii.

*) vestro inde prospicitis. Digni estis omnium indignatione, risu, contemptu, satyra, o vitrici! etc.“ Demum convasatis rebus suis hinc inde vagatus in Transylvaniam proficiscitur et Cibinii professor constitutus, sua non sine laude egit, an. 1675. contracto fructuum autumnalium nimio esu infelici morbo, annos circiter 55. natus finem vivendi fecit, vir doctus, sed, quod ex scriptis ejus elucescit, animi impatientis, propter praeclara studia longiore vita dignus. D. Johannes Deutschmannus, cum a priore diversus Johannes Fabricius gömöriensis de Paradisiaca dei lege ex Genes II. 16. 17. sub ejus praesidio **) disputaret, Andreae Jelenik, inc. comitatus gömöriensis vice-comiti, cujus Fabricius alumnus erat, hoc laudis tribuit, quod ab aliquot lustris ex alumnorum ad academiam vitembergensem ablegatione largissimaque per stipendia sustentatione ei sit notissimus et ex hac munificentia satis in illa universitate celebratus.

Si illis temporibus, lector optime, nostra comparaveris, in alio orbe te vivere existimabis. Exstincta enim est omnis liberalitas et severam Jacobi apostoli sententiam nemo metuit amplius: Judicium sine misericordia erit illi, qui non fecit misericordiam, Jacob. II. 13.. Prolixe hoc nomine querulabatur Daniel Sinapius, hungarus, post triste exilium illustris scholae neobojanoviensis in Polonia rector, vir ante divexationem leopoldinam complurium ecclesiarum procuratione insignis. Inter reliqua enim scribit: „Quotusquisque est, qui hodie scholas, virtutum officinas, digno amore prosequatur? qui partem aliquam facultatum, a deo cumulate sibi concessarum, in commodum horum spiritualium apiariorum impendat? Plurimi certe majoris sibi faciunt equos, canes, parasitos, thrasones et in hos quamplurima profundunt bona, de conservatione ecclesiae et scholarum ne tantillum solliciti. Leo imperator cum Eulogium ***) ad aperiendam in urbe scholam stipendio liberaliori invitasset et propterea a satellitibus reprehenderetur, respondit: Utinam meis temporibus ea, quae militibus dantur, doctoribus numerari deberent Hodie“ scribit Sinapius, „adeo verum est illud:

Sunt musae mulae nostraque fama fames.“

Adjicit postremo, multo meliorem esse mentem inc. patronatus bojanoviensis, et inprimis magnificum Boguslaum Bojanoszky et dilectam conjugem ejus, Evam Unruhiam, collaudat eo vel maxime nomine, quod

*) Ribaynál: atrio.

**) Doleschalnál: an. 1669.

***) Ribaynál: Euryolum.

magnus ille heros, non tantum apiculis scholasticis commodam sedem concesserit, alvearia congerendo melli apta erexerit; sed et paterne de fidelibus et habilibus praeceptoribus scholae huic prospexerit iisque, qui in pulvere hoc molesto laboraturi sunt, sustentationem honestam ordinaverit. Tandem addit preces ab animo profectas:

Non opis est nostrae tantas exsolvere grates,
Dii vobis referant!

Videri potest in hanc rem Sinapii: Examen apum cum autumnali mellatione, favente magnifico magistratu institutum in schola illustri neobojanoviensi. Prodiit Lesnae *) typis Mich. Buok **) in IV. an. 1681..

CAPUT VIII.

DE
TYPOGRAPHIARUM ERECTIONE.

Ut autem non voce tantum, sed scriptis etiam veritas evangelica intra Hungariam propagari potuisset, praeclari quidam veritatis amatores in variis locis typographias excitarunt. Bartphae enim, Cassoviae, Leutschoviae, Neosolii, Solnae, Trenchinii, et Puchoviae, in Detrekő et Rárbok, Csepreghini et Kereszturini imprimebatur, quicquid sive ad confirmandam, sive defendendam religionem evangelicam pertinebat.

Artem typographicam primum a Johanne Guttenbergio an. 1440. inventam, magnum fuisse ad propagandam veritatem evangelicam subsidium, nemo, ut spero, ibit inficias. Vix, judice doctissimo Kromayero, Lutherus quoque tantum opus in versione bibliorum et edendis tot libris moliri potuisset, si absque arte hac typographica fieri debuisset. Vid. ejus Ecclesia in politia pag. 456.. Adverterunt hoc hungari sacra evangelica sequuti. Hinc ducto a ratione consilio typographos induxerunt iisque curam imprimendorum librorum commiserunt. Bartphenses non tantum typos civitati proprios possederunt, sed etiam typographos Davidem Gutgesell, Georgium Sambuch, Thomam Scholtz et Leonhardum Ocherlan ***) liberaliter aluerunt. Cassoviae Johannes

*) Ugyanannál; Lipsiae.
**) Ugyanannál: Burok.
***) Ribaynál: Oszterlamm.

Fischer, Daniel Schultz, David Türch et Ericus Erich operae pretium praestiterunt. Csepreghini insignis typographia prolixa inc. gentis Nádasdyanae liberalitate et erecta et sustentata fuit. Neosolii Christophorus Scholtz an. 1578. in aedibus Georgii Lindneri, Leutschoviae post Danielem Schultzium Laurentius et Samuel Brewer, Solnae Johannes Dadan et Vilhelmus Kauder, Trenchinii Nicodemus Csizsik, Puchoviae Johannes Chrastina officio magno cum studio defuncti sunt. Uti typi puchovienses crudi erant et parum elaborati: ita cassovienses et vel maxime leutschovienses eo tempore, sub initium seculi XVII. in partibus Hungariae superioribus elegantissimi. Hoc dolendum, quod leutschovienses post fata Samuelis Breweri infelici incendio, quod an. 1752. majorem urbis partem corripuerat, interierint. Nunc mutatis rebus nostris typi cassovienses academici ita expoliti sunt, ut omnium fere in Hungaria elegantiam aemulari videantur, typographia bartphensi a Ladislao Szentiványi, camerae scepusiensis administratore, redempta adaucti. In Detrekő et Rárbok prodiit Explanatio evangeliorum dominicalium Petri Bornemisza in fol. an. 1584.; Kereszturini Commentatio de coena domini, idiomate hungarico conscripta, Nicolai Gönczii an. 1612.; Csepreghini Vindiciae augustanae confessionis Stephani Lethenyey contra Johannem Samarjay, pastorem halásziensem, an. 1633. in IV.. Nostris jam temporibus ita adflictae sunt res evangelicorum, ut in universa Hungaria nullam possideant typographiam. Calviniani unicam adhuc conservant Debreczini, ita tamen constrictam, ut sine arbitrio et revisione patrum jesuitarum vix aliquid imprimatur amplius. Hoc quantum sit religionis et rei litterariae detrimentum, nemo est unus, qui non facile pervideat, etsi evangelicorum opera et impensis sub finem seculi XVI. singulare hoc rei litterariae augmentum Hungariae illatum et procuratum sit. Non possunt hoc diffiteri adversarii eo nomine in nos injurii, quod scribant, majores nostros id propterea fecisse, ut plures errorum suorum libros commodius in populum spargerent. Vid. Res litteraria Hungariae, quae an. 1735. in 12. Cassoviae prodiit, pag. 30.. Sed non est ita, cum non spargendorum errorum gratia, sed ampliandae rei litterariae et confirmandae veritatis evangelicae causa non sine multis impensis a majoribus nostris typographiae procuratae sint.

CAPUT IX.

DE ORDINIS INTER MINISTROS ET RITUUM ECCLESIASTICORUM CONSTITUTIONE.

§. 1.

Ne quidpiam, rebus ita constitutis, in ecclesiis evangelicis perperam fiat, ii, quorum intererat, non tantum inter ministros ordinem induxerunt, sed etiam ritus ecclesiasticos ita ordinarunt, ut de pleniori in his consensu jure evangelici gloriari potuerint.

Nullam unquam societatem absque ordine diu subsistere potuisse, vel ipsa ratio et longa temporum experientia testatum fecit. Hinc evangelici, ut eo facilius coalescerent, statim post emendata sacra seniores, sive, uti tunc vocabantur, vicearchidiaconos constituerunt et confirmata lege regni religione lutherana *) superintendentes, inspectores et seniores in synodo solnensi elegerunt et singulis distinctas officii partes adtribuerunt. Vid. Synodi solnensis acta et Lampii Historia ecclesiastica pag. 99.. Quod ritus ecclesiasticos concernit, apud bohemos circa an. 1581. innotuerat publicus liber ecclesiasticus Agenda česká nuncupatus; an. vero 1607. **) Tobiae Zavorka Pravidlo slúžebnostj cyrkevnjch. Horum labores slavi nostri in usus suos relatos magni fecerunt et quantum quidem fieri potuit, ritus ecclesiasticos ad eos conformarunt atque in omnibus ven. contubernlis certam serviendi in templis rationem definiverunt. In ven. contubernio nostro gömöriensi ante seculum et quod excurrit, an. 1633. idem praestiterunt tres viri, eidem labori feliciter perficiendo communi fratrum sententia destinati, rever. Jacobus Holius, csetnekiensis, Michael Fabricius, geczeloviensis, et Petrus Zvatovicius ***), oláhpatakiensis ministri. Postremo hoc labore non sine praesentissima utilitate defunctus fuit summe ven. condam superintendens Daniel Krmannus, qui collatis quatuor superintendentum Agendis, a seculo XV. publice usurpatis, magno labore Agenda consignavit et dum in custodia poso-

*) Doleschalnál: evangelica.
**) Ribaynál: 1602.
***) Ugyanannál: Zuarouius.

niensi jam detineretur, opera ven. Georgii Ambrosyi, generi sui, tum ecclesiae varboczensis ministri, sub titulo: Agenda ecclesiastica slavonica an. 1734. edi curavit, quibus in hunc usque diem utuntur ecclesiarum evangelicarum ministri, gratissimi tantorum laborum aestimatores. Huc pertinet albarum, uti vocantur, inductio. Alba apud nos hungaros dicitur linteum illud indumentum, quod ministri, sacra peracturi, superioribus vestibus suis injicere solent. Hoc diu usi non sunt ministri evangelici, cum neque in synodo solnensi, uti ex eadem adparet, propter ministros hungaricos induci potuerit, uti ex §. 6. luculentissime ostendi potest: factum tamen in posterum fuit, ut singulari superintendentum prudentia et autoritate induceretur. Dum enim 28. Aug. an. 1612. dominus superintendens Isacus Abrahamides rev. Jacobum Spieglerum, teutopronensem pastorem, cum Paulo Szaladino, prividiensi ministro, Bajmóczium, ad ordines cuidam bono viro conferendos evocaret, jussu ven. superintendentis haec adjicit Spieglerus: „Quisque secum albam propriam, qua quidem hactenus non fuit usus, attamen propter convenientiam cum aliis deinceps assumat, ne propter discrepantiam, licet in re indifferente, a malevolis traducamur, afferat.“ Ex eo tempore ita inolevit mos hic, ut omnes ministri evangelici tute eodem utantur. Hungari etiam in synodo tornensi an. 1549. celebrata, ne a doctrina in melius mutata mores ministrorum alieni essent, conditis XIII. articulis de officio, vita et vestitu decenti sapienter constituerunt, uti ex Pápayi Rudere redivivo adnotavit Hanerus in Historia ecclesiarum transylvanicarum lib. IV. pag. 210. sq.. Nec sine ratione. Uti enim natura, ordinis multo studiosissima, omnem aversatur confusionem, nec facile delinquit, nisi in agendo fuerit impedita: ita non vult deus nos in sacro coetu *) suo cyclopum more versari in officio, quorum vita usque adeo insolens est et vehementer effera, ut judice Homero, neque legibus et ordine constet, neque religione deorum gubernetur. Nam ecclesia, uti haud incogitate existimabat in oratione vitembergensi an. 1557. furoribus Osiandri opposita, est castorum **) acies ordinata. De quo ego in oratione inaugurali, dum ven. Elias Fischerus superintendens renunciaretur, an. 1747. in oratorio kesmarkiensi prolixius commentatus sum.

---

*) Ribaynál: cultu.

**) Ribaynál: castrorum.

§. 2.

Quis ordo sub initium seculi superioris XVII., confirmata religione lutherana *), in ecclesias inductus fuerit, ex actis synodi solnensis et szepesvárallyensis cognosci potest. Tanta enim fuerat ecclesiarum amplitudo, ut decem cisdanubiani comitatus tres, scepusiensis et sárosiensis unum, liberae regiaeque civitates in superiori Hungaria alium elegerint superintendentem, ne quid de ecclesiis trans Istrum sitis percenseam.

De synodo solnensi et szepesvárallyensi in superioribus, uti et in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria ex instituto actum fuit. **) Jam id tantum adjicio, nos sub initium seculi superioris XVII. ultra 2000. ecclesias numeravisse, jam, proh dolor! alieno hoc reipublicae tempore vix 200. possidemus. Hinc non sine ratione in Epistola gratulatoria ad Johannem Tóth-Sipkovics an. 1742. missa questus fuit clar. condam Daniel Hajnóczyus de ecclesiis, quae trans Istrum sunt:

Ferme trecentas tunc numeravimus
Trans flumen aras, proh dolor hoc die ***)
Ad paucitatem quam redacti
Vix quater ecce †) decem supersunt.

Id aliis quoque comitatibus evenisse scimus. Zemplinienses enim ultra 60. ecclesias evangelicas numerarunt, nunc ad unicam pazdicsensem detrusi sunt. Sárosienses ex 80. fere ecclesiis ††) vix 14. possident. Scepusienses, si XIII. oppidanos excipias, eo tempore plures contuberniorum seniores venerabantur, quam nunc ecclesias numerant. Alter enim superioris, alter inferioris fluvii Hernád, alter XXIV. regalium, de Viridi campo alter, alius superioris fluvii Poprád, alius inferioris senior erat. Tanta enim ecclesiarum evangelicarum in inc. comitatibus scepusiensi et sárosiensi fuit amplitudo, ut unus iis superintendens commode praeesse non potuerit. Hinc in synodo várallyensi an. 1614. celebrata pro comitatibus Stephanus Xylander, pro civitatibus autem M. Petrus Zabelerus consecratus fuit. Nos gömörienses vix mediam ecclesiarum †††) partem possidemus; aliae enim per romano-catholicos vi ademptae

*) Doleschalnál: evangelica.
**) Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 6. 7. ll..
***) Ribaynál: hodie.
†) Ugyanannál: atque.
††) Doleschalnál: templis nonnisi 14.
†††) Ugyanannál: templorum.

sunt, aliae sublesta fide ad calvinianos defecerunt, ut berzéthiensis, baloghiensis, bejensis et aliae. Si in comitatibus posoniensi, nitriensi et trenchiniensi iniretur numerus, miraretur orbis christianus non parum, qua ratione ad hanc paucitatem redigi poterant florentissimae condam ecclesiae evangelicae, ne quid de inc. comitatibus thurocziensi, liptoviensi et arvensi dicam, ubi omnes fere ecclesias in potestate habuerunt evangelici.

§. 3.

Ineunte hoc seculo, dum fata magis propitia affulsissent evangelicis, in eo elaborarunt vel maxime, ut quae injuria temporum vitium fecerant, in ordinem reducantur. Quod etsi in synodo rosenbergensi non male praestiterint; non fuit tamen diuturna inducti ordinis possessio, cum et evangelici ab ecclesiis, quas occupaverant, fuerint deturbati, et synodus rosenbergensis in publicis regni comitiis an. 1715. abrogata.

De his tanto parcius dicturus sum, quanto mihi magis exploratum est, omnia haec ex actis synodi rosenbergensis, quae an. 1708. Solnae prodierunt, intelligi posse; quia tamen non omnibus acta synodi ad manus sunt, et quae in eadem tractabantur, paucis admodum ex aequo innotuerunt *), posteriorum utilitati consulturus, quaedam adjicienda existimavi. Inierat annus hujus seculi 1707., quo mense Aprili, deliberato prius consilio, convenerant Rosenbergae ex utroque statu viri insignes et provehendarum rerum evangelicarum longe studiosissimi, quo ea, quae injuria temporum pessumiverant, redintegrentur et reducantur in ordinem valiturum ad posteritatem. Ex statu ecclesiastico aderant: summe venerandi Jacobus Zabelerus, M. Stephanus Pilárik, Andreas Bodovinus et Daniel Krmann superintendentes; Johannes Georgius Fischerus, M. Johannes Sárosy, M. Johannes Schwartz, Christophorus Plochius et permulti alii ven. contuberniorum seniores, conseniores et notarii, quos hic omnes percensere longum foret, erant enim numero 50.. Ex statu politico praecipui fuere: generalis Stephanus Petróczy, statuum et ordinum regni confoederatorum senator; Sigismundus Jánoky, aeque statuum senator; baro Johannes Godofredus

*) E szinat végszései most már ismeretesebbek lehetnek, kiadván azokat Szeberinyi János emlitett munkájában: Corpus maxime memorabilium synodorum evangelicarum aug. conf. in Hungaria. Pesthini, 1848..

ab Hellenbach, Christophorus Okolicsányi, Johannes Radvanszky, Daniel Bulyovszky, Nicolaus Szirmay, Balthasar Horváth-Stansith de Grádecz, Paulus Prileszky, Johannes Zerdahely, et multo plures, qui omnes nominibus et sigillis suis acta synodi confirmarunt. Constitutiones eorum etsi necessariae fuerint et utiles, non tamen omnes, quia non paucae ex arbitrio status politici, reclamantibus etiam ministris, fuerint definitae, quas hic percensere necessum non est. Ut tamen de temporibus illis judicare queat posteritas, talis fuerat encaeniorum prohibitio. Encaenia sunt festivitas in memoriam dedicationis templi quotannis celebrari solita; vetus et perutile Constantini magni institutum, qui templum magnificum in honoren salvatoris Hierosolymis exstruxit et anno Christi 335. 14. Sept. per episcopos, qui Tyri concilio intererant, sermonibus et precibus sacris solenniter dedicavit et ut quotannis memoria hujus beneficii renovetur, deoque pro concessa ecclesiis pace agerentur gratiae, decreto constituit. Vid. Inventarium templorum Georg. Chladni pag. 427.. Exemplum habemus in encaeniis Constantini magni, ubi evangelium in ecclesiam inferebatur, conciones ex verbo dei audiebantur, ut testatur Eusebius lib. IX. cap. X.. Pium hoc institutum in multis locis sublatum est, non sine exstanti ministrorum detrimento. Fiebant enim tali festivitate offertoria sive oblationes dictae, ad sustentationem ministerii pertinentes, quae erant pars condigni salarii a majoribus ordinati. Vid. Chladni l. cit. pag. 433.. Huc pertinebant collectae feriis trium regum observari solitae, egregium ministerii beneficium, ne quid de offertoriis funebribus adjiciam. Omnia haec in compluribus locis crudeles illae Harpyae perdiderunt et morem quotannis circa feriam Georgii ecclesiis valedicendi frustra in orbem revocare conati sunt. Hoc ego sentio, non satis cautos et prudentes fuisse tantos viros, qui sibi et stipendiis suis imponi fuerunt passi. Hoc unicum adjicio, neminem ex inc. patronatu, qui pro suo arbitrio adversus ministerium egerunt, vel in posteris superesse amplius, quod Pauli Lányi, ablegati gömöriensis, confirmari potest exemplo. Mea sententia in eo utquam plurimum deliquerunt synodi illius autores, quod non tantum complures politicorum factioni Rákóczyanae immixti fuerint, sed etiam tempore maximorum tumultuum synodum coegerint, atque adeo nihil aliud, quam indignationem et synodi actorumque ejus abrogationem procurarint. Vix enim octo anni abierunt, dum in publicis regni comitiis Posonii celebratis constitutiones rosenbergenses abrogarentur. Articulus comitiorum posoniensium in ordine XXXI. ita sonat: „Etsi quidem

praeterea durantibus praeteritis motibus nonnulli aeque factiosi conventiculum quodpiam praetensive synodale celebrare ibidemque regnum in diversas dioeceses partiri, varios honores et dignitatum sibi minime competentium titulos adsciscere, nonnulla contra romano-catholicos ritus sancire et statuere et per regnum passim divulgare et exercere non sint veriti: idcirco de benigna suae majestatis voluntate et annuentia decretum est, ut ejusmodi acta, facta et conclusa una cum sigillo occasione ejusdem conventiculi noviter fabricato, pro cassatis, annihilatis et mortificatis in totum et in perpetuum teneantur et habeantur." Vid. Articuli comitiorum posoniensium an. 1715. pag. 28., qui additi sunt Corpori juris hungarici editionis tyrnaviensis an. 1696. in fol.. Hoc mihi in hoc conventu visum est utquamplurimum memorabile, quod invalescentem eo tempore in Hungaria pietismum ita dictum communi sententia condemnarint. Hujus quidem in actis et constitutionibus nulla fit mentio: superest tamen separatus, et quidem impressus articulus, paucis cognitus, quem uti ipse ego possideo, ita, ut sciant posteri, hic bona fide adscribo:

„Articulus separatus, praemissis ad deum devotis precibus, antequam ad ceremonialia progressus fieret. conditus.

„Tota nostra synodus sacra rosenbergensis libros symbolicos nostrae ecclesiae, nempe Augustanam confessionem invariatam, Apologiam ejus, Articulos smalcaldicos, Catechismum beati Lutheri minorem et majorem ac Formulam concordiae in specie sic dictam adprobat omnesque haereses et sectas ibi damnatas damnat et ex ecclesiis evangelicis in Hungaria proscribit in aeternum, cumprimis vero et in specie pietismum cum omnibus partibus ejus." Occasionem condendo huic articulo dederant duumviri pietismi suspecti, M. Johannes Burius, ecclesiae novisoliensis et Adamus Mittuch, bazingensis ministri. Quamprimum enim dominus superintendens Daniel Krmann, consentientibus collegis suis, articulum hunc in calamum dictasset, adsurgit Burius et synodum monet, ut caute agat, nec pietismum damnando doctrinam Arndii et Speneri damnet, et illos, qui eos sequuntur. Huic non sine commotione animi adstitit rev. Adamus Mittuch et solenniter protestatus est, ne temere et proletarie damnetur eadem doctrina, alias, si id futurum est, habituram sacram synodum rem non cum illis, qui doctrinam hanc sequuntur, sed cum serenissimo rege Borussiae. Hoc audito ven. Krmannus communi nomine protestatus est et rev. Mittuch in lacrymas

solutus dixit: „Ferient aliquem istae lacrymae.“ Nescio, quo desiturum erat negotium, nisi ad hospitium illustr. baronis Petróczy omnes fuissent devocati. Causa M. Johannis Burii et rev. Mittuch non prius consopita fuit, quam coram universa synodo se nihil cum pietistis commune habere jurejurando, positis super librum Concordiae duobus digitis, confirmarent. Hoc didici ex manuscripto actorum synodalium Samuelis Marcelli sive Marcsek, ministri oláhpatakiensis, quod ad manus est, qui in synodo juxta cum aliis, Samuele Michaelide, Samuele Antoni et Andrea Józéfy, notarii officio defunctus fuit.

§. 4.

Nostris his temporibus, post publicatam benignam Caroli VI. indulgentissimi imperatoris resolutionem, ecclesiae evangelicae in Hungaria an. 1734. in quatuor districtus divisae sunt. Praeest autem cuique districtui superintendens cum inspectore politico, quorum autoritate subjecta fratrum contubernia, in iisque ecclesiae et scholae cum omnibus, quae huc pertinent, diriguntur.

Apud evangelicos pro ratione usitatae directionis districtus nominantur quatuor; quales sunt:

1.) Cisdanubianus, ad quem referuntur ecclesiae in comitatibus posoniensi, nitriensi, trenchiniensi, thurocziensi, arvensi et liptoviensi. Superintendentes a benigna resolutione erant: Elias Mohlius, et dum haec scribuntur, Michael Torkosius *), ministri inc. ecclesiae modrensis, omni mea laude superiores. Inspector fuit baro Christianus Calisius, post hunc Paulus Jeszenák, et jam illustr. liber baro Petrus Zay.

2.) Montanus sive medius, ad quem pertinent ecclesiae in comitatibus zoliensi, honthensi, barsiensi, neogradiensi et pesthiensi. Superintendentes a tempore benignae resolutionis Carolinae fuerunt: summe ven. condam Samuel Michaelides, inc. nationis slavonicae in ecclesia neosoliensi pastor, 22. Nov. in ecclesia garanszegiensi inauguratus et post annos octo **) eodem die an. 1740. in domino beate mor-

*) Doleschalnál: inauguratus d. 5. Oct. 1761..

**) Hibás számitás. 1740.-ben történvén meg Michaelides halála, ha 8. évig viselte volna a superintendensi hivatalt, 1732.-ben kellett volna megválasztatnia. Ezen évet találom ugyan Vallaszkynál (Conspectus reip. lit. 2. kiad. 298. l.), a Halberstadtban 1830.-ban megjelent Historia eccl. evang. aug. conf. add. in Hung. szerzőjénél (118. l.),

tuus et uti meruerat, solenni funere apud novisolienses ad tumulum delatus. — Jeremias Pilarik, dacso-lamensis apud nagy-honthenses minister, magno illi viro 27. Aug. an. 1741. suffectus et an. 1743. contumulatus; vir bonus, sed cum priore nulla ratione conferendus. — Samuel Hruskovicz, neosoliensis inc. nationis germanicae et slavonicae minister, die 22. Jan. 1744. superintendens renunciatus et post quadriennium die 8. Maji *) denatus, vir in ecclesia evangelica majorem in modum meritus. — Andreas Hieronymus Fridelius, garanszegiensis minister, post beatum magni Hruskoviczii obitum, elaborante domino spectabili Georgio de Radvany, superintendens constitutus, feriis Michaelis 1766. propere mortuus. Inspectores fuerunt: Johannes de Radvany, et eo beate mortuo filius ejus natu major, Georgius, jam spect. Johannes Podmaniczky **).

3.) Cistibiscanus, superioris Hungariae, qui diffunditur per ecclesias in comitatibus scepusiensi, sárosiensi, zempliniensi, abaujvariensi, borsodiensi, gömöriensi et kis-honthensi. Superintendens est Elias Fischerus, ecclesiae kesmarkiensis pastor. Inspector erat condam illustr. Thomas Szirmay, jam spect. dominus Gregorius Horváth-Stansith de Grádecz, dominus omni mea laudatione major, die parasceves an. 1766. inter devotissima suspiria, non sine exquisitissimo omnium dolore, beate in domino mortuus et in articulari ecclesia toporczensi, digna tanto heroe funebri pompa, 13. April. sive dominica Misecordias tumulo illatus.

4.) Transdanubianus, diffusus per ecclesias comitatuum mosoniensis, soproniensis, jauriniensis, comaromiensis, castriferrei, szaladiensis, sümeghiensis, albensis, tolnensis, cum Sopronio et, dum floruisset, Jaurino. Superintendentes erant: Johannes Tóth-Sipkovics, Josephus Perlaky et eo mortuo, Gregorius Fábry, an. 1753., quo haec scribuntur, propter tumultus Vadosfalvae an. 1751. excitatos, autori-

---

Schmalnál is más helyen (Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 147. l.) mint megválasztatása évét; de 1734.-ben adatván ki a Carolina resolutio, Michaelides 1732.-ben nem választathatott meg, 1740.-ben történt halálaig tehát 8 éven át nem hivatalkodhatott. Megválasztatása évét Szeberinyi Jánossal 1735.-re kell tennünk. L. Memoria inaugurationis solennis..... Joannis Szeberinyi st. Pesthini, 1834. 13. l..

*) Szeberinyi szerint, i. h. 14. l.: 1. Sept..

**) Ribaynál még: jam liber baro Hellenbach, hic renunciavit estque jam Ladislaus Radvanszky.

tate regia a statione deturbatus. Inspector fuit spectabilis condam Michael Ostfy de Ostfy-Asszonyfalva, an. 1752. mortuus, vir hungarici moris, veritatis evangelicae amantissimus, jam post ejus felicem obitum vir omnium confessione insignis, Johannes Vittnyédy.

SECTIO III.

DE IMPEDIMENTIS EMENDATAE RELIGIONIS EVANGELICAE IN HUNGARIA.

§. 1.

Vix unquam magis daemon operatus erat, quam in turbandis sacris evangelicis, dum ea in Hungaria felicissimis auctibus invalescerent. Hinc diligentissime per organa sua elaborabat, ut felicissimum evangelii cursum impediat.

Daemon, pater ille mendacii, Joh. VIII. 44., quamprimum a veritate defecit, sine omni intermissione veritati contrarius erat. Hinc cum verbum dei veritas sit, Joh. XVII. 17., nihil intendit magis, quam ut sinceram ejus praedicationem intervertere et omnia fucatis perperam mendaciis complere queat. Scit enim regnum suum consistere non posse, si veritati divinae et verbo evangelii sua constiterit autoritas.

§. 2.

De his impedimentis religioni lutheranae ut quam plurimum noxiis paulo prolixius commentari et nostra et posteritatis vel maxime interest. Hinc cum haec sectio multis nominibus prolixior futura est, in certa eam capita melioris ordinis causa distribuam.

CAPUT I.

DE CALVINIANORUM A RELIGIONE EVANGELICA DISCESSIONE.

§. 1.

Sciebat daemon dissensionem in doctrina magnum esse veritatis impedimentum. Hinc non prius quievit, quam consentientes distraheret et quosdam Philippi Melanchthonis discipulos, lenitate

ejus et incautis loquendi formulis abusos, ad periculosissima Calvini castra pertraheret.

Philippus Melanchthon, illustre illius seculi eruditorum decus *) et sub primordiis emendatae religionis fidus Lutheri socius, a tempore Concordiae vitembergensis, quae an. 1536. inter Lutherum et Bucerum conciliabatur, in articulo de s. coena nutare coepit et post Lutheri obitum animosior factus, cum Calvino ejusque sociis collusit. Vid. Kromayerus in Centuriis hist. eccl. pag. 473. sq.. Hinc discipuli ejus hungari, autoritate tanti praeceptoris abusi et post reditum ex Saxonia ultro progressi, dogmata Calvini clam quidem, sed magno studio disseminabant.

§. 2.

Tales erant: Johannes praedicator cibiniensis, Franciscus Stanckarus, Kalmanchaeus alias Sánta dictus, Paulus Thúrius, Matthias Dévay, Caspar Pilcius, Sebastianus Lam alias Ambrosius dictus, Stephanus Beithius sive Böythe, M. Antonius Platnerus, Johannes Mylius, Daniel Weindling, alii.

De **Johanne** praedicatore cibiniensi adhuc an. 1530. **) ipse Lutherus questus est, dum in litteris ad Antonium Transylvanum, pastorem cassoviensem, datis dolet, quod Johannes praedicator Cibinii ab ipsorum instituto alienatus, sacramentariorum imitatur doctrinis. Vid. Severini Sculteti Hypomnema pag. 17..

Franciscus Stanckarus, Mantua italus, missa religione romano-catholica ad reformandam in Polonia circa an. 1549. religionem animum adjecit; sed dum steriles admodum forent successus, primum Regiomonti lingvae hebraicae an. 1551. professor factus, cum propter controversiam, quae eidem cum Andrea Osiandro intercesserat, ibidem amplius commorari nollet, Regiomonte excessit et Pinsoviae an. 1553. in Polonia docuit. In Hungariam delatus de persona Christi et in articulo de s. domini coena aperte cum Calvino sensit. Hunc Leonhardus Stöckelius aliquot disputationibus ita confudit, ut nemine pellente, relicta Hungaria, in Transylvaniam commigraret.

Kalmanchaeus, alias **Sánta**, quod claudum denotat, dictus, Beregszászio Debreczinum in pastorem vocatus, Calvini dogmata magna cum industria disseminabat et uti vir erat ferocis elatique animi et

*) Doleschalnál: sidus.

**) Ribaynál: 1539..

gloriae ut quam plurimum cupidus, multos in extremam perniciem praecipitabat, a Stöckelio publice confusus, Stanckarum in Transylvaniam sequutus est, ubi in provinciali synodo Tordae 1. Maji an. 1558. celebrata a Francisco Davidis errorum convictus, quum in corpus domini in s. coena sumptum blasphemiam evomuerat, propriis excrementis per os blasphemum egestis eluit et misere interiit, uti Hanerus in Historia ecclesiarum transylv. ex Hermanni manuscripto pag. 222. adnotavit. Huic evenit, quod scripsit quidam: crudeles obitus impius omnis habet.

Paulus Thurius dogmatibus calvinianis ecclesias lutheranas perturbabat, cujus historiam scripsit Thomas Faber, scholae bartphensis rector, strenuus veritatis evangelicae vindex, cujus laboris meminit Severinus Sculteti in Hypomnemate suo fol. 22., quod quidem mihi visum non est. Hic Thurius an. 1563. szentpetrinus pastor, in re sacramentaria tantum excitavit incendium, ut nulla fere ratione potuerit exstingvi. Postquam enim in conventu tarczalensi Augustana confessio rejecta et loco azymi panis fermentatus substitutus fuisset, Gabriel Perényi, maximus illarum partium patronus et rei evangelicae vindex, ministros, in ditionibus suis laborantes, summa animi contentione ad meliorem mentem reducerc nitebatur *); sed frustra fuerunt omnes ejus destinationes. Nam etsi sententiae vitembergensium, quam ipse Thurius cum socio suo sumptu Perényii, uti dictum est, eo expeditus retulerat, omnes, praeter ujhelyiensem et toroniensem, pastores subscripserint; tamen primus fere omnium Thurius mutavit sententiam et non prius sibi potuit reconciliare Perényium, quam peculiari chyrographo, 19. Aug. an. 1564. consignato, se azymo usurum promitteret; sed paucum post tempus violata fide et convasatis rebus clam se subduxit, alibi placita Calvini liberius explicaturus. Vid. Sculteti Hypomnema fol. 28.. Tantus enim erat Calvini admirator, ut teste Lampio in Synopsi historiae sacrae et ecclesiasticae pag. 370. Institutionibus ejus hoc addiderit epitaphium:

Praeter apostolicas post Christi tempora chartas,
Huic peperere libro secula nulla parem.

*) Doleschalnál: ita, ut etiam legationem miserit ad Augustum Saxoniae ducem et electorem, ad academiam item vitembergensem et lipsiensem, a quibus sententiam rogabat in decidendis controversiis istis (Legatus fuit Paulus Thuri, pastor szentpéteriensis et Bernhardus Solthy, pastor tolcsvensis. Lampe.)

Matthias Dévay, quem Johannes de Zápolya, cleri accusationibus circumventus, igni adjudicaverat, primis annis veritatis evangelicae adsertor, devius a veritate factus, tacite errores Zvinglii disseminavit et cum annis compluribus in partibus Hungariae inferioribus seniorem egisset, neminem alium nisi sibi consentientem ad obeundum ministerium admisit et quamvis crypto-calvinismi convictus, eundem ejuraverit: tamen ubi se dabat occasio, cum maximo ecclesiarum evangelicarum detrimento, placita sua commendare non neglexit. Dévayum ab inc. senatu cassoviensi ad obeundum ibidem ministerium evocatum fuisse, uti Johannes Sinay, professor debreczinensis, in Historia reformationis Hungariae manuscripta scribit, non scio, cum in libro memoriali, quem matriculam ecclesiasticam Cassoviae ab initiis reformationis consignatam adpellamus, quam et ego ipse possideo, nihil de eo in litteras relatum invenio *); eum tamen primum reformatorem apud cassovienses fuisse aut ritus romano-catholicos primum abrogavisse, nulla prorsus ratione confirmari potest, cum id Antonius Transylvanus cum fidelissimo collega suo Leonhardo Cox, praeclaro in Anglia genere oriundo et Henrici VIII. regis informatore atque demum primo cassoviensium rectore, multo prius, quam Dévayus innotuerat, feliciter praestiterint. Coxius enim, vivente adhuc Luthero, cum principi insidias strui advertisset, Cracoviam profugit et tandem Cracovia Cassoviam in rectorem scholae evocatus est, quem Leonhardus Stöckelius optimum suum in Hungaria praeceptorem adpellare solitus fuit. Si quid ego divinando adsequor, optimus ille professor, incautus Johannem Tsétsi, professorem patakiensem, sequutus, infelici huic errori involutus est. De Tsétsio, quem modeste confutavi, legi potest sect. I. cap. I. de primis reformatoribus §. 8.. Narrationem de fatis et functionibus Dévayi, quam Ember et ex eo Lampe in Historia ecclesiastica describit, domini clar. professoris debreczinensis opinationi longe antefero, cum et tempori et veritati magis respondeat. Autor Historiae diplomaticae et quotquot sunt vetustiores rerum ecclesiasticarum scriptores, de carcere budensi,

*) Ennek daczára történetiróink, a kiknek munkáit utánnézhettem, mint Vallaszky (Conspectus reip. lit. 2. kiad. 153. l.), Klein (Nachrichten von den Lebensumständen und Schriften evang. Prediger st. II. k.), Közhasznu ism. tára IV. k., Historia eccl. evang. aug. conf. add. in Hung. st. Halberstadt, 1830. 6. l., Geschichte der evang. Kirche in Ungarn st. Berlin, 1854. 62. l., Dévayt kassai papnak egyhangúan állitják.

quem sub Johanne de Zápolya passus est, perscripserunt ad posterita tem, de viennensi nihil me unquam legisse ingenue confiteor. *) Ex carceribus liberatus in partibus inferioribus se continebat et ubi se dabat occasio, Calvini dogmata disseminabat, vir non indoctus, sed vanus et inconstans. Hic Matthias Dévay, quem Tsétsius l. cit. perperam Matthaeum adpellat, primus fuit controversiae sacramentariae in Hungaria autor. Ita enim celeb. Boernerus, medicinae apud vitembergenses doctor, in epistola clar. Paulo Fabri, neosoliensi, an. 1556. ad prolixam studiorum ejus commendationem inscripta, ex libro vitembergensium memoriali adnotavit: „Ex antiquis temporibus spectant huc, si recte sentiam, Martinus Cyriaci, qui primus omnium ex Hungaria Lutheri fuit auditor, rectore magnif. Philippo Melanchthone an. 1522. in album academicum inscriptus; Dionysius Lincius, pannonius; Balthas. Gleba, budensis, Stephanus Kopacius, in patriam redux ecclesiae Albae Juliae, an. vero 1547. rivulensi, 1549. patakiensi regendae praefectus; Andreas Batizius; Emericus Ozoreus et Matthias Dévay, quos omnes purioris doctrinae in ecclesiis hungaricis instauratores, ultimum vero eorum, Dévayum, primum controversiae sacramentariae ibidem excitatae auctorem fuisse, memoriae proditum est," quod aliorum etiam testimoniis confirmat. Plura de vago et inconstante homine, a veritate evangelica devio, non habeo dicere. Schedae enim ejus ad fratres missae omnibus eruditis hungaris uti non visae, ita suspectae sunt.

Caspar Pilcius, dopschensis **) et marcivillanae ecclesiae in Scepusio minister, postquam procurandis sacris in oppido Sáros admotus fuisset, quamvis vivente Rubero, superiorum partium Hungariae generali capitaneo, heroe in defendendis limitibus regni et veritate evangelica insigni, cujus beneficiis et vitembergae sustentatus et Brigae in ministrum ordinatus fuit, nihil fuerit ausus: eo tamen mortuo et vix sepulto turbavit ecclesias et inter alia edidit ad mentem Calvini Regulas sive Theses quasdam, quas bartphenses Martinus Wagnerus, Thomas Fabri et Severinus Sculteti an. 1586. sub titulo: Examen regularum Casp. Pilcii promte non minus, quam solide refutarunt. Hic dum iterum Assertorem regularum suarum

*) Bécsi fogságát a Közhasznú ism. tára és Geschichte der evang. Kirche in Ungarn st. is, iként idézett helyeken, emlitik.

**) Bartholomaeides: Memoria Ungarorum st. 59. l. indokolva tagadja, hogy Pilcius dobsinai pap volt volna.

evulgasset, Jacobus Wagnerus, minister bartphensis, Thomas Fabri, ibidem Indirector, et Severinus Sculteti, rector eperjensis, ex genuinis scriptis Martini Wagneri, bartphensium pastoris et eo tempore liberarum regiarumque civitatum senioris, die 26. Nov. an. 1590. beate mortui, Apologiam examinis sui sequente statim mense ediderunt. Prodiit Bartphae, an. 1590.. Adhaesisse eum Calvino, neque frater ejus, rev. Johannes Pilcius, diffiteri potuit. Hic enim in Adversariis suis, sive notis, quas Narrationi historicae fratris sui, Casp. Pilcii, de inaudita oppidi Topscha per turcas fülekienses devastatione, 14. Oct. an. 1584. facta, adjecit, sub finem non invitus confitetur: „Addictus hic aliquamdiu erat calvinisticae sectae, quem errorem execrabilem, divina adjutus gratia, tandem an. 1593. in festo transfigurationis Christi Igloviae, in generali congregatione, revocavit ejuravitque. Formulam istius solennis revocationis adhuc adservo sub manibus meis. Excessit e vivis an. 1605. vitae satur, prope octogenarius.“ Haec frater ejus memoriae prodidit, cui Historiam devastationis topschensis a se conscriptam, custodiendam reliquerat. Edidit eam Christophorus Daniel Kleschius, Danielis filius, an. 1671. Vitembergae, typis Johannis Haken et Matthiae Christoph, crompachiensi pannonio, senatori vitembergensi, dedicavit. Exstat adhuc Topschae, quod scimus, tabula ad sacrarium parieti adfixa, quae execrabilis illius et funestae devastationis memoriam exhibet et post uberiorem excidii illius descriptionem non minus annum, quam mensem et diem in hunc modum exprimit:

BIs septena DIes oCtobrIs Vt aXe refVLget,
DopshCIna fLebILIter tVrCICo ab Igne perIt.

Descriptio Pilciana funestae illius devastationis breve quidem scriptum est, sed singulare vetustatis et turcicae feritatis documentum. De ipso Pilcio consuli potest elegans praefatio Examini regularum Pilcianarum praemissa, ubi de ejus astutia et arrogantia multa leges, cui addi debet ven. Benedicti Belsii, pastoris eperjensis et inc. comitatus sárosiensis atque quinque liberarum civitatum senioris, Examinis illius commendatio, in qua Pilcium inter homines ambitiosos, inflatos et petulantes collocat et quantum mali subdolus ille lupus ecclesiis evangelicis intulerit, prolixe enarrat.

Sebastianus Lam, a patre Ambrosio, cive kesmarkiensi, Ambrosius adpellatus, primum eperjensis, deinde kesmarkiensis minister, ediderat Antithesim ubiquitatis, quam duplici respon-

sione egregie confutavit spectabilis condam Gregorius Horváth Stansith de Grádecz, inc. comitatus scepusiensis vicecomes, quem celeb. Aegidius Hunnius in epistola ad Albertum Graverum 23. Mart. an. 1597. data magnificum heroem adpellat. Prima responsionis pars prodiit Bartphae an. 1592., quam, cum Defensionem sui edidisset Lamius, sequebatur pars altera, et Antithesim et Defensionem luculentissime confutans, Bartphae an. 1593. in 8. typis Davidis Gutgesell. Huic successit Admonitio, qua Gregorius Horváth Sebastianum Lam, calvinistam kesmarcensem, captum et irretitum fuisse propria ejus confessione breviter ostendit. Prodiit Bartphae an. 1593.. Lamium heterodoxias calvinianae convicit in synodo kesmarkiensi an. 1595. Albertus Graverus, de quo videri potest Spizelius in Templo honoris pag. 43.. Etsi enim calvinianus nominari noluerit, Calvini tamen dogmata sequutus est, uti demonstrat evidentissime idem Graverus in praefatione Bello Calvini et Jesu Christi Nazareni praemissa. Prodiit Bartphae, 1597. in IV.. Hinc cum Sebastianus Lamius dogma Calvini de sacra domini coena defenderet, aequum esse existimavit M. Graverus, ut eum pro ea, qua praeditus erat, soliditate refelleret, quod eum opere germanico Lipsiae an. 1600. in IV. felicissime praestitisse testatur Spizelius in Templo honoris pag. 45.. Erat Lamius, quantum ex scriptis ejus adparet, vir egregie doctus, sed subdolus, animi et lingvae impotentis et rationis, uti calvinianis usu venire solet, magnus admirator. Hinc, quantum divinando adsequor, factum fuit, quod spect. condam Gregorius Horváth Stansith de Grádecz, postquam cum eo defendendae veritatis causa congrederetur, acerbius, quam Lamius voluisset, in eum loquutus sit. Hunc cum vivum metueret Lamius, mortuum injuste in famoso *) suo epigrammate calumniatus est et in sermonibus pro concione dictis exemplum Juliani apostatae virulenter in mortuum detorsisse, etsi nomen ejus non expresserit, fide dignissimi cives kesmarkienses testati sunt. Spect. Gregorium Horváth Stansith de Grádecz et M. Albertum Graverum, eo tempore scholae cassoviensis rectorem, diabolistas adpellavit et priorem cum Baalaco, posteriorem cum Bileamo comparavit; sed, judice Gravero, publicum mendacium non requirebat nervosam refutationem. Quamdiu apud eperjenses ministrum egit, dogmata Calvini proponere ausus non est, alias neque ad momentum eum tulissent; sed postquam Kesmarkinum delatus fuis-

*) Ribaynál: infami.

set, audacior in patria factus, clam inprimis placita Calvini disseminavit, in synodo tandem leutschoviensi an. 1597. publice damnatus, uti testatur Hutterus in Concordia concorde cap. 55..

Stephanus Beithius sive Böyte, de quo in Commentatione de vitis superintendentum evangelicorum pluribus dictum fuit*), dum ad calvinianos circa an. 1594. declinare videretur, ministri genuine evangelici episcopatui ejus renunciarunt. Hinc filius ejus Andreas, vilissimi corvi non melius ovum, sub nomine patris sui carmina quaedam evulgavit in viros, qui renunciationi illi praeerant, admodum injuria. Hoc dum innotuisset, in majori templo csepreghiensi, autoritate illustr. comitis Francisci de Nádasd, in maxima populi frequentia factum detestari et culpam publice deprecari coactus fuit. Vid. epistola magni cujusdam viri hungari ad D. Frid. Balduinum missa, quae recitatur in Phosphoro veri catholicismi lib. III. cap. 34. pag. m. 293. sq..

M. Antonius Platnerus, ecclesiae leutschoviensis pastor, a M. Johanne Rhawio, rectore, an. 1597. in publica synodo calvinismi convictus resipuit, constans in posterum veritatis evangelicae adsertor. Videri potest Hutterus in Concordia concorde pag. 1409. et Pomarius l. cit..

Johannes Mylius, scholae leutschoviensis rector. Hic in synodo eperjensi an. 1593. examini Severini Sculteti subjectus esse noluit propterea, quod senior Formulae concordiae subscripserit; sed Mylius a tota synodo calvinismi convictus et condemnatus fuit, uti prolixe recenset Hutterus in Concordia concorde cap. 53.; conf. Pomarius in praefatione Disputationibus de peccato originali praemissa. Hic cum Kesmarkini rectorem scholae ageret, a magnif. comite Tökölyo ad arcem evocatus, ut Sebastiano Lamio cum Gravero disputanti subsidium ferat, etsi merito facere debuisset: tamen sententiam suam calvinianam de persona Christi prodere nolens, cum Palaemone illo Virgiliano respondit:

Non nostrum inter vos tantas componere lites,

uti confitetur idem Graverus in solida et modesta Confutatione declarationis circumstantiarum gemini colloquii in arce kesmarkiensi habiti evulgatae a Sebastiano Lamio. Prodiit Bartphae an. 1597. in IV..

*) Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 9. l..

Daniel Weindling, regiomontanus, ecclesiae csetnekiensis pastor, qui errores calvinianos in publica ven. contubernii congregatione ejuravit et detestatus est. Postquam enim articulis ven. contubernii gömöriensis a rev. Cypriano Fridt, s. rom. caesareo-regiae majestatis in arce Murány concionatore et tractus muranyensis electo superintendente sive, ut modo vocantur, seniore, conscriptis et non minus a Melchiore Maschko ad Nyderlays, Julio libero barone in Herberstein, capitaneis arcis Murány, quam Stephano Csetneky an. 1590. confirmatis subscripsisset, propria manu in publica ven. contubernii matricula haec adnotavit: „Ego Daniel Weindling, regiomontanensis, pastor csetnekiensis, sincere et absque ullo fuco veritatis agnosco et confiteor coram hac christiana frequentia et congregatione, me hactenus habuisse diabolicos calvinisticos errores; sed posthac vere et sincere doctrinae christianae in Augustana confessione comprehensae subscripsi.“ Ita Weindling adpromittebat, utinam meliore conscientia, quam penna!

Alios hic a religione evangelica desciscentes percensere opus non est. De Thoma Fabricio patakiensi legi potest Commentatio mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria in vita Eliae Lányi *), ubi et carmen elegans Pauli Malus sive Jablonovszky reperias. Ediderat Thomas Fabricius, ecclesiae patakiensis minister, Disceptationem de imaginibus et omnem earum usum ex ecclesiis propulsabat, cui Elias Lányi, superintendens, an. 1595. Scutum libertatis christianae in usu ceremoniarum, nominatim autem imaginum opposuit, et quamvis Fabricius Exarmationem scuti Lányiani conscripserit, Lányius tamen Scutum suum egregie tuitus est. Vid. Defensio libertatis christianae in usu imaginum historico an. 1599. Bartphae edita. Huic libello Paulus Malus, scholae moschoviensis rector, hanc in patakiensem Fabricium praemisit inscriptionem:

Loripedem erectus vates derideat inquit.
Tu rectos rides claude Vacine viros.
Claudos namque vocas, qui coelica verba sequuntur,
Qui puro Christum pectore et ore colunt,
Idola qui fugiunt, unum qui numen adorant,
Praesens qui Christi corpus adesse docent.
At tu qui Christum vinclis super aethera stringis,
Quam merito claudus diceris esse mihi.

*) Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. ll. l..

§. 3.

Dissensiones has illustr. condam comes Franciscus de Nádasd in herba, quod ajunt, compositurus, viros ab utraque parte an. 1590. Csepreghinum evocavit, ut non tantum in articulo de coena domini colloquantur; sed etiam ad evitandas omnes in posterum dissensiones Formulae concordiae, libro ecclesiarum evangelicarum symbolico, subscribant. Sed uti optimae destinationes saepe saepius ad irritum cadere solent: ita hic evenisse non absque dolore recordamur.

Colloquium csepreghiense mense Junio an. 1590. de coena domini inter rev. Severinum Sculteti, pastorem bartphensem et Stephanum Böyte, ministrum németujváriensem institutum ita finiebatur, ut Böyte, cum se victum adverteret, post conjecta in nostros convicia, furibundo similis templo egrederetur et colloqui amplius detrectaret. Vid. Historia colloquii csepreghiensis, edita a Gregorio Horváth Stansith de Grádecz, qui cum filio Böyte officio publici notarii defunctus fuit. Qui ex calvinianis colloquio huic interfuerunt, recitat Lampe in Historia ecclesiastica pag. 329.. Ex nostris praeter Sculteti um praesto fuit Georgius Muraközy, pastor sárváriensis, comiti Francisco de Nádasd a sacris et posthac in Hungaria inferiori evangelicus superintendens. Dum haec fiunt, non tantum in Hungaria multi Formulae concordiae subscribere recusabant, sed etiam Vitembergae cives hungari de eadem perdite et non satis reverenter loquuti sunt. Hinc, elaborante cel. D. Aegydio Hunnio, autoritate electoris Saxoniae, Augusti, omnes tales civitate academica exclusi turmatim Heidelbergam commigrarunt. Vid. M. Daniel Lányi in Ignea veritatis columna parte speciali. *)

§. 4.

Ante hoc csepreghiense colloquium omnes sub specioso evangelicorum nomine latuerunt; sed in posterum dissociati, a Johanne Calvino, quem sequuti sunt, calviniani fuerunt adpellati.

Variae sunt eorum denominationes. Ab Ulrico Zvinglio, qui Samsoni, mediolanensi franciscano, indulgentias in Helvetia praedicanti, an. 1519. se opposuit, zvingliani; a Confessione helvetica, quam sequuntur, helvetae; propter mota de sacramentis certamina, sacramenta-

*) Doleschalnál még: Conf. Lampe l. cit., qui paria refert de proscriptione hungarorum ex academia vitembergensi, causam tamen proscriptionis non commemorans.

rii; et a praecipuo horrendi illius absoluti decreti autore et patrono, Calvino, calviniani fuerunt denominati. In Gallia dicuntur hugonottae, quod nomen an. 1561. ad contumeliam calvinianorum effictum est, uti adnotavit ex Thuano Adamus Rechenbergius in Appendiceadlibros ecclesiaelutheranaesymbolicos p. m. 255.. In Gallia enim usu veniebat, ut parentes liberos noctu plorantes spectris et lemuribus nocturnis terrerent. Fuit autem illis temporibus constans opinio, regem, Hugonem dictum, urbem Caesarodunum nocturnis vigiliis circumire, ut hominibus metum et terrorem incutiat et eos flagellando non parum adfligat. Hinc cum calviniani in Gallia propter continuas divexationes palam exercitium religionis suae administrare non auderent, pietatem suam nocte incuba compensabant et propterea a Hugone per contemptum hugonottae adpellati sunt. Vid. Thuanus lib. XXIV. ad an. 1560.. Apud nos in Hungaria reformati cupiunt adpellari; sed cum haec adpellatio ita ampla sit, ut omnes, qui a sacris romano-catholicis discesserunt, et inprimis lutherani, qui primi in Hungaria reformatores fuerunt, eadem gloriari possint: nescio, quo jure eandem sibi transscribant calviniani inprimis cum multos fidei articulos, propriam sequuti rationem, ita deformarint, ut nullo amplius modo, ne ipsi spiritui sancto per scripturas loquenti, se patiantur reformari.

§. 5.

Erant quidem nonnulli, qui post solutam etiam externam illam unionem, lutheranos cum calvinianis in negotio fidei conciliare adtentabant; sed magni unius viri sententia, uti Christus cum Beliale: ita evangelici cum calvinianis, in fundamento fidei dissidentes, conciliari non potuerunt. Nam ut scripsit quidam:

Ad coel duc men Luther amoe
um it tes us num.
Ad tetr trud men Calvin aver

Frustra fuerant henotica Paraei consilia, cum calviniani post colloquium csepreghiense ita lutheranos in Hungaria aversarentur, ut sub initium seculi XVII. diligentissime caverint, ne studiosi suarum partium Vitembergam amplius studiorum causa commearent, quod confitetur ipse Lampius in Historia ecclesiastica pag. 331.. Non est operae pretium, ut hic loci percenseam, quanto studio, sed mala fide, Christophorus a Roxas, primas Croatiae et episcopus tinniensis, unionem inter romano-catholicos et protestantes an. 1683. nomine summi ponti-

ficis procurare fuerit adnisus; neque aequum esse arbitror commentari de Tunica Christi insutili augustano-reformato-evangelica *), sive sincero proposito ecclesias protestantes, interne alioquin unitas, externe quoque uniendi, quod scriptum prodiit Londini gallice an. 1755. et anno sequente in latinum idioma translatum est: hoc tantum adjicio, Samuelem Nigrini, rectorem solnensem, ineunte seculo XVIII. per henotica quaedam consilia hoc intendisse, ut dissociatae in fundamento fidei religiones apud hungaros uniri potuissent; sed tantum abest, ut quod malesanis consiliis conficere intendebat, fuerit consequutus: ut potius evangelicos in Hungaria in veritate obfirmarit, a rev. condam Samuele Matthaeides, dum in Pomerania studiorum causa versaretur, refutatus. Vid. ejus Roma et Geneva Hungariae irreconciliabilis, adversus Hungariae syncretistam, Samuelem Nigrini, in Onomasteriis Carolinis an. 1708.. publico examini exposita. Recusa est an. 1713. Quaesitae huic conciliationi non respondit eventus, quia hic ut quam plurimum valebat illud, quod condam haud incogitate existimabat Lutherus:

Sit maledictus amor, pax et concordia sacra,
Quae violat verbi dogmata sacra dei. **)

conf., si placet, praefationem Severini Sculteti Bello Calvini et Jesu Christi Nazareni, quod Albertus Graverus, scholae cassoviensis rector, Bartphae an. 1597. edidit, praefixam et recordare illius, quam facilis sit ex calvinianismo in arianismum et hinc in muhamethanismum prolapsio. Id, ut alia prudens taceam, duplici exemplo luculentissime confirmari potest. An. 1570. Adamus Neuserus, pastor heidelbergensis, ex calvinismo in arianismum prolapsus atque demum ex ariano turca factus, Constantinopoli circumcisus et eques turcici imperii constitutus, desperavit. ***) Hic dum ante mortem suam Stephano Ger-

*) Ribaynál: calviniana.

**) Itt Ribaynál a következő jegyzet olvasható: An. 1786. prodiit libellus in Hungaria: Tentamen unionis inter protestantes, cujus libri autor putatur Cornides, in aula comitis reformati Josephi Teleky; dein professor publicus heraldices budo-pesthanae academiae. — A szélen pedig látszólag ugyanazon kézzel, de különböző tentával, mindenesetre később hozzátéve: Paulus Tesslák, pilisiensis verbi divini minister, ex vero autor fuit.

***) Ribaynál: De eo vide pluribus: Menkenii Lexicon eruditorum p. m. 1456..

lachio, professori jenensi, prolixius exponeret, qua occasione malo huic involutus fuerit, postremo adjecit: Qui vult cavere arianismum, caveat calvinismum. Huic addi debet Petrus Nigrini, ex ministro lutherano calvinianus factus, qui, dum cum arianis semel atque iterum disputavisset, Arii doctrinam sequutus est atque demum ad muhamethanismum prolapsus, Constantinopoli commorabatur, quem cum laudatus Gerlachius visitasset, albo ejus inscripsit sequentia: Qui vult vitare muhamethanismum, vitet arianismum, qui arianismum, vitet calvinismum; uti haec omnia celeb. Gerlachius, ingenuus testis, memoriae prodidit. Hoc praeterea non sine causa ad posteritatem scribi debet, ipsum romanum pontificem, Innocentium XI., unionem talem procurare voluisse et serio decrevisse, ut

1.) Synodum convocet 24. theologorum, dimidiatis numeris reformatorum catholicorum, ita enim adpellat lutheranos, et ejusdem numeri romano-catholicorum. Calvinianos se prius non recepturum, quam triplicem errorem: a.) de praedestinatione, b.) de coena sacra et c.) de persona Christi agnoverint et palinodiam publice canere coeperint.

2.) Remotis affectibus et sine omni partium studio ad ductum scripturae esse edicendum, ad cujus quoque limam *) Augustana confessio et Concilium tridentinum reducantur, se interim non judicis, sed summi in ecclesia Christi sacerdotis munere functurum.

3.) Sacram coenam sub utraque dandam.

4.) Auricularem confessionem nonnisi hispanis aut italis esse relinquendam, ob enormia, velut vocantur, peccata muta.

5.) De invocatione sanctorum primos antiquissimos patres esse sequendos.

6.) Purgatorium credi aut rejici posse parvo orthodoxias damno aut periculo.

7). Conjugium clericorum admittendum utique, non tamen iis, qui votum castitatis praestiterint.

8.) Tandem romano- et reformato-catholicos cum ecclesia graeca, quamvis errorem de processione spiritus sancti agnoscere non velint, ecclesiam vere christianam constituere. Cetera concilio relinquuntur. Haec totidem verbis Roma die 31. Jul. an. 1679. perscripta sunt. Vid. Decretum Innocentii pontificis XI. exhibens suppressionem officii immaculatae conceptionis sanctissimae virginis et complurium indulgentiarum, Romae

*) Ribaynál: lineam.

an. 1679. impressum, quod revocatorio suo sermoni adjunxit et an. 1679. Vitembergae imprimi curavit Stanislaus Izdebsky, evangelico-catholicae fidei confessor.

§. 6.

Quantam haec calvinianorum scissio jacturam rei evangelicae adtulerit, facile admodum est arbitrari. Praeterquam enim quod utraque pars debilior facta est: etiam magna cum acerbitate invicem digladiabatur et adversariis rei *) evangelicae tanta cum facilitate resistere non potuit.

Ecclesia, judice Georgio Majore, in oratione an. 1557. Vitembergae habita, nil aliud est, quam acies castrorum ordinata. Infelix autem exercitus est, cujus duces dissentiunt et propter mutuas, sine prudenti deliberatione factas, dissensiones exercitum, ad paucitatem redactum, hosti ad resistendum imparem efficiunt. Idem in scissione hac calviniana evenisse nemo est, qui non facile intelligat. Verum est, quod dicit salvator: Omne regnum intra se divisum desolabitur et domus divisa cadit. Luc. XI. 17..

CAPUT II.

DE MAGNATUM A RELIGIONE EVANGELICA DEFECTIONE.

§. 1.

Non parum felicissimos rei evangelicae successus impediebat magnatum Hungariae profana a religione evangelica **) discessio. Uti enim iis magno numero accedentibus, laetis auctibus invalescebat: ita posteris eorum ab agnita semel veritate deficientibus, non parum diminuebatur.

Quam multi magnates religioni evangelicae accesserint, sect. II. cap. I. ostensum fuit: nunc de iis, qui defecerant, breviter dicendum est. Neque ignobiles, neque pauci fuere. Nam etsi in religione evangelica educati, veritatem ejus agnoverint: tamen contra scientiam et conscientiam, rerum seculi hujus percupidi, ab ea desciverunt. Tales erant in primis, ut alios taceam:

An. 1623. Nicolaus et Sigismundus Forgács, Nicolaus Veselényi, et paulo post Andreas Balassa, Franciscus Veselényi et Jakusithii.

*) Doleschalnál: doctrinae.

**) Doleschalnál: lutherana.

An. 1625. Christina Nyáry, proregis consors, de qua jam in antecedentibus dictum, quod satis est.

An. 1630. Adamus et Michael Thurzó, Stanislai filii. Hos blandis verbis suis in errorem induxit Hungariae prorex, Nicolaus Eszterházy, postquam sibi Christinam Nyáry, comitis Emerici Thurzó relictam, sacro matrimonii foedere conjunxisset. Ita enim de eo autor Palatii regni Hungariae palatinorum part. II. pag. 112. commentatur: „Ipse apostoli munere fungens, multorum animis errores Lutheri Calvinique exemit, multorum salutem vindicavit. Thurzónes, praepotentes superioris Hungariae viros, ecclesiae romanae eloquentia sua restituit, ut jure quam optimo alter Pázmánus dici mereatur.“ Mea sententia exigua admodum haec laus est. Paulus enim apostolorum facile princeps ad corinthios non venit in sublimitate sermonis aut sapientiae, neque sermo ejus et praedicatio consistebat in eloquentia et persvasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides corinthiorum non sit in sapientia hominum, sed in virtute dei, uti ipse testatur 1 Cor. II. 4. 5.. Hinc non profana eloquentia, sed verbo dei, quod est potentia ad salutem omni credenti, rom. I. 16., convertendi erant Thurzónes. Qualia enim sunt media conversionis, talis et ipsa conversio.

An. 1632. Adamus Batthyányi *).

An. 1638. Gabriel Palocsay et Stephanus Haller.

An. 1642. Emericus Perényi et paulo post **) Alexius Barkóczy.

An. 1650. Stephanus, Ladislaus et Alexius de Réva et Franciscus de Nádasd, comitis Pauli Nádasdy, magni patris degener filius.

An. 1656. Paulus Fáncsius.

An. 1663. Caspar Szécsyus, et demum Ladislaus Listhyus, Franciscus Rákóczyus, Georgii minoris filius.

De his videri potest Franciscus Kazy, S. J., in Historia regni Hungariae lib. II. pag. 131. seq.. De reliquis, quos aeque dignitates et gloria mundi a veritate evangelica separavit, supervacaneum est dicere; adscribam tamen posteritatis gratia aliquos.

An. 1618. Nicolaus Eszterházy, evangelicis parentibus natus et

*) Erről Doleschalnál még: quem tamen an. 1634. a reformatorum sacris defecisse scribit Lampe praetereaque addit, eum in universa ditione sua regioneque cisdanubiana instituta persecutione, intra quindecim dies omnes ecclesiae ministros excedere jussisse.

**) Doleschalnál: ante.

in religione evangelica educatus, iis insciis et invitis a sacris evangelicis descivit.

An. 1604. comes Christophorus Thurzó, artibus Pázmáni circumventus, sacra evangelica ejuravit; sed stimulis conscientiae exagitatus an. 1613. ad evangelicos rediit. Conferri de eodem possunt M. Stephani Xylandri Carmina sepulcralia in obitum ejus conscripta, in quibus eum patronum suum incomparabilem adpellat, prolixe laudat et de reditu ejus ad evangelicos ita scribit:

Et licet exstiteris fidei desertor et hostis,
Humana fingens pro ratione deos:
Attamen inspiciens tenebras te poenitet acti,
Christi ideo amplexus lucida verba redis.

Fuit Christophorus Thurzó Stanislai, proregis Hungariae, frater minor natu, qui annos 31. natus die 7. April. in Scepusio beate mortuus et ex sententia Stanislai 16. Maji an. 1614. Leutschoviae, metropoli gepidarum, in magna frequentia magnatum, baronum et nobilium honorifice sepultus, uti adnotavit l. cit. Xylander, qui sub finem carminum adjicit:

Stanislai Leutschoviam cura translata dolentes
Hoc tua sub tumulo clausimus ossa, vale.

Xylander, ecclesiae várallyiensis pastor, et XXIV. regalium senior, absente aulico concionatore, Johanne Mihálikio, ad mortem eum praeparavit et moriturum ven. sacramento coenae refecit.

An. 1650. comes Gabriel Illésházy sacra nostra reliquerat, ad eadem iterum prudentia conjugis suae, Evae Szécsy, sequente statim an. 1651. revocatus, cui adjungendus est frater Georgius, Viennae sacra romano-catholica amplexus, priore multo infelicior. *)

Emericus Losy, archiepiscopus strigoniensis, a Gvilielmo Lamor-

*) E két Illésházyról Doleschal nál és Daxner nél az alább közlendőkön felül bővebben ez olvasható: Georgius et Gabriel, filii Caspari Illésházy. Hic, morti vicinus, filiis suis, si constantes in religione evangelica fuerint, benedixit, si ab ea vero recesserint, maledixit. Uterque quidem, et Georgius et Gabriel, fata sua experti sunt. Gabriel, ante matrimonium cum polona quadam religionis diversae contractum, sacra mutavit. Quod ei male cessit; perfida enim uxor polona, magna pecuniae et thesaurorum vi ablata, et in Poloniam profuga, eum deseruit. Georgius, aeque ducta uxore diversae religionis e comitibus Forgács, idem fecit et archiepiscopum strigoniensem, Georgium Szelepcsényi, sibi in patrem delegit. Vixit admodum splendide, ut se, qua magnificus Hungariae comes, magnifice in peregrinatione Venetias suscepta gereret. Ideo dynastiam banensem in fl. 80000

maino, S. J., Luthero ereptus, de quibus omnibus erit in posterum dicendi locus. Multo plures numerari possent, quos secularium officiorum dignitas lutheranis subtraxit. Postquam enim Ferdinandi II. et sequentium regum tempore ab officiis publicis removerentur lutherani, homines seculo dediti potius religionem, quam publica officia relinquebant. Ecce inc. gens de Réva, axiomate supremorum comitum insignis, a primordiis emendatae religionis doctrinae evangelicae adhaesit, quod exemplo Francisci I. de Réva, locumtenentis palatinalis, et post mortem Nicolai Thuróczy, favore Ferdinandi I. imperatoris supremi thurocziensium comitis, an. 1573. mortui, luculentissime commonstrari potest; ne quid de magno illo heroe, Petro Réva, sacrae coronae duumviro, Trenchinii ad pedes sacrae coronae Hungariae an. 1622. beate mortuo percenseam, de quibus in Syllabo litteratorum thurocziensium*) prolixius commentatus sum: evenit tamen, ut seculo hoc XVIII. Michaelis senioris de Réva duo filii, Petrus et Michael, dignitatum regni percupidi, relictis sacris evangelicis, romano-catholicis se adsociarent, quorum ille dignitate supremi comitis, hic Consilii regii locumtenentialis adsessoris et aliis dignitatibus auctus, stimulis conscientiae exagitatus tristem vivendi finem fecit, vir alioquin, dum lutheranis adhaereret, rerum sacrarum egregie peritus. Minimus natu frater, Paulus liber baro de Réva, an. 1767. beate mortuus, quam continenter professus est religionem evangelicam, ita religiose coluit, ut ab ea se nulla ratione dimoveri fuerit passus, vir, et amator et vindex veritatis constantissimus, cum alii complures vanitati magis, quam veritati dediti, dignitatis cujuspiam causa facile religionem evangelicam, in qua educati fuerunt, cum romano-catholica commutarent, quales inter Beniczkyos, Berzeviczyos, Dessewffyos, Okolicsányios, Szirmayos, Szentiványios et alios complures fuisse omnibus exploratum est. Franciscus Dessewffy, homo quidem indoctus et ad res publicas, quod experiendo didici, cum dignitate procurandas ineptus,

---

Szelepcsényio oppignoravit, quam ei summam et dynastiam restituturus fuisset, tanquam filio adoptivo, ut promisit ei Szelepcsényius, si se ei submittere voluisset; quod cum ille recusaret, homo ambitiosus dynastiam banensem jesuitis szakolczensibus dono dedit. Quod an. demum 1729. Josephus Illésházy ab jesuitis redemptum familiae suae recuperavit. Tempore beli Tökölyani caesari fidem non servavit, sed rebellibus se adjunxit; Gabriel tamen ante mortem resipuit. Ex Mst. Johannis Thurzó, rectoris olim trenchiniensis, an. 1759. mortui. De his etiam videri potest Franciscus Kazy, S J., in Historia regni Hungariae lib. II. pag. 131. 132..

*) Lásd, Péterről, Magy. tud. értekező I. köt. 1862. 248. s. k. l.

maluit religionem evangelicam, in qua educatus fuit, deserere, quam dignitate vicecomitis, quae ei apud thurocziense ea conditione promittebatur, privari, qui cum nulla ratione commoda publica promoveret, omnibus exosus, inglorius finem vivendi fecit, tam inclytae gentis non exiguum ludibrium. Paulus Szentiványi, optimorum filiorum pater, propter exilem apud sárosienses dignitatem et suos commutata religione involvit et ipse paucum post tempus infelicem evomuit animam.

Neque ex ordine ecclesiastico deerant, qui post vitam licentiose actam poenas, quas meruerant, declinaturi, non sine perpetuis conscientiae stimulis malo huic se involverent. M. Johannes Kircherus, patria tubingensis, derelicta ibidem uxore, primum Banoviczii, dein Neosolii scholae rector, postquam vivente adhuc uxore virginem quandam neosoliensem in futuram conjugem sibi desponsasset, cognito negotio, ignominiam, quae ei impendebat, evitaturus, deserta uxore et religionem deseruit praeposterique sui facti rationem redditurus Aetiologiam edidit, non tantum a Dorschaeo in Hodegetico catholico an. 1691. Argentorati edito, Bebelio in Antivanquerecio an. 1682. impresso, sed etiam a discipulis ejus, Paulo et Adamo Kis, sárváriensibus, Paulo Lochmanno, thurocziensi, et Samuele Csernák, babotensi, disputationibus aliquot, sub praesidio celeb. Abrahami Calovii Regiomonti 1642. habitis, felicissime confutatam. Vide, si placet, Examen Aetiologiae M. Joh. Kircheri in IV. et hominem profugum etiam post infelicem ejus obitum detestare. Huic adnumerari possunt Martinus Dévay, minister cassoviensis, a fide devius, Johannes Benedik, minister lófalvensis et Johannes Kegyer, pastor kőszegiensis et lemesanensis atque demum, uti loqui amant, licentiatus videmikiensis, omnes, quod tempus probavit, inglorii et infelices. De Tobia Brunczvik, comitis Stanislai Thurzó, proregis Hungariae, semptaviensi concionatore et decem comitatuum superintendente, turpi et infelici religionis evangelicae desertore, egi prolixius in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria*), ne quid de perdito illo Sztanovszkyo, qui an. 1762. propter vitam turpiter actam, relicta uxore, ecclesiam pondelocensem deseruit et commutata religione sacris romano-catholicis se addixit **), percenseam, homo ad captandas umbras

*) Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 87. l..

**) Ribaynál jegyzetben: Posonii in templo cathedrali de cathedra dicto sermone, qui typis excusus est sub titulo: Kurtze Anrede an die gantze Versammlung, in der Kirche in Pres-

magis, quam litteras natus. Tales religionis nostrae squamas non multum curamus, qui putridis et foetentibus piscibus similes prudentioribus abominatio sunt, foetenti sterquilinio conformanda. Nemo enim talium propter continuos conscientiae stimulos feliciter vitam cum morte commutavit. His merito accensendus est Stephanus Fekete, superioris seculi XVII. trans Istrum superintendens, qui agnitam et multis modis propugnatam religionem evangelicam post decennalem Leopoldi M. divexationem perfide deseruit, quem etsi multi credant post multos conscientiae stimulos ad priora rediisse; ego tamen certus scio, quod

Fekete per multos atro carbone notatus
Nunquam cordatis amplius albus erit,

de quo in Superintendentibus meis *) plura **).

§. 2.

Quantum hi, qui a religione evangelica desciverant, damnum veritati procurarint, pro dignitate explicari non potest. Nam exploratae veritatis est, quod dixit quidam:

Asperius nihil est, quam turpis apostata primi
Ordinis et semper carnificina sui.

Id inter mille testimonia exemplo comitis Georgii Illésházy probari potest. Is ex sententia optimi patris, comitis Casparis Illésházy, institutione Johannis Kucsera, rectoris rosenbergensis, usus et in religione evangelica ***) educatus, clam Viennam se contulit et inscio patre sacra romano-catholica amplexus est. Heres bonorum etsi difficiliter fa-

burg bei abgelegten Glaubensbekenntniss, gr. 4. 1761. renunciavit evangelicae religioni, factus senator Basinii, in summa egestate vixit, civibus pro prandio ad eos veniens oneri fuit, ut ita natum proverbium: Kochy éjtá kde sa kadj. Ejus filia nupsit cuidam fabro ferrario trenchiniensi, apud quem et mater delituit, omnes catholicae. Ejus filius, David Sztanovszky, romano-catholicus, cel. principis Nicolai Eszterházy in oppido Báth per duos annos solum frumentarius ita exagitatus intra 8. dies vix 85. annos natus misere mortuus est an. 1783..

*) Monum. evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 94. l..

**) Ribaynál jegyzetben: Nostra aetate Johannes †) Claudini ex academia vitembergensi rediens et prope Jaurinum aulicum informatorem agens apud clericos jaurinenses abnegavit nostram religionem, factus parochus ex voluntate Zichyi, episcopi jaurinensis, in Rábaköz nomenque commutavit in . . .

***) Doleschal- és Daxnernél: lutherana.

†) Bartholomaeidesnél: Memoria ungarorum st. 274. l.: Andreas.

ctus, evangelicos turbavit, Georgio Szelepcsényio archiepiscopo strigoniensi, propter aes ab eo mutuo acceptum, obnoxius, ex ejus arbitrio omnia exequebatur et cum exsolvendo non sufficeret, oppida et pagos ei resignavit et eo ipso rei lutheranae ibidem florenti irreparabile damnum conciliavit. Archiepiscopus moriturus castellum banoviczense, pagos et agros in patres jesuitas transtulit, postquam nostros omni libertate privavisset. Zacharias Lányi, superintendentis ejusdem nominis filius, ultimus scholae banoviczensis rector fuit, qui cum verbi divini ministris et reliquis scholae civibus armata manu exturbatus, scenam hujus scholae clausit, nec ullum unquam tempus eam evangelicis reseravit amplius. Dum egrederentur, juventus hymnum: Dominus me regit etc. decantabat et populus copiosis lacrymis euntes comitabatur. Ministri vero non minus suos, quam civium animos verbis Christi: „beati estis, quando odio vos habebunt homines," confirmabant. Neque melior fuit uxor Georgii Illésházy, Maria Forgács, cujus crudelitas in rev. Johannem Viczianovics exercita legi potest in Appendice Historiae diplomaticae pag. 115. His adnumerandus est Emericus Lósy, Pázmáni in archiepiscopatu strigoniensi successor, parentibus lutheranis natus et a Gvilielmo Lamormainio jesuita, dum studio poetico operaretur, Luthero ereptus. Vid. Archiepiscopos strigonienses compendio datos pag. 128.. Quantum ille rei evangelicae obfuerit, ex actis comitiorum an. 1638. cognosci potest. Huc porro pertinet comes Franciscus de Nádasd, Pauli filius, qui postquám a sacris nostris descivisset, in partibus cis- et transdanubianis ultra 40. templa evangelicis eripuit. Conf. Parschitius in Tabulis pag. 182.. Talis erat vidua Georgii Rákóczy junioris, quae mutatis sacris calvinianos inprimis vexavit. Nam etsi Susanna Lorántfy, Georgii Rákóczy jonioris uxor, supremis tabulis definiverit, „ut in herediis ecclesiarum et scholarum, praecipue patakiensium, statum, qualem esse contigerit, ubi e vivis eximeretur, filius atque ejus posteri tueantur, in praedicatores, magistros et doctrinarum studiosos beneficia, quibus ejus jussu fovebantur, sine diminutione ejus conferri curent, geminos in academiis Germaniae constanter alant, qui patakienses scholas subinde moderentur et ecclesiis secundum Danubium existentibus magistros sufficiant:" tamen mortuo Georgio Rákóczy juniore, relicta ejus, Sophia Báthory, sponsionem illam ultimis tabulis firmatam violavit. Susanna enim Lorántfy patakiensibus et reliquis in annum pendere solebat „modios tritici 241., gallinas 431., dolia vini 219., ad haec 1400 fl.," praeter farinae, hordei, carnium, salis, pultium, legumi-

num varii generis copiam; sed Sophia Báthory, acceptatis sacris romano-catholicis, omnia denegavit. Filius ejus Franciscus, postquam in conjugem duxisset Petri Zrinyi filiam, a socero suo inductus, non tantum consveta beneficia conferre promisit, sed etiam ad restituendas sportulas mille aureos adjecit, ut jactura, quam patakienses et reliqui passi sunt, liberaliter sarciatur, uti confitetur autor Fragmentorum cassoviensium historiae hungaricae ad an. 1666. p. 467. et in alio opusculo ad an. 1667. pag. 2. et 3.. Desperatae malitiae fuit femina, Sophia Báthory. Nam non tantum beneficia a majoribus constituta negabat, sed etiam miseros ecclesiarum ministros partim paroeciis ejiciebat, partim inquisitione fere *) hispanica, absconditos ex latibulis protrahi, protractos aut incarcerari aut e medio tolli curabat, ut loquitur autor Fundae Davidis num. 24., conf. Animadversiones in narrationem Lányii pag. 43.; vid. etiam Jobi Kresztyanszky: Kurtze Nachricht entgegen gesetzet dem Gerichts-Auszug pag. 13.. In hunc censum referendus est Samuel Tranoscius, magni Georgii filius, ejuratis desperate sacris evangelicis societati jesuiticae obstrictus, cujus memoriale **) dictum circumfertur: „Bene est in Hungaria papistice vivere et lutheranice mori.“ Huic adfine est, quod Valentinus Lépes, episcopus nitriensis, dicere solitus fuit:

Nos prece papistae sumus, olim pro vice nostrum
Quisque lutheranus dum moriemur erit.
Tunc animam, nemo dicet: tu Petre, Maria,
Sed tu, dicemus, suscipe Christe meam.

§. 3.

Hanc jacturam rei evangelicae ut quam plurimum conciliavit Petrus Pázmán, cardinalis, magnus emendatae religionis evangelicae inimicus.

Dum cels. sacri romani imperii princeps ***) Nicolaus Csáky de Keresztszeg, metropolitanae ecclesiae strigoniensis archiepiscopus crearetur et primum Tyrnaviam ingrederetur, oblati eidem sunt an. 1752. ab universitate tyrnaviensi Archiepiscopi strigonienses compendio dati, ubi in vita Pázmáni confitentur editores pag. 126.,

*) Doleschal- és Daxnernél: velut.
**) Doleschal- és Daxnernél: memorabile.
***) Doleschal- és Daxnernél egyszerüen csak: comes.

quod „praeter infinitam multitudinem triginta et amplius nobilissimas familias in sinum orthodoxae, h. e. romano-catholicae ecclesiae reposuerit.“ Paria perscripsit ad posteritatem cel. Belius in Notitia Hungariae, dum vitam ejus inter archiepiscopos strigonienses recensuisset. Nec sine ratione. Is enim Sigismundum Forgács, in quo frater ejus Franciscus, cardinalis, per triennium frustra laboraverat, trium hebdomadarum spatio suum fecit et in religione protestantium stragem edidit, nullis unquam temporibus facile reparandam, ab aliis ad divexationem evangelicorum excitatus. Elaboravit in hoc inprimis Georgius Draskovics nominatus episcopus quinqueecclesiensis, qui cum celebraretur synodus dioecesana strigoniensis an. 1629., in oratione ad synodum habita ita Petrum Pázmánum compellabat, ut eum ad exstirpandas haereses et revocandam *) avitam religionem commoveret **): „Tu inprimis Petre archiepiscope! in quem ora atque obtutus defigimus universi, per salutem ecclesiae, quae tua tibi multo carior esse debet, tu, inquam, tantis medere malis. Tibi namque uni Petre! sublevanda et erigenda sunt omnia, quae jacere sentis temporum iniquitate ac haeresium impetu collapsa atque prostrata: constituendi canones, propulsandae injuriae, exstirpandae haereses, revocanda avita religio, exterminanda sacrilega connubia, propagandus ordo sacer; omnia, quae dissoluta et dissipata remittere, fluere, labi vides, severis legibus vincere ac constringere debes.“ Vide: Acta et decreta synodi dioecesanae strigoniensis anni 1629. Posonii in IV. edita pag. 21.. De Pázmáno profeto, uti de aliis etiam sodalibus ejus ex vero dici potest, quod Antonius Günther Fritzius in praefatione ad Considerationes politicas Jacobo Massenio ejusque Meditatae concordiae oppositas haud incogitate adnotavit: „Nullum scelus, nullum tam atrox fuit flagitium, quod non incepit, svasit, perfecit jesuita.“ Ex sententia enim sorbonnistarum parisiensium lojolitae magis ad destructionem, quam aedificationem inclinati sunt, uti notavit D. Höpffnerus in Saxonia evangelica pag. 639.. Hoc in Hungaria nostra eorum consilio factum fuisse non sine dolore percensuit Jacobus Zabelerus, pastor bartphensis, in sermone funebri in beatum obitum Danielis Guth an. 1684. dominica Oculi ibidem habito, per Leonhardum Ocherlan impresso. Hinc non erravit bonus ille vir, qui in Extractu quorundam articulorum jesuiti-

*) Ribaynál: renovandam.

**) Ugyanannál: commoneret.

corum Pragae 1619. bohemice in IV. evulgato, quod jesuita sit:

Seductor sveco, gallo sicarius, anglo proditor, imperio explorator,
Davus ibero, italo adulator;

quod bohemice ita expressit:

Švedy zlopovestný svudce, francúse mordýr a škudce,
Englického krále zradce, ržjše špehýr ver na krátce,
Španyele keyklýr milý, pápeže pochlebnjk smelý.

Vid. citatus Extractus ex germanico in bohemicum idioma conversus ante pag. 1.. Detestandum exemplum est Henricus Garnetus, pulverariae conjurationis anglicae autor, qui an. 1607. aliis extremo supplicio exstinctis, ipse, cognita proditione, laqueo sibi mortem conscivit. Hinc neque illustris ille et litteratissimus vir, Adamus Franciscus Kollár, neosoliensis pannonius, augustiss. Mariae Theresiae a consiliis et vindobonensis bibliothecae palatinae custos primarius, in libro, quem an. 1764. edidit et de Originibus usuque perpetuo potestatis legislatoriae circa sacra apostolicorum regum Hungariae inscripsit, hoc diffiteri potuit, etsi sacris romano-catholicis addictus, cum in opusculo suo pag. 122., postquam Lutheri epistolam ad reginam Mariam, post infelicem Ludovici II. obitum, ad eam datam recitasset, omnem lutheranorum divexationem impiis, uti loquitur, episophis (h. e. episcopis) catholicis transscribit. Torsit hoc ven. clerum non parum. Hinc et cum magnatibus, quorum jura violasse existimabatur, postulabat, quo Kollár proscribatur et liber ejus igni adjudicetur. Sed cum veritati sua semper constare debeat integritas, et celeb. Kollár et liber ejus in tuto relictus est. In eum, dum publica regni comitia an. 1764. Posonii celebrarentur, scripsit quidam:

Impius in patriam Kollár proscribitur, ut ne
Sit Koller, Kollár, litera sola facit.

Koller erat personalis regiae praesentiae, cui scriptor ille paria fata ominabatur. Huic scriptori ipse Kollár ita respondit:

Non rex proscripsit, neque lex proscribere Kollár
Nec Koller poterit; grex rationis inops
Cur nequeat quaeris? qui non regit, ipse regendus.
Quod grex non sit rex, litera sola facit.
Impie grex, poena talionis digne, quid infers
Regis sacrilegas in sacra jura manus.

Ita subinde, quod ex vero scribitur, exagitari et invisa mundo veritas magno animi studio in libertatem vindicari debet.

§. 4.

Non omnes ad religionem romano catholicam deficientes in eadem perdurabant; sed iterum ecclesiae lutheranae restituti, eidem constantissime adhaerere et immori gloriosum esse existimabant.

Rem cumulatis exemplis illustrare opus non est; sufficerit, si unum atque aliud, ad omnem posteritatem memorabile, adjecero. Illustr. condam comes Christophorus Thurzó de Bethlenfalva, perpetuus terrae scepusiensis ejusdemque et sárosiensis comitatuum supremus comes, non conjugis suae, ut aliqui existimabant, sed jesuitae Petri Pázmáni artibus circumventus, an. 1604. a sacris evangelicis desciverat et continuis novem annis religioni romano-catholicae adhaeserat; sed multis conscientiae morsibus exagitatus, die 23. Mart., quae fuit dominica Reminiscere, an. 1613. in arce scepusiensi, praemissa prius*) lapsus sui confessione, ven. sacramento usus ad evangelicos rediit in eademque religione beate in domino obdormivit, annos 31. natus, de quo commode illud poetae usurpaveris:

Si numeres annos, juvenis discessit, at aetas
Non numerosa facit, sed benefacta senem;

de quo in antecedentibus, sect. III. cap. II. pag. 138. plura legi possunt. Conversionem ejus magno studio descripsit M. Stephanus Xylander, pastor ecclesiae várallyiensis, uti confitetur Pomarius in praefatione Disputationibus suis de peccato originali praemissa. Magno huic comiti alter jungi debet, comes Gabriel Illésházy, magni patris, Casparis Illésházy, major natu filius, qui an. 1650. Tyrnaviae a sacris lutheranorum defecerat, procul omni dubio a cardinali Petro Pázmáno in eas casses praecipitatus, qui illustr. huic comiti dissertationem suam, Johanni Hodikio superintendenti oppositam, inscripsit. Conferri potest in hanc rem Statera dissertationis cardinaliticae Johannis Hodikii, quae prodiit Bartphae an. 1632. typis Jacobi Klösz pag. 84.. Sed elaborante pia conjuge ejus, Eva Szécsy, agnito errore, ad evangelicos statim an. 1651. rediit et feriis Thomae pignore salutis, coena domini, cum lacrymis usus est. Hunc Michael Institoris scholae patriae moschoviensis rector, in Panegyrico, fratri Johan-

*) Doleschal- és Daxnern él: publica.

ni, apud carponenses slavos sacrorum antistiti dicato, adpellat „magna-nimum et muni ficentissimum litterarum ac litteratorum patronum, ac nutricium, cujus benignitas omnium seculorum memoria celebranda sit.“ Prodiit Panegyricus ille an. 1661. Trenchinii typis Nicodemi Csizsek, domino vicecomiti inc. comitatus honthensis ceterisque tabulae assessoribus et judici totique senatui carponensi dedicatus. Ad hujus magni comitis conversionem post deum non parum contulit Stephanus Pilárik, aulicus conjugis concionator. Postquam in morbum periculosum eidemque lethalem incidisset, a patribus jesuitis ad abnegandam iterum fidem evangelicam non parum sollicitatus fuit; sed frustra. Fidelis enim Christo sospitatori beate in domino obiit. Num arx trenchiniensis, cujus dimidium comes Gabriel Illésházy possedit, propterea, quod ad sacra nostra redierit, fulmine icta sit et imperator Ferdinandus III. eidem consiliarii dignitatem et clavem auream, cubiculariorum insigne, ademerit, uti autor Fragmentorum hist. hung. pag. 414. et sq. tradit, non sine ratione ambigo: certus tamen in eo sum, l. cit. 415. pag. falsissime scribi, quod post annos 14. resipuerit et ad religionem romano-catholicam redierit. Testem adpello Stephanum Pilárik, consortis ejus concionatorem aulicum, qui ei morienti adstitit et ven. sacramento coenae usum, in fide evangelica beatissime obiisse integra fide confitetur. Vide ejus Currum Jehovae mirabilem Vitembergae an. 1678. in IV. editum pag. 18..

CAPUT III.

DE

LEGUM, QUIBUS LIBERTAS EVANGELICA CONFIRMATUR, CONVULSIONE.

§. 1.

Quam egregie religioni protestantium in Hungaria regni legibus regumque diplomatibus provisum fuerit, prolixe non minus, quam luculentissime an. 1741. demonstrarunt evangelici; sed quo luculentior libertatis confirmatio: eo frequentior erat legum, quibus confirmabatur, convulsio.

Prodiit an. 1741. Extractus articulorum et diplomatum super religionis negotio in inc. regno Hungariae conditorum, in forma IV. latino et germanico idiomate

editus et dum augustissima regina Maria Theresia coronaretur, eidem a fidelissimis civibus evangelicis oblatus, in quo omnia regia diplomata regnique leges, religionem evangelicam confirmantes, magno numero adferuntur. Has leges si cum hodierno evangelicorum statu contuleris, alium in Hungaria orbem esse existimaveris.

§. 2.

Clerus enim romanus non prius quievit, quam reges Hungariae tacitis consiliis suis induceret, ut leges majorum suorum autoritate et consensu procerum confirmatas obliterare et diplomata sua jurejurando constabilita violare permiserint, etsi persarum medorumqe lege decreta regia inviolabilia esse debuerint.

Notissima est sententia Caroli V. imperatoris, qui dicere solitus fuit: „Si fides toto orbe exularet, a principe tamen servari debet.“ Quod autem hoc ab optimis indulgentissimisque Hungariae regibus non semper factum fuerit, clero romano imputari debet. Dum enim evangelici legibus regni et diplomatibus regiis libertates suas tuerentur, clerus diplomata illa vi extorta nequiter clamitabat et quicquid sub proregibus evangelicis conclusum fuit, irritum pronunciabat, imo an. 1721. tempore commissionis pesthiensis non solum priores, verum posteriores etiam, et consequenter omnes de libero adversae cujusvis religionis exercitio scriptos articulos non sine animorum commotione aboleri postulabat, nobis nullam concedendam esse libertatem, sed omnia ad statum illum, qui ante ingressum nostrum fuit, ubicunque et quandocunque reduci oportere, rigidissime efflagitabat. Hinc metiaris fidem et constantiam ven. cleri hungarici, qui legibus per status et ordines regni an. 1606. et 1608. publice sancitis et a Rudolpho II. atque Matthia rege confirmatis spontanee et deliberato animo subscripserat, nunc fidei oblitus eas convellere justum esse existimabat, etsi an. 1647. omnium consensu in publicis comitiis fuerint confirmatae. Hinc non sine ratione Veracius Constantius, miles ille hungarus, in Animadversionibus suis apologicis ad punctum XII. queritur in hunc modum: „Proruperunt, occupatis per vim militarem templis, funestissimae ministrorum verbi dei citationes, incaptivationes, verbera, cruciatus, exilia, relegationes ad triremes, strictissimae reversalium extorsiones, scholarum eversiones,“ et quae plura sunt, l. cit. legi possunt. Hoc ut quam plurimum puncto III. deplorat, „quod an. 1687. post perditum libere eligendi regem palladium omnia mala fuerint consequuta et quamvis profundis vulneribus

per preces assiduas, supplicationes perpetuas, sollicitationes haud interruptas, tanta humilitate et devotione, ut vix ad deum pro aeterna salute humilius ac magis devote fundi consveverint, tempestiva quaesita sint remedia: tamen omnia, ut loquitur, fuerint frustra, cum nihil, nisi pro consolatione irrisiones, pro remediis compedum minae, pro levamine aerumnarum multiplicationes, adeoque nova vulnera reportarentur." Vid. Animadversiones ejus ad punctum III.. Accedit perditum illud jesuitarum axioma: „haereticis non esse servandam fidem," ita apud romano-catholicos invaluisse, ut sanctum quasi et coelo delapsum esse arbitrarentur: cum tamen et in se falsum sit et lutheranos haereticos esse nunquam vel ad speciem fuerit demonstratum.

§. 3.

Ut autem certum sit, leges ex consensu statuum latas et autoritate regum confirmatas, omnes fere convulsas esse, posteritatis gratia paucis demonstrandum est.

Uti liberum religionis evangelicae exercitium omnibus concessum fuit tempore pacificationis viennensis an. 1606. art. 1., ita in publicis comitiis Posonii an. 1608. lege cautum, „ne quisquam omnium, etiam in fisci ac quorumvis aliorum bonis, in libero religionis usu et exercitio a quoquam, etiam dominis terrestribus impediatur." Ecclesiae pastores per neminem amoveri debere, amotos vero reducere vel alios loco ipsorum substituere licitum esse, non tantum per Ferdinandum III. imperatorem an. 1647. art. 5. conditione 3. definitum fuit: sed etiam per Leopoldum M. an. 1659. art. 1. condit. 1. confirmatum. Rusticos, quales demum cunque illi sint, in negotio religionis a nullo prorsus debere turbari, si vero quis eos turbaverit, liberum religionis usum eos reassumere, exercere et continuare posse; evangelicos ad ceremonias religioni suae contrarias compellendos non esse Ferdinandus III. cum universis regni statibus anno 1647. definivit. Magnatibus atque nobilibus in arcibus atque solitis residentiis suis pro ritu cujusque professionis*) oratoria et sacella aedificare et dotare Leopoldus I. art. 26. anno 1681. permisit et anno 1687. confirmavit. Sed omnia haec injuria temporum et intempestivo cleri romano-catholici studio ita convulsa et obliterata sunt, ut miseri evangelici ne legibus quidem regni libertates suas tueri amplius permittantur; sed si quid obtinere velint, sub titulo gratiae regiae id impetrare jubeantur, quod nobilissimo condam

*) Ribay- és Nitraynál: confessionis.

Samueli Pulszky, causam oratorii eperjensis agenti, apud cancellarium regni Leopoldum de Nádasd evenisse omnes scimus. *) Id mihi ipsi accidisse cum dolore recordor. Advenerat, ut sciant posteri, Rosnaviam sacri romani imperii princeps, primas regni Hungariae et archiepiscopus strigoniensis, Franciscus e comitibus Barkóczy de Szala etc., cui monitione inc. patronatus, communi rev. fratrum nomine, observantiam testaturus, cum ven. Michaele Schramko, pastore kőviniensi, et rev. Matthia Prúni, oláh-patakiensi, 16. Jul. an. 1763. Rosnaviam ingressus sum, post impetratam adeundi eum facultatem brevissime eum adlocutus. Hic etsi nos lubenter et multo benignissime acceperit: tamen se continere non potuit, quin post multa alia ediceret, „ne phylacteria nostra ultra, quam leges permittunt, extendamus; cum nobis lutheranis in jure patriae nonnisi duae leges supersint, quarum prima est: lutherani comburantur, alia: lutherani adhuc tolerentur.“ Hoc ita non esse, etsi constitutiones et leges regni in publicis comitiis sancitae et tot sacra regum diplomata, libertates trium religionum in regno Hungariae receptarum confirmantia, luculentissime testentur: tamen multis jam vicibus docuit nos eventus, sanctas illas in negotio religionis leges, a statibus et ordinibus regni latas, et sacris regum diplomatibus confirmatas, ita in dies convelli, ut vix vestigium earum supersit amplius. Hinc religio evangelica, non uti fit perperam, tolerata, sed recepta et summa august. regum autoritate confirmata dici debet. Nam uti ven. clerus tempore commissionis pesthiensis declamabat, leges et articuli an. 1647. sublati non sunt, sed confirmati, quod clausula art. 26. an. 1681. „salvis semper eatenus legibus diplomate regio firmatis“ luculentissime evincit.

CAPUT IV.

DE MANDATORUM REGIORUM CONTEMPTU ET INTERPOLATIONE.

§. 1.

Eo crevit ven. cleri hungarici et excelsi consilii regii locumtenentialis audacia, ut mandata regia immutare et pro suo lubitu interpretari, aut si displiceant, penitus contemnere et publicam eis lucem denegare, in partem prudentiae interpretentur.

*) Doleschal- és Daxnernél: O deus, in quae nos servasti tempora!

Id saepe saepius factum esse certius est, quam ut multis exemplis debeat illustrari. Hoc enim a pontifice romano, Gregorio XIII., didicerunt, qui an. 1579. die 8. Jan. ven. clero indulsit, „ut scripta veterum et recentiorum, ubi potestati pontificiae adversantur, vel eidem non consentiunt, non subscribunt, non adsurgunt, continuo vel interpolare, vel penitus rejicere potestatem habeant", qua licentia non tantum antehac usi sunt, quod tot et tanti indices expurgatorii, in libros veterum injurii, testantur; sed etiam in patria nostra Hungaria saepe numero non obscura ejus dederunt documenta. De Kolonicsio, qui mandata Leopoldi M. imperatoris immutare solebat, in posterum dicetur. In comitiis posoniensibus an. 1715. celebratis, etsi articulus in negotio religionis coram statibus et ordinibus regni conditus et non tantum in inferiori, sed etiam superiori tabula publice lectus et admissus fuerit: tamen demum praesertim a tabula superiore, non sine praejudicio reliquorum, ipsis insciis correctus fuit. Nam praeter quam quod omissa sint verba resolutionis regiae „trium receptarum in regno religionum"; etiam verba: „ne domini terrestres sub praetextu clausulae, salvo jure dominorum terrestrium, jure suo abutantur" expuncta sunt. Praeterea omissa fuit sequens clausula: „idcirco status quoque et ordines ad mentem paternae suae majestatis resolutionis pro renovatis declarant." Hoc cognito supplicarunt quidem augustanae et helveticae confessioni addicti cum omni humilitate augustissimo condam imperatori Carolo VI., sed nihil impetrarunt amplius, quam quod commissio pesthiensis, de qua in posterum erit dicendi locus, ordinata fuerit, ut omnes querelas, in negotio religionis enatas, publica regis autoritate disputaret, per ipsum regem definiendas. Sed parum admodum solatii protestantes hac etiam in parte consequuti sunt, dum mandata regia eadem ratione interpolarentur. Nam dum ven. clerus tempore commissionis in replica sua, uti vocatur, nostris opposita, articulum 30. anni 1715. recitaret, data opera duos, ut loquuntur, substantiales voculas intermisit, dum scriberet, articulos an. 1681. et 1687. in sensu hactenus declarato esse intelligendos, cum tamen articulus expressissime dicat: „Caesareoregiam majestatem praecitatorum annorum articulos in genuino suo sensu censuisse conservandos, adeoque pro renovatis et confirmatis habendos." Hinc arbitrare de aequitate hominum, qui clandestinis adversus protestantes consiliis dudum eam interverterunt. Si recentiora velimus consectari exempla, praesto sunt. Postquam clem. regina Maria Theresia benignam illam resolutionem Carolinam peculiari diplomate 24. Dec. an. 1742. confirmasset, nec ministri evangelici eperjenses in civitatem ad

homines aegre constitutos admitterentur, ad multas ecclesiae evangelicae eperjensis supplicationes augustissima regina dato ad Consilium regium rescripto clementer definivit, „quod ecclesiae evangelicae ministri ad morbidos suae religionis consortes in civitatem admitti debeant"; Consilium vero regium locumtenentiale datis ad amplissimum magistratum eperjensem litteris adscripsit: „admitti possint." Hinc uti clarum inter verba: posse et debere discrimen est: ita insolens fuit mandati regii immutatio. De sinistra mandatorum regiorum interpretatione suo malo edocti fuerunt trenchinienses. Dum enim circa an. 1746. mandato regio cautum iis esset, ne extranei, praeter solos indigenas, ad sacra augustanae confessionis admittantur, adversarii id ad omnes extra civitatem trenchiniensem habitantes extenderunt, cum tamen summus ille magistratus solos bohemos et vel maxime moravos, ad sacra eo commeare solitos, intellexerit; ne quid de suppressione mandatorum regiorum adversariis familiari percenseam. Nam etsi clem. regina nostra Maria Theresia peculiari edicto mandata augustissimi condam genitoris sui, Caroli VI., confirmaverit atque ad debitam eorum observationem omnes Hungariae cives non sine ratione adstrinxerit: tamen adversarii de mandato carolino anni 1732. d. 12. Jul. publicato, quo omnis templorum occupatio interdicitur; aut de alio rescripto, quo an. 1733. jusjurandum per beatam dei genitricem et sanctos evangelicis relaxatum fuit, nihil prorsus audire volunt. Ipsa clem. regina Maria Theresia, cum protestantes in causa decretalis illius jurisjurandi an. 1742. supplices quererentur, omnes in causa religionis molestias praeter scitum et voluntatem suam fieri significavit et ut talia prorsus tollantur, autoritate sua regia demandavit; vid. Geschichte der Königin part. II. sect. I. §. VII. pag. 19. sq.: sed mandatum caesareo-regiae majestatis suppressum est. Unde facile admodum est existimare, quam audacter mandata regia, cum praesentissima rei evangelicae jactura, ab iis contemnantur.

§. 2.

Haec etsi ita comparata sint, ut luculentissime crimen falsi redoleant: tamen tantum abest, ut contemptores illi mandatorum regiorum poenae in legibus patriae constitutae subjiciantur, ut studiosissimi potius religionis romano-catholicae propagatores adpellentur.

Crimen falsi, judice cel. Husztyo, est dolosa veritatis immutatio, in alterius praejudicium facta, publico jure poenaliter prohibita. Quis-

quis enim rem externo quodam et adparente fuco adulterat ac ad deceptionem corrumpit, falsum committere dicitur, uti de his prolixe disserit Stephanus Huszty in Jurisprudentia practica sive commentario novo in jus hungaricum part. III. tit. XXXI. pag. 121., editionis budensis anni 1745.. Haec compluribus exemplis illustrari possent, nisi didicissem, exempla odiosa esse et haud raro osores veritatis ad rabiem usque concitare: ut tamen sciant posteri, unum atque aliud optima fide adsignabo. Leopoldus a Kolonics, ex melitensi castellano archiepiscopus strigoniensis post obitum Georgii Széchenyi constitutus, cum protestantium ministri ad varios carceres condemnati, indubiam ex iis liberationem a sacratissima sua majestate Leopoldo M. praestolarentur: ille, omnibus audientibus, apostolicae mansvetudinis oblitus, ferali militum more edixit: „etsi imperator mandata pro vestra eliberatione millies miserit, millies immutabo", ut M. Georgius Lányi in Narratione suae captivitatis, Tobias Masnitius et Johannes Simonides in variis opusculis tanquam genuini testes et adflictionum illarum consortes integra fide adnotarunt. Adhaec quis est, cui ignotus sit comes Paulus Balassa, cui nostris temporibus talis religionem romano-catholicam promovendi ratio titulum comitis catholici peperit, ex sententia summi pontificis eidem adtributum.

CAPUT V.

DE OFFICIALIUM IN INCLYTIS COMITATIBUS ET DOMINORUM TERRESTRIUM INSOLENTIA.

§. 1.

Vix praeter dominos terrestres reperias in Hungaria alios, qui veritatem evangelicam impediant magis, quam qui publica in comitatibus officia consequuntur.

Domini terrestres ii adpellantur, qui plenum jus in certam portionem terrae obtinent et nisi lege impediantur, in ea libere disponunt. Hi adtributo sibi jure saepe saepius abutuntur, cum idem non tantum in corpora, sed etiam in conscientias subditorum extendunt et non minus religioni, quam bonis eorum dominari volunt. Etsi enim publica regni lege prohibeantur, ne subditos suos in exercitio religionis impediant, quod ex laudato Extractu articulorum anni 1741. sufficientissime cognosci potest: tamen frequentissime positivis regni legibus ita

insolenter se opponunt, ut in evangelicos subditos suos libere grassari et eos libero religionis exercitio privare gloriosum existiment. Hinc, ut alios taceam, qui in Historia diplomatica et Gravaminibus, occasione illius commissionis pesthiensis porrectis, fusius recensentur, patres jesuitae schavnikienses, jure dominorum terrestrium perperam abusi, nulla legum patriae, imo ne aequitatis quidem habita ratione, subditos suos, omnes religioni evangelicae addictos, tamdiu adflixerunt, usquedum alii relictis rebus suis solum vertere, alii molestissimis carceribus et mille adflictionibus victi, religionem evangelicam ejurare fuissent coacti. Non minori feritate in evangelicos subditos suos nostris temporibus usa fuit Clara Barkóczy, illust. Thomae Szirmay, inc. comitatus sárosiensis supremi comitis, conjux et cels. principis Francisci Barkóczy, archiepiscopi strigoniensis, soror, ad omnem crudelitatem comparata, quae non prius quievit, quam miseros subditos suos in valle tarczensi mille modis ad abnegandam religionem lutheranam coegisset et qui allici non poterant, omnibus subsidiis ad vitam necessariis privavisset, ne de aliis ex ejus arbitrio paria agentibus percenseam. Complures ex iis, qui officiales inc. comitatuum dicuntur, nihilo erant meliores. Profecto Stephanus Bornemisza, vicecomes condam sárosiensis, adparitoribus stipatus, universam percurrebat ditionem sárosiensem et tanta cum acerbitate infestabat, ut templa adimendo, ministros lutheranos exturbaret et suae religionis parochos induceret. Experti sunt juxta cum reliquis insanam hominis rabiem evangelici bartphenses, quibus ille 20. Dec. an. 1711. non tantum libero religionis exercitio interdixit; sed etiam sub initium an. 1712. non pridem revocatum pastorem, Jacobum Zabelerum, manu militari civitate exturbavit. Hinc factum est, ut in actis commissionis pesthiensis frequentior ejus fiat mentio, quam Pilati in passione domini. In inc. comitatu barsiensi provisor levensis dominii an. 1740. oppidanos levenses in carceres conjecit et quia religionem ejurare nolebant, molestissime divexavit, nec prius, nisi datis reversalibus, libertati restituit, postquam templum eorum feriis corporis Christi solo aequatum fuisset, uti autor Commentationis*) de oppressis evangelicis memoriae prodidit, ut de Stephano Csoltó, homine rudi, taceam, qui incolas possessionis Tárkány, in inc. comitatu bihariensi, quod ministrum suum dimittere noluerint, carceribus misere adflixit. uti inter reliqua protestantes 9. Aug. an. 1744. coram augustissima regina Maria Theresia in Schönbrunn non sine dolore questi sunt. Nec ex sen-

*) Ribaynál: Commentarii.

tentia romano-catholicorum alias fieri potest, cum importunus *) ille Otiorum Báchmegyeianorum autor pag. 585. et priore diserte scribat: „dominos terrestres posse pro exigentia rei et quidem optima conscientia, ejectis prioribus contentiosis, novos meliores in locum eorum substituere (h. e. pulsis lutheranis romano-catholicos inducere), etsi per ejectionem rabularum vastitas terris inducenda esset.“ Cruda haec sunt omnium eruditorum judicio consilia et vilissimo etiam homuncione indigna, quia non a miti sospitatore nostro, sed ab eo profecta sunt, qui homicida erat ab initio et in veritate non stetit, Joh. VIII. 44.. Hoc etsi ita esse omnes sciant, a divexatione tamen nostrorum non desistunt, quod recentissimo exemplo confirmari potest. Die 2. Sept. an. 1764. bonus vir, Johannes Hlobéczy, scholae abeloviensis in comitatu neogradiensi rector, intempesta nocte furem ex horto suo propulsaturus, ut cognoscatur in posterum, cultro in femore leviter vulneravit, quod cum per patrem laesi ad provisorem illustr. comitis Johannis Forgács perlatum fuisset, ferus ille latronum patronus, inscio optimo comite, sine praevia casus investigatione, rectorem in schola die 3. Sept. capi, ligari et per milites ad arcem Gács deduci ibidemque injectis compedibus per 10. dies in custodia detineri jussit, nec prius innocentem, quam fidejussores statuisset, dimisit. Stupidum hunc oportet esse tanti comitis provisorem, Johannem Fajtlik, et non minus divinarum, quam patriae legum ignarum. Si lex divina furem domum effringentem seu suffodientem libere occidendum permittit, Exod. XXII. 2.; si titulus 9. prologialis citra discrimen furem nocturnum privata autoritate impune occidendum statuit; si adgressorem quandocunque, observato moderamine inculpatae tutelae, occidere licet, uti hoc pro singulari sua eruditione in Jurisprudentia criminali perillustr. Matthias Bodó de Eadem pag. 279. additis, quae huc pertinent, circumstantiis, luculentissime demonstravit: cur non adgressores et fures eo nomine, ut facilius cognoscantur, leviter vulnerare liceret? Adgressi sunt illi nequam tempore nocturno rectorem lapidibus et effractis violenter foribus horti eum ingressi sunt; adclamati, qui sint, ut fateantur, respondere noluerunt, hinc quod unus eorum leviter vulneratus fuerit, misero rectori, tanquam providо horti sui custodi, in offensam verti non potuit. Fajtlikius ergo non magni comitis Forgácsii provisor, sed Plutonis satelles meruit adpellari.

§. 4.

Domini terrestres romano-catholici, quod nulli ignotum esse

*) Ribaynál: otiosus.

potest, perperam abutuntur formula: „salvo jure dominorum terrestrium", occasione comitiorum soproniensium articulo XXV. inserta, cum illa jure aequitatis non minus ad lutheranos *), quam romano-catholicos pertineat.

Generalia juris praecepta esse, honeste vivere, neminem laedere, suum cuique tribuere, etiam lippis et tonsoribus notum est. Hinc cum in regno Hungariae non tantum romano-catholici, sed etiam evangelici domini terrestres sint et quam plurimi antiquissima jura sua hereditaria diplomatibus regum tueantur: luculentissime consequitur, neque iis jus, supremi magistratus autoritate collatum et confirmatum, denegatum esse. Si ergo romano-catholicis jure dominii in d i t i o n i b u s suis religionem romano-catholicam plantare justum est: neque protestantibus in ditionibus jure hereditario sibi adtributis idem facere injustum erit, cum dictantibus ita legibus quod uni justum est, alteri aequum esse oporteat. Secus autem in Hungaria fieri non sine praesentissima religionis evangelicae jactura experimur. Evangelicis enim, etsi complures domini terrestres sint et ii quidem hereditarii et gloria majorum insignes, quales sunt, qui absque omni ordinis, bonorum et autoritatis praejudicio adscribuntur: Révayi, Hellenbachii, Dessewffyi, Szirmayi, Horváthii, Ujfalusyi, Plathyi, Beniczkyi, Justhii, Draskóczyi, Géczyi, Csemniczkyi, Pothurnyayi, Prónayi, Podmaniczkyi, Lehoczkyi, Szentiványii, Korponayi, Görgeyi, Kubinyii, Jeszenákii, Radvanszkyi, Battikii, Szontaghii, Bossányii, Gosztonyii, Búlyovszkyi, Zsemberyi, Rothii, Gerhardii, Jeszenszkyi, Bohussii **) et multo plures, quos hic tacuisse et quos percensui, salvo omnium jure debito ordine adscriptos non esse, nullum est famae dispendium: his tamen ex praescripto illius formulae nihil facere licet, etsi romano-catholici eadem formula abusi impune efficiant, quicquid ex usu religionis suae esse arbitrantur. Id num justum et aequum sit, aliis definiendum relinquo. Hoc intolerabile et ab omni veritate alienum est, quod ven. clerus formulam hanc: „salvo jure dominorum terrestrium" mala fide torqueat et dominos terrestres romano-catholicos conscientiis subditorum suorum dominari posse et debere impudenter adserat, quod tempore commissionis pesthiensis an. 1721. multis argumentis probare nitebatur, etsi crudum hoc dogma non tantum sacra scriptura, et sana ratio, sed etiam prudentiores gentilium philosophi et

*) D o l e s c h a l - é s D a x n e r n é l: evangelicos.

**) R i b a y n á l még: Zayi, Szúlyovszkyi; D a x n e r n é l: Pongráczii, Hodossyi, Kosztolányii.

imperatores multique christianorum principes non sine ratione detestentur. Uti enim nemo dominari debet fidei, 2 Cor. I. 24. aut hereditati domini 1 Petr. V. 3.: ita persvadendi et ex verbo dei convincendi, non cogendi sunt homines, cum omnium consensione intellectus et voluntas externis mediis cogi non possint, et si cogantur, non Christi cultores, sed hypocritas efficiunt. Intellexerunt hoc Nerva et Antoninus Pius, imperatores romani, qui publicis edictis prohibuerunt, ne quae in religionem cujuscunque fieret inquisitio, uti Pappus in Historia ecclesiastica adnotavit. Detestabatur hanc violentam agendi rationem an. 1532. Carolus V. imperator in prooemio confirmationis Juris criminalis imperii romano-germanici ita loqnutus: „Nullam aliam compendiosiorem esse viam, a fide Christi alienos et in devia delapsos in viam reducendi, quam si verbo et spiritus potentia haereses convincantur, errantes sanabilesque cum mansvetudine tractentur, minime vero quisquam vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma ad colendum deum, cui nonnisi voluntaria mentis nostrae victima probatur, cogi debet.“ Audiamus Thuanum in praefatione operis sui historici insignis caesaris edocumatum judicium his verbis confirmantem: „Experientia satis edocti sumus, ferrum, flammas, exilia, proscriptiones irritasse potius, quam sanasse morbum menti inhaerentem. Ad quem proinde curandum non iis, quae in corpus tantum penetrant, sed doctrina et sedula institutione, quae in animum leniter instillata descendit, opus est. Alia omnia pro arbitrio magistratus et principis sanciuntur, sola religio non imperatur, sed ex percepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratia, bene praeparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quia obfirmant potius animos, quam persvadent.“ Intellexit hoc gloriosae memoriae imperator Maximilianus II., qui cuidam principi *) dicenti „se et suos in religione idem sentire, nec aliter se pati velle,“ graviter respondit: „Tantam potestatem mihi non sumo, nec experiri illud volo aut debeo, qui imperium in conscientias non habeo, nec mihi vindico et quae sit carnificina consci entiarum, si cogantur, nonignoro.“ Praeterea notum est gloriosissimi hujus imperatoris dictum, quo saepe usus est: „Eum, qui conscientiae dominari cupit, arcem coeli invadere velle.“ Hinc Ulricus Flemmer, vir doctissimus, arcis Berencs commendans, coram captivis nostris, qui in divexatione leopoldina in eadem arce detinebantur, palam edixit: „ne caesarem ipsum conscientiis imperare posse“, uti Georgius Lányi in Narratione captivitatis

*) Ribaynál: electori Saxoniae.

suae §. 34. recognoscit. Intueamur Jus canonicum, ubi Distinctione 45. can. 1. haec scripta reperiuntur: „Quid de episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores enim facti sumus, non percussores et egregius pastor dicit: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina; nova autem et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem.“ Haec, si Christi et magnorum virorum imitatores esse velint, ad animum revocent omnes, qui dominari volunt conscientiis. Thuanum, de quo supra dictum est, cum intimo regis Galliae consiliario, Richelieu, funestiore fato sublatum esse, memoriae prodiderunt historici. Dum enim Richelieu pessima quaeque moliretur, Thuanus, etsi molimina ejus observaverit, propter amorem tamen, quo in eum ferebatur, nemini detexit. Hinc re cognita *) uterque mori habuit necessum. Richelieu propter infelicissima in regem molimina, Thuanus autem, optimus alioquin et veritatis amantissimus historicus, propter crudam taciturnitatem, cum plus faventem sibi amicum, quam beneficum in se regem dilexerit. Hinc prodiere multo elegantissimi versus, quos adscribo:

Morte pari periere duo: sed dispare causa,
Fit reus ille loquens, fit reus iste tacens.
Morte pari periere duo: sed perdidit illum
Fracta fides, alium perdidit arcta fides.

Ita sunt res hominum, ut ad sublimia provecti, non raro praeter omnem opinionem corruant et extrema quaeque experiantur.

CAPUT VI.

DE
JURISJURANDI DECRETALIS INDUCTIONE.

Quantum protestantibus in Hungaria nocuerit decretalis jurisjurandi formula, vel hinc facile existimari potest, quod cum eam recitare nolint, uti meliore conscientia neque possunt, ab omnibus publicis officiis excludantur et saepe numero rerum facultatumque suarum jacturam patiantur, non facile redintegrandam.

Ante emendatam religionem lutheranam ea erant tempora, ut per b. virginem Mariam et omnes sanctos jurare tenerentur sedis regiae notarii, advocati et procuratores, testes ac judices et reliqui, ut ex Corpore juris hungarici pag. 429., 430. sq. intelligi potest: con-

*) Ribaynál: detecta.

firmata tamen religione evangelica, constitutiones publicae evangelicis in negotio religionis praejudiciosae pro non obstantibus declarabantur. Conf. diploma Ferdinandi II. an. 1622. art. 2. cond. 1. et 6. et pro testantes per sanctos jurare non tenebantur, cum id religioni eorum fuerit estque praejudiciosum. Hinc fidelissimus ille sacrae coronae duumvir, Petrus de Réva, lutheranus, ad genua sacri diadematis velut ad aram fidelitatis Trenchinii 5. Jun. an. 1622. mortuus, provinciam illam administraturus, juravit per deum vivum, nulla mentione b. virginis Mariae vel sanctorum injecta, uti ex formula jurisjurandi Extractui articulorum anni 1741. adjuncta elucescit. Nec sine causa, cum ipse Stephanus Huszty, juris patrii doctor et episcopatus agriensis consistorialis, in Jurisprudentia practica an. 1745. edita lib. 1. tit. LVI. pag. 289. confiteatur: „Jurare per sanctos ad esse juramenti non pertinere, sed sufficere, si quis juret per deum.“ Hoc enim modo adserit juramentum fieri explicite; si autem dicas: juro per coelum, per sacrum evangelium, per sanctos, fieri implicite. Jam uti omnium consensu ea, quae fiunt explicite, et clariora sunt et meliora iis, quae fiunt implicite: ita jusjurandum evangelicorum, quod fit*) per deum vivum, et clariuset melius est jurejurando, quod fit per sanctos implicite. Adhaec uti servator noster prohibuit jurare implicite per coelum, Matth. V. 34., ita prohibuit ex sententia doctissimi Husztyi jurare per sanctos, quia et hoc est jusjurandum implicitum. Dum ergo cogant evangelicos ad juramentum per sanctos, omnibus adparet, id nonnisi ad divexandos eos institutum esse. Ab emendatione enim sacrorum evangelicorum ad an. usque 1728. jurabant evangelici explicite per deum vivum, sed an. 1729. in comitiis posoniensibus Gabriel Erdödy, praesul agriensis, etsi agnoverit, praetermissis coelitibus jurisjurandi religionem permanere: tamen non prius quievit, quam senatum romano-catholicum in sententiam suam pertraheret et protestantibus veterem jurisjurandi formulam obtruderet. Adamum Zichy comitem, qui ejus opinioni accesserat, non tantum in frequenti illustrium virorum corona collaudavit; sed etiam rari pretii corolla precaria donavit, uti scribunt cassovienses in Historia vitae ejus pag. 43.—45.. Eo tempore juratus quidam sodalis jesuitarum, quem multi Malevicsium fuisse opinantur, quaedam pro juramento decretali adscripsit, quae etsi typis exscribere veritus fuit, cum omnia cruda sint et litterato viro indigna: tamen leguntur sub finem Dissertationis theologicae de juramento per dei genitricem et sanctos reliquos minime prae-

*) Daxnernél csak: explicite.

standō D. Christoph. Henrici Zeibichii, quam tuitus est Georgius Gregusch thurócziensis *) Vitembergae an. 1739. a Jurato Christi Sodale evidentissime confutata, ut ne mutire quidem fuerit ausus Malevicsius amplius. Ille Juratus Christi Sodalis est, ut sciant posteri, ven. Johannes Csernyanszky, plurium ecclesiarum procuratione orbi hungarico non ignotus, eo tempore scholae szulyoviensis rector ordinarius, quod et litterae initiales adcuratissime indigitant. Scribit enim sub finem: Haec statuere jusserunt: Jurati Christi Sodalis Religiosa in solum deum Obligatio, h. e. Johannes Csernyanszky scholae szuloviensis rector ordinarius, an. 1766. non sine multorum dolore feriis Jacobi apostoli in ecclesia alsó-sztregoviensi, quae apud neogradienses est, tumulo illatus, vir doctus, laboriosus, propagandae veritatis evangelicae longe studiosissimus et vel eo nomine multo longiore vita dignus, cujus memoria sit in benedictione! Prudentibus profecto romano-catholicis hunc agendi modum non probari certum est, cum videant, neque divina, neque humana lege nos obligari ad praestandum per sanctos juramentum, ut adeo mirum sit, Husztyum, juris patrii doctorem, loc. cit. pag. 289. scribere potuisse, quod „acatholici de lege juramentum in forma illa, qua catholici, praestare teneantur, cum nulla lex a solenni jurandi formula illos eximat.“ Pudeat tantum juris doctorem ignoravisse illud, quod constitutiones publicae evangelicis in negotio religionis praejudiciosae pro non obstantibus an. 1606. et an. 1622. fuerint declaratae et simul constitutum, ne evangelici ad ceremonias religioni suae contrarias compellantur; conf. diploma Ferdinandi III. an. 1647. art. 5. cond. 2., quod certe nihil aliud est, quam justa a decretali juramento exemtio, cum idem et praejudiciosum sit, et contrarium religioni evangelicae. Quam multi a publicis officiis exclusi sint propter non recitatam decretalem jurisjurandi formulam, in posterum commonstrabitur; hic loci satis est indicavisse, quod multi cum jactura facultatum suarum idem eluere debuerint. Liber baro Georgius a Hellenbach, quod decretale juramentum an. 1736. coram Tabula regia recitare noluerit, in certo processu convictus fuit. Ad haec an. 1743. processus Michaelis Fáy, Adami Király de Szathmár et Adami Jakabfalvay coram Tabula regia in amissione causae et respectu singularum partium in onere 500. florum propter juramentum per sanctos non depositum terminabatur, uti evangelici in humili sua instantia suae majestati caesaro-regiae d. 9. Aug. an. 1744. in Schön-

*) Daxnernél a szélen: alias Gyurgyik folkusfalvensis, qui an. 1784. schemnicziensi ecclesiae valedixit.

brunn porrecta questi fuerunt. Optima quidem regina pro innata sibi bonitate publice declaravit, omnes in negotio religionis molestias praeter arbitrium suum fieri et propterea e vestigio tollendas esse gratiose demandavit, uti in libello, cui titulus: Geschichte der Königin an. 1744. in 8. impresso part. II. sect. 1. §. 7. pag. 19. legi potest: ven. tamen clerus et non pauci regni magnates — conf. cit. libelli part. III. sect. I. §. 14. pag. 26. §. 25. pag. 44. sq. — miseros evangelicos adfligere non cessant, suppresso august. caesareo-regiae majestatis mandato. Deus nobis in posterum meliora!

CAPUT VII.

DE

PROHIBITA LIBRORUM NECESSARIORUM INVECTIONE.

Non satis erat ven. clero et reliquis romano-catholicis juvenes ad summa quaeque natos ab universitatibus exteris arcere: etiam librorum summe necessariorum invectio, nulla regni lege prohibita, sed solius ven. cleri arbitrio restricta fuit, cum multorum, qui id facere attentabant, discrimine conjuncta.

De juvenibus, qui ad exteros transire prohibentur, dicetur fusius in sequentibus. Quod librorum invectionem adtinet, admissa religionis evangelicae, in regno hoc libertate, media quoque rite deservientia, adeoque etiam librorum dogmaticorum, qui neque contra bonos mores, neque contra statum publicum typis exscribuntur, invectio jure prohiberi non potuit. Sed postquam patribus jesuitis circa annum 1722. censura librorum evangelicorum concessa fuisset, etiam optimi libri, publico bono ut quam plurimum proficui, ex odio religionis admissi non sunt. Hinc an. 1734. Stephani Szoboszlay et Georgii Megyaszay Viennae prius revisi ac scripto pro liberis pronunciati libri in tricesima pruckensi sine omni delectu ademti et Posonium ad excelsum consilium regium locumtenentiale delati, neque ad iteratas eorum preces restituti fuerunt. An. 1740. Michaelis Thuróczy et Petri Sátor, compactorum, biblia, an. 1735. Michaelis Ajtay Leutschoviae et an. 1743. Stephani Bányay, professoris h. t. patakiensis, in tricesima ujfalusiensi complures libri ademti sunt. Inter hos plurima fuere exemplaria libelli a Bányayo sub titulo: Gileadbéli balsamom editi, quo pestem morbum esse contagiosum non sine exstanti omnium utilitate demonstrabat, ne quid de Georgii Ambrosyi, superintendentis evangelici Nucleo veritatis adji-

ciam, cujus complura exemplaria jam Kesmarkini vi detenta multis precibus et pretio vindicari non potuerunt. Haec omnia ad divexandos evangelicos comparata esse, nemo est unus, qui non videat. Qui enim, admissa religione evangelica, media, quibus ea sustentatur, tollit, religionem ipsam perdere velle existimandus est. Intellexit hoc pro singulari sua prudentia august. imperator noster Josephus II., cui deus, stator imperii, felix, diuturnum fortunatumque regimem largiatur, qui an. 1766. mercatori cuidam jaurinensi, in bibliotheca vindobonensi palatina cum primario custode ejus, spect. Adamo Francisco Kollár, conversanti, divina providentia illuc delatus, statim ac intelligeret, eum minimum 2000. exemplaria sacri codicis, si liceret, in Hungariam invehere velle, e vestigio privilegium, ut 6000. exemplaria bibliorum ei in patriam inducere liberum sit, scribi mandavit et propria manu et sigillo confirmavit. Superiorum omnium certissimus testis est Alexius liber baro de Réva, in superioribus laudatus, qui ab archiepiscopo strigoniensi, Emerico Eszterházy, censor librorum protestantium Posonii constitutus, experiendo didicit, nihil eos cavere magis, quam ne protestantes ex academiis, ubi studiorum causa commorantur, libros suos in patriam invehant. Hinc tot rescripta, edicta, decreta, tot chartae, bullae, indices, classes librorum prohibitorum et quod sponte sua consequitur, utilissimorum librorum violentissimae, ut loquuntur, confiscationes. Nisi enim a lectione librorum evangelicorum prohibeantur, periculum est, ne veritati, quae in iis continetur, victas manus dare cogantur. Ipse liber baro de Réva diffiteri non potuit, se ad libros evangelicorum primo impetu, vel nomine protestantium offensum, ut lupum rapacem accessisse, a libris tandem, ipsa veritate convictum, ut mitem agnum recessisse. Vid. hanc in rem Epistola pastoralis Joh. Josephi e comitibus Trautsohn, archiepiscopi viennensis, a lib. barone nostro illustrata pag. 24. 25.. Nemo vero invehendis libris protestantium infestus magis erat Gabriele Erdődyo, agriensi antistite. Hic enim pro barbara sua feritate codices sacros, patriis characteribus longe elegantissimis in Hollandia excusos, per regios quaestores intercipi et Cassoviae deponi jussit atque cum legitimis possessoribus ad mandatum august. imperatoris Caroli VI., facili opera impetratum, jamjam reddendi essent, subinde Agriam deportatos igni injecit flammis absumendos, ut diffiteri non potuerant cassovienses in Vita ejus pag. 40. 41. Hos dum genuinis possessoribus eripere contenderet, quinque supra decem non minus nummuum florenorum millia se impendisse aiebat; vid.

loc. cit. pag. 90.. Nam et Pragam festinatis itineribus ad caesarem transeundum ei erat, et corrumpendi pecuniis multorum animi, qui detestandum hoc omni posteritati facinus cum omni aequitate improbabant; conf. pag. 92.. Dignus profecto fuit omnium bonorum consensione *), cui rasum illud cranium flamma combussisset, uti commissario Ladislai Szalkani, archiepiscopi strigoniensis, libros Lutheri apud transylvanos comburenti, evenisse Hanerus testis est; vid. Historiam ejus ecclesiasticam pag. 163.. Quanto enim magis codices sacri et divini illi libri, uti a cassoviensibus ipsis l. c. p. 40. sq. adpellantur, libellis Lutheri praestabant, tanto majores Erdôdyus justo dei judicio poenas commeruit, ut qui de translatione sacri illius codicis non alias, quam coecus de colore, judicare potuerit, lingvarum orientalium juxta cum ignarissimis ignarus. Quasi vero in eo satis eidem fuerit praesidii, quod sacrosancta illa, uti adpellatur, synodus tridentina omnes id genus versiones pridem proscripserit et Vulgatam tanquam authenticam receperit, cujus errores et vitia barbaramque dicendi rationem facili admodum negotio commonstrarem, nisi mihi liberale otium fecisse viros multo eruditissimos arbitrarer.

CAPUT VIII.

DE

STRICTISSIMA IN DEFICIENTES A ROMANO-CATHOLICA RELIGIONE INQUISITIONE.

Uti condam liberum erat hungaris cui demum cunque ex tribus in regno receptis religionibus adhaerere: ita nunc aurea illa libertas benigna resolutione regia sublata est.

Dum liberum esset religionis exercitium, libere, quicunque volebat, profitebatur religionem evangelicam; sed postquam august. imperator Carolus VI. in benigna resolutione sua an. 1731. puncto VI. statuisset, ut in eos, qui a papatu ad protestantes desciverunt, arbitraria poena statuatur, dici non potest, quantum religioni lutheranae constitutum fuerit impedimentum. Nam praeterquam quod nemini amplius religionem evangelicam amplecti liberum est: etiam illi, qui ante hanc constitutionem a romano-catholicis ad evangelicos sponte sua accesserant, studiosissime an. 1746. in omnibus inc. comitatibus ad mandatum excelsi

*) Ribaynál: confessione.

consilii regii locumtenentialis inquirebantur, reperti in carceres conjiciebantur et si redire ad sacra romano-catholica noluerunt, ad annuos carceres in pane et aqua sustinendos damnabantur. Imo quod triste et peracerbum erat, liberi etiam ex alterutro parente romano-catholico nati, etsi nunquam religionem eorum fuerint professi, inter apostatas numerabantur et pari ratione adfligebantur, usque dum august. regina Maria Theresia hanc pro lubitu grassandi in evangelicos licentiam pro bonitate sua an. 1750. cohibuisset *). Consilium regium locumtenentiale his non multum curatis, viduam rev. condam Samuelis Sartorii, ministri nyustensis **), quae dudum jam sacris evangelicis accesserat, ad unius anni carceres damnavit, quos an. 1753. in arce krasznahorcensi magna cum patientia toleravit, mille calamitatibus obnoxia. Certe eo jam ventum est in Hungaria, ut ex sententia ven. cleri: „cujus est regio, illius censeatur esse religio.“ Hinc fit, ut ad eam acceptandam variis modis adigantur protestantes, cum tamen judice Lactantio lib. V. Instit. cap. 20. „nihil est tam voluntarium, quam religio“; propterea et Bernhardus sermone LXVI. in Canticum „fidem svadendam, non imperandam esse“ existimavit. Coactio enim facit magis fucatos atque simulatos, quam veros catholicos, uti loquitur Jus canonicum cap. Quid autem etc. distinct. 45. Notum id erat jam dudum Calano philosopho ad Alexandrum M. scribenti: „Nullus rex, nullus princeps potest efficere, ut aliquid agamus, praeter animi sententiam.“ Hinc et patres concilii toletani canone 56. decreverunt: „Nemini ad credendum vis ulla inferatur.“ Quis enim imponat mihi necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi, uti cum ratione existimavit Lactantius lib. V. Divinarum institutionum cap. 19. et Tertullianus ad Scapul. cap. 2. scribit: „Religionis non est cogere ad religionem, quae spiritu suscipi debet, non vi.“ Hinc Andreas Philopater, presbyter romanus, non male judicabat in Responsione ad edictum anglicanum: „Si persvaderi sibi a Caecilio consiliario praecipuo permiserit Elisabetha regina, subditorum carnificinam in causa religionis carere omni periculo, imprudentia est insignis.“ Vid. Gambarzovszky loc. cit. „Non enim decet, non oportet cogi atque compelli invitos ac repugnantes,“ uti Hilarius ad Constantinum imperatorem perscripserat.

---

*) Ribay-, Doleschal- és Daxnernél: prohibuisset

**) Ribaynál: neosoliensis

CAPUT IX.

DE
PROHIBITA INTERCESSIONIS CONSORTUM FIDEI IMPLORATIONE.

Quantum detrimenti adtulerit evangelicis prohibita consortum fidei intercessio, nemo unus eruditorum est, qui non facile adsequatur.

In Hungaria et reliquis provinciis austriacis sub poena capitis et omnium bonorum amissione edictum fuit, ne quis protestantium querelas suas ad exterum quendam principem deferre audeat, uti in Commentatione de oppressis evangelicis ad an. 1749. scriptum est: innotuerunt tamen acerbiora eorum fata exteris quoque principibus adeo, ut nec clem. regina Maria Theresia evitare potuerit querimonias. Status enim Germaniae evangelici non tantum, dum in vivis adhuc esset Carolus VI., an. 1733., 1734., 1735. magnum illum imperatorem hoc in negotio interpellarunt, sed etiam ad Mariam Theresiam an. 1753. 28. Febr. memoriales litteras petitorias in favorem evangelicorum in Styria, Carinthia et in regione trans Anisum degentium perscripserunt; sed quod dolemus, omnes eorum petitiones absque omni utilitate abierunt. Clementissima enim regina die 17. Sept. an. 1753. ad legatum suum, ut loquuntur, directorialem, qui Ratisbonae est, lib. baronem de Buchenberg perscripsit: „non male haberi in ditionibus suis protestantes et multo minus institui divexationes.“ Haec uti cum corpore evangelico communicata sunt: ita neque minima spes ferendi auxilii adflictis promissa fuit. Adsertio enim clem. reginae nitebatur testimonio eorum, qui instrumenta divexationum fuerunt. Haec cum porro urgerent status corporis evangelici, misit august. imperatrix die 23. April. an. 1755. novum rescriptum ad lib. baronem de Buchenberg, ex quo adparebat, male ferre imperatricem, si quis credat, in ditionibus suis vexari evangelicos, quod et in publicis relationibus an. 1741. per omnes provincias scriptum fuit. Adjicit praeterea in eodem rescripto: „Quemlibet suae culpae tribuere oportere poenas legibus conformes et se scire, quae gesta fuerint in ditionibus suis, atque adeo omnia se defendere velle,“ uti haec autor Comment. de oppressis evangelicis prolixius adnotavit. Hoc ita fuisse vel hinc pronum est arbitrari: cum evangelici an. 1749. mense Julio divexationes

suas exposituri, ad clem. reginam fuissent admissi, non sine indignatione quaerebat: „Fuistisne apud legatos exterorum vel perfugium habuistisne apud eos? Etenim Burmannia (qui erat legatus batavorum) apud me fuit vestri causa; hannoveranus, imo et borussus causam vestram egit.“ Internuncii nostri etsi jurejurando confirmare parati fuerint, nos nullius intercessionem quaesivisse: tamem ita clementissima alias regina commota fuit, ut ei adplicari potuerint verba, quae Christina svecorum regina tormentis suis adscribere consveverat:

Interdum Juno haec etiam sua fulmina vibrat.

Mirantur profecto omnes, qui meliorum sunt partium, intercessionem hominibus, quorum religio lege regni recepta est, interdici, cum nihil illa prorsus vitii habeat et non minus jure naturae, quam autoritate scripturae ad omnem aequitatem sit comparata. Talibus enim intercessionibus gloria dei promovetur, salus proximi procuratur et pressis adflictisque hominibus non raro desideratissima quies impetratur. Ita Ebedmelech pro Jeremia, Jerem. XXXVIII. 8. 9., Esther pro judaeis, Esther IV., praefectus Edessenus, uti Theodoretus lib. IV. cap. 17. refert, pro christianis intercessit. Annus erat 1541., quo mense Majo protestantium ordines datis Ratisbona litteris apud Franciscum I. Galliarum regem pro adflictis protestantibus intercesserunt, uti Schleidanus in Commentariis suis de statu religionis percenset et sereniss. condam elector Saxoniae, Augustus, an. 1584. litteris mense Februario exaratis pro hugonottis apud Henricum III. regem Galliarum, eadem pietate defunctus est. Adhaec an. 1609. Christianus II., elector Saxoniae, princeps optimus, missis 21. April. ad Rudolphum imperatorem internuncii exorabat, ut statibus evangelicis in Bohemia et alibi liberum religionis exercitium permittatur, id quod etiam singulari dei providentia, annuente optimo imperatore, impetratum fuit, uti testantur in Fideli admonitione sua ad bohemos missa theologi vitembergenses pag. 271.. Hinc omnes, quotquot sunt in Hungaria eruditi, nam neque romano-catholicorum judicium aspernamur, judicent, num ex lege aequitatis intercessio adflictis et contra leges patriae in negotio religionis pressis, jure denegari debeat? Meo et omnium, qui historiarum periti sunt, judicio, multi interiissent homines, multa pessumdata fuissent regna, nisi tali malo aliorum occurrisset intercessio, quod et in posterum luculentius commonstrabitur. Intercessio enim pro aliis a primis religionis christianae incunabulis in usu fuit. Ne hac vice adtingam Tertulliani Apologeticum adversus gentes, nonne Justinus philosophus

Apologiam pro christianis ad Antonium imperatorem et Athenagoras Orationem pro iisdem conscripsit et divulgavit? Hinc si primis illis christianis aliorum intercessio in offensam versa non est, neque nobis jure verti potest. Intercessio gloriosissimi regis Sveciae, Caroli XII., Ravisio ex superiori Polonia ad august. imperatorem Leopoldum die 28. Julii an. 1705. Vindobonam jam prius missa, procul dubio felicissimo successu non caruisset, nisi deus pro suo arbitrio Leopoldum M. imperatorem 5. Maji ejusdem anni rebus mortalium exemisset, de qua intercessione sect. IV. de admiranda religionis evangelicae in Hungaria conservatione §. 7. plura legi possunt.

CAPUT X.

DE
IMPORTUNO AUGUSTANO-EVANGELICORUM METU.

Nihil fere ita noxium est evangelicis in Hungaria, quam si facile metuant, ubi nulla est metuendi necessitas. Metus enim, teste Cicerone in Tusculanis, nihil aliud est, quam opinio mali impendentis. Hinc si quid adversi sibi imminere advertant, imbecilli metu in praesentissimum periculum se conjici arbitrantur, cum tamen ex sententia Ciceronis in Officiis: fortis animi sit et constantis non perturbari in rebus asperis.

Hoc certum esse et exploratum multis exemplis confirmari potest. Si leutschovienses, cum an. 1604. Martinus Pethe, archiepisopus colocensis, cum comite Christophoro Thurzó, templa ademturus *) advenisset, praepostero metu in eorum sententiam consensissent. jam tum omnem religionis libertatem consopivissent. Nisi csetnekienses et topschenses multis variisque modis exagitati forti animo molestias sibi intempestivo metu saepe illatas superavissent, pridem florentes illas ecclesias amisissent. Nam quod Seneca in Medea scribit: „Fortuna fortes metuit, ignavos premit.“ Infensissimus enim condam rebus evangelicorum Franciscus Andrásy lib. baro non prius quievit, quam ab excell. ccm. judice curiae d. 25. Aug. an. 1746. mandatum impetraret, quo adversus csetnekienses evangelicos stricta peragatur inquisitio, quam ex commissione spect. condam protonotarii Gabrielis Péchy de Pécsujfalu, 12. Sept. an.

*) Egy, a lőcseiek részéről a templomok visszakövetelésére válaszoló, Pethe Mártonhoz intézett erélyes levél közölve van a „Sárospataki füzetek“ 1861. 889. s k. ll..

1746. peregit Stephanus Razlaviczy, tabulae regiae judiciariae juratus notarius. Nostri, ne rebus evangelicis defuisse censeantur, in primis spect. condam senior Samuel Draskóczy de Eadem, Joh. Lányi, Matth. Bodó de Eadem et Caspar Szontagh, excell. com. judicem curiae exorabant, quo aliquis juratus tabulae regiae judiciariae notarius ad instituendam, uti vocatur, contrainquisitionem expediatur. Optimus comes non tantum postulationi nostrorum annuit, sed etiam pro singulari prudentia sua praecepit, ut Stephanus Péchy de Eadem eodem officio defungatur, qui commissa sibi functione 4. Dec. an. 1747. meliore conscientia in oppido Csetnek defunctus est. Vix haec peracta sunt, generalis vicarius strigoniensis Stephanus Nedeczky, talem dedit ad exc. consilium regium locumtenentiale epistolam:

Excelsum regium locumtenentiale Consilium!

Ex isthic humillime adnexis duplicis ordinis inquisitionibus uberius perspicere dignabitur exc. regium locumtenentiale consilium, qualiter ecclesiae nonnullae et signanter ecclesia oppidi Csetnek inc. comitatui gömöriensi adjacentis, cultui divino et orthodoxae religionis cultorum pietati destinata, una cum sibi adjuncta pretiosa supellectili sacra, occasione praeteritorum in regno hocce apostolico infaustissimorum motuum, in potestatem adversae religioni adhaerentium devoluta exstiterit ac hodiedum ab augustanae confessioni addictis justo cum animi dolore nostro teneatur, cujus revindicandae ac primaevo fidelium catholicorum usui restituendae intuitu, dum praepotens exc. consilii regii locumtenentialis auxilium humillime imploro, omni cum submisione maneo

Excelsi regii locumtenentialis Consilii

humillimus servus et devotissimus *) capellanus Stephanus Nedeczky, generalis vicarius capitularis m. p..

Uti exc. consilium regium locumtenentiale provehendis rebus suis nunquam deest: ita inc. comitatui gömöriensi haec in mandatis dedit:

Illustrissimi, reverendissimi, spectabiles ac magnifici, perillustres ac generosi, domini nobis observandissimi!

Ex isthic adnexa generalis vicarii strigoniensis informatione huicque adjectis inquisitionibus uberius patet, qualiter acatholici ingentes

*) Ribaynál: devinctissimus.

catholicorum ibidem praehabitas ecclesias, sub praeteritis intestinis motibus via facti occupantes atque in praesens cum catholicorum summo praejudicio usurpantes, eotum quoque earum rem supellectilem pretiosam in praeadnexis inquisitionibus specificatam subtraxerint, per praedicantes ibidem constitutos, aliis compluribus saepius remonstratam atque productam. Praeterea in topschensi catholica antehac ecclesia praeexistentia tria altaria praedicans David Frühauff cognominatus demoliri curans, statuas sanctorum iisdem altaribus adpositas in terram prope ad sacristiam fluvium versus infodi fecerit. In possessione item Csetnek praedicante Andrea Bodó fatis functo, relicta ejusdem vidua, Julianna Kiszely nominata, ex casula in praeadnexis inquisitionibus uberius descripta gemmas decerpserit. Quae praeadnexae inquisitiones dominationibus vestris finem in eum communicantur, quatenus habita idcirco cum praefato generali vicario cointelligentia in praefatae rei supellectiles, ad praefatas ecclesias catholicas pertinentes et per acatholicos subtractas, nec non alia dictarum ecclesiarum accessoria, ubinam? et prae cujus manibus? in quave qualitate? habeantur, aut nefors quonam? et signanter per quem? distractae et dispersae sint, fundate inquiri, nec secus et praeadtactas statuas, praevio modo terrae infossas, inde excipi et ad commodum eumque securum locum reponi curarent, atque super cunctis consilium hoc regium locumtenentiale celerius genuine et specifice informare noverint. Datum ex consilio regio locumtenentiali Posonii die 9. April. an. 1748. celebrato.

Praetitulatarum dominationum
vestrarum

ad officia paratissimi
Comes Josephus Illésházy m. p..
Georgius Fabiankovics m. p..
Michael Domsicz m. p..

Imo eo jam creverat negotium, ut agriensis praepositus major, Samuel Engelmajer 17. Oct. an 1748. sequens ad csetnekienses, ut ipse loquitur, projectum Rosnavia transmiserit:

Probabilissimum mihi est*), quaestionatas ecclesias (h. e. csetnekiensem et topschensem) catholicis restituendas ex concursu plurimarum rationum. Nam prorsus dubium est, an restitutis ecclesiis relinquendum sit augustanae religionis liberum exercitium, praesertim si positive edoctum non fuerit, illud an. 1681. **) ibi viguisse. Hinc consultis-

*) Ribaynál: videtur et est etiam.
**) Daxnernél: 1687.,

simum foret cum securitate liberi exercitii ecclesias ultro remittere, sub his circiter conditionibus:

1. Ut oratoriis exstruendis adjutorio sint aliquo catholici.

2. Ut in iis tali libero exercitio frui liceat augustanae confessionis hominibus, sicut in quibusvis locis articularibus, imo ut a modo jam indisputabiliter pro talibus habeantur et super hos securitas regia procuretur.

3. Ut hac securitate non obtenta, post elapsum trimestre redeat isthaec causa ad modernum statum, interea autem neutrius religionis exercitio pateat, sub sequestro comitatus constituta.

4. Ut processus contra tumultuantes topschenses suspendatur et in casu obtinendae securitatis regiae plene cassetur.

Haec fuit praepostera praepositi magni ad perdendas ecclesias nostras persvadendi ratio, cui uti nostri nulla ratione accesserunt: ita csetnekienses continuum et haud interruptum religionis evangelicae etiam an. 1681. usum, ex libris memorialibus non tantum ecclesiae, sed etiam ven. contubernii, elaborante in primis perill. domino Matthia Bodo de Eadem, evidentissime demonstrarunt, nullum unquam licentiatum, uti adpellant, romano-catholicum, sacris Csetnekini fuisse operatum pervicerunt, et topschenses cum omni modestia inquisitionem statuarum deprecati sunt, neque, ut fiat, permiserunt atque omnia, quae acta sunt non tantum clem. reginae, Mariae Theresiae, sed etiam exc. consilio regio locumtenentiali significarunt. Hinc singulari dei providentia factum est, ut in hunc usque diem sacris evangelicis libere operentur. Osgyanenses mortuo, saeviente peste, ordinario ministro suo Stephano Bodzay, maluerunt exulem Paulum Áldásy inducere, quam ecclesiam plebano eidem inhianti committere *). Comes Paulus Balassa, commissarius regius, etsi plebanum, Franciscum Rozgonyi, induxerit: tamen osgyanenses, quod rev. Áldásyum evocaverint, 30. fustium, vel **) 40. fl. mulcta dignos esse definivit et Stephanum Bornemisza, celebrem patriae advocatum, qui justam causam eorum tuebatur, ad clem. reginam mala fide delatum, poena silentii mulctavit, cum magna comitis Balassa indignatione regia indulgentia silentio liberatum. Unum adhuc fortitudinis et constantiae exemplum adscribam, ad omnem posteritatem memorabile. Diu jam erat, quo ecclesiae alsó-sajóiensi evangelicae, quae ditioni Andrásyanae subjecta est, domini terrestres inhiabant et exturbato mini-

*) Daxnernél: cedere.

**) Ugyanannál: et.

stro evangelico plebanum inducere meditabantur; sed ne quid tumultuarie egisse viderentur, mortem rev. Andreae Korbely, ordinarii ministri evangelici, praestolari consultum esse judicabant. Hoc cum junioribus baronibus difficile videretur, liber baro Josephus Andrásy junior, ordinem religiosum ingressurus *), adscito sibi barone Francisco Andrásy Michaele Gotthard judice nobilium et Matthia Sztehlo**) jurato, vigilia Michaelis, praeter omnem exspectationem advolavit et dum nihil fere metuerent alsó-sajóienses, templum propria autoritate, erepta prius clam templi clave, obsignavit, atque post unicum mensem plebanum romano-catholicum exspectare jussit. Alsó-sajóienses, certiores facti, primum humanissime deprecabantur, dein cum preces et supplicationes nihil valere adverterent atque haec contra benignas resolutiones regias atque positivas regni leges, arbitrio tantum dominorum terrestrium fieri edocerentur, templum adaperiunt et sacris, invito etiam ministro, defunguntur. Baro Franciscus Andrásy, religionis nostrae osor, alsó-sajóiensibus mala quaequae minari non desistebat, et non minus eos, quam alios ex valle rosnaviensi, qui templum tuebantur, ita carcere et verberibus adfligebat, ut unus eorum propter verbera, quae passus est, mori habuerit necessum. Hoc posteaquam intelligeret, jam prius divino judicio ad summam paupertatem redactus in Transylvaniam concessit et ibi inglorius mortuus est, alsó-sajóiensibus post multas divexationes ad hoc usque tempus absque omni perturbatione sacris evangelicis operantibus. Ad hanc eorum felicitatem ut quamplurimum contulit illustr. liber baro Carolus Andrásy, dominus uti prudentissimus, ita in subditos suos longe propensissimus. Cum enim subditi oláh-patakienses et alsó-sajóienses, multum pressi, eum in castris existentem et pro gloriosissime regnante Maria Theresia feliciter militantem per litteras supplices, quae supersunt, cum omni humilitate interpellassent, hoc benignum illis responsum, quod sequitur, elargitus est:

Introscriptis supplicantibus ad demissam eorum instantiam resolvitur: quod quemadmodum piae recordationis praedecessores mei eos in libero religionis exercitio conservarunt, ego quoque juxta suae sacrat. majestatis benignas resolutiones ac dispositiones et regni leges hanc libertatem in salvo relinquentes ***), eosdem instantes subditos meos, possessionum Oláh-Pataka et Alsó-Sajó incolas, in pristino usu et libero re-

*) Ribaynál: ingressus.

**) Daxnernél: Szécsio.

***) Ribay- és Daxnernél: relinquendo.

ligionis eorum exercitio conservandos et manutenendos et contra universos impetitores defendendos esse duxi, dans et adtribuens illis post mortem et decessum modernorum eorundem ministrorum ecclesiae seu praedicantium alios similes suae religionis ministros introducendi, aut superstitibus adhuc iis, ad exequenda tamen eorum officii munia inhabilibus, alios substituendi ac subordinandi plenariam ac omnimodam facultatem.

(L. S.) Baro Carolus Andrásy m. p..

Inclytam gentem Andrásyanam descripserunt patres piarum scholarum nitrienses, dum Petro Josepho Andrásy de Csik-Szent-Király an. 1745. suprema justa persolverent, qui primum Ardorásyi, dein Andorásyi, tandem Andrásyi dicti sunt, quorum domestica laus est: principibus placere et prodesse patriae; reliquas eorum virtutes patres piaristae perscripserunt ad posteritatem, uti ex inclyti herois Petri Josephi Andrásy Tyrnaviae anno 1745. impressis justis intelligi potest.

Haec celebrabuntur laudum praeconia donec
Alternas peragent noxque diesque vices
Dignaque perpetua *) florebit adorea palmae,
Quam praesens aetas quamque futura colet,

uti ipsi patres piarum scholarum dicto loco confitentur. Benignam Caroli resolutionem uti cum omni pietate venerantur subditi: ita omnis depraedicabit posteritas. Servet optimum baronem deus et ei nihil non felix fortunatumque largiatur.

CAPUT XI.

DE RELIGIONIS EVANGELICAE DIVEXATIONE.

Si de religionis evangelicae divexatione apud hungaros cum utilitate commentari volumus, duobus distinctis capitibus absolvendum erit negotium. Primum enim tacite, dein aperte divexabantur evangelici. Hinc agemus

I. De tacita evangelicorum divexatione.

§. 1.

Quam multa et ea quidem clandestina consilia in eversionem protestantium in Europa cusa fuerint, cum toti litterato orbi

*) Ribaynál: perpetuo.

notum sit, eadem sollicite percensere supervacaneum esse existimo, cum eadem opera multi doctissimi viri defuncti sint: ea tantum adtigisse juvabit, quae pestilenti huic malo miseram quoque Hungariam involvernnt.

Vix ulli unquam regno magis insidiabantur adversarii religionis evangelicae, quam regno Hungariae, quod et apostolicum adpellant et a sancto Stephano summo pontifici Sylvestro II. collatum esse perperam comminiscuntur. Sed opiniones esse et conjecturas omni fundamento destitutas, vel hinc facile est arbitrari, quod alii cum Bonfinio, patrio historico, Benedicto VII., alii recentiores Sylvestro II. pontifici concessionem hanc transscribant. Litterae Sylvestri ad Stephanum regem datae, in quibus regnum Hungariae ab ejus munificentia sancto Petro oblatum esse confitetur, legi possunt in Commentario Petri de Réva de sacra regni Hungariae corona a S. J. claudiopolitana ad nostra usque tempora continuato pag. 7. sq. *). Prodiit Claudiopoli an. 1735. in IV.. Sed res multo aliter se habet, uti dócuit celeb. Joh. Godofr. Schwarzius in Initiis religionis christianae inter hungaros ecclesiae orientali adsertis. Prodiit scriptum breve, sed eruditum an. 1740.. Reges Hungariae reges apostolici dicuntur, non quod a pontifice romano, putatitio illo successore apostolorum, coronam acceperint: sed quia Stephanus rex ipse vices apostoli obierit et populum gentilem ad sacra christiana converterit. Hinc neque rex Hungariae pontifici romano ullá ratione subest: sed controversias in ecclesia componendi et archiepiscopatus, episcopatus, abbatias, praeposituras conferendi facultatem solus habet. Vid. Tripart. lib. 1. tit. XI. et XII.; conf. praefat. decreti Colom. lib. 1..

§. 2.

Huc pertinet foedus illud sanctum, quod an. 1600. et sequentibus Clemens VIII. pontifex romanus cum regibus et principibus romano-catholicis adversus evangelicos clam inierat et ut primordia hujus sancti belli in Hungaria suscipiantur, decreverat.

Foederi huic, quod in exstirpationem protestantium initum fuit, subscripserant omnes principes, praeter regem Galliae et magnum du-

*) Napjainkban Sylvester levele magyar fordításban közölve van Szalaynál: Magyarország története. 1. köt. Lipcse, 1852. 71. s kk. ll. és Török Jánosnál: Hazánk. 1. füz. Pest, 1858. 12. s kk. ll.

cem Hetruriae, uti Franciscus Brocardus, Clementi XIII. pontifici a secretis, in Classico suo, de quo alibi erit commodior dicendi locus, testatum fecit. Ejus foederis multa erant capita, de ratione agendi, de tempore, de adparatu ac de portione, quam quisque collaturus erat ad bellum, uti perperam vocatur, sanctum. Omnia capita eo dirigebantur, ut omnes praedicti foederati junctis viribus contendant ad exstirpationem evangelicae religionis, quibuscunque potuerint rationibus *), ut in dicto Classico §. 2. adjicitur **).

§. 3.

Foederi huic adfinis est sacra illa propositio et plus quam paterna admonitio, ad mentem apostolicae sedis romanae nostra hac aetate eo fine evulgata, ut non tantum protestantes penitus deleri, sed etiam principes romano-catholici et sedes apostolica eorum bonis ditari possit.

Admonitio haec nomine sedis romanae consarcinata fuit, postquam Augusto rege Poloniae 1. Febr. an. 1733. Varsoviae mortuo bellum inter gallum et saxonem exarsisset. Hinc romanus pontifex non tantum partes bello dissidentes unire gestiebat, sed universam quoque Europam inter principes romano-catholicos partiebatur et regna, quae protestantes jure hereditario a multis retro seculis possidebant, principibus romano-catholicis transscribebat, ea cum conditione, ut tacite et absque omni strepitu confirmato foedere et finito bello turcico, quod an. 1738. excitabatur, omnes romano-catholici reges et principes in protestantes irruant, moscovitae Sveciam, galli Angliam, hispani Hollandiam debellaturi. Ita, inquit, Svecia fame ferroque deleretur, Anglia intestinis turbis dissiparetur, Hollandiae utilissima commercia adimerentur et partim caesaris, partim gallico jugo subjicerentur. Lutherani principes in Germania, restitutis bonis ecclesiasticis, ad mendicitatem redigerentur, si autem restituere nollent aut non possent, ex imperio pellerentur aut sicut rebelles tractarentur. Quod ad Saxoniam adtinet, propterea romanus pontifex plus saxoni, quam Stanislao favisse dicitur, ut rex Augustus per occupationem throni polonici satis virium habeat defectores a domo Israel, perditos a grege Christi et per lutheranicum illum lupum ad orcum deductas oves, in suis terris hereditariis, ad verum ovile catholicae ecclesiae reducendi. Egregiam sane et ab orco revocatam ra-

*) Ribaynál: remediis.

**) Ugyanannál: adducitur.

tionem! Neque vero hungarorum sua sanctitas papalis, si diis ita placet, dememinit, sed magna animi contentione svadet, ut in Hungaria templa quaedam ad speciem restituantur, quo interea, dum cum turcis res confecta fuerit, quieti maneant nec quicquam moliantur, quin potius ad propriam pernitiem potentiam caesaream augeant, se autem tanto magis debilitent. Cogitet jam, qui potest, nam nec eruditorum romano-catholicorum judicium aspernamur, num putatitia illa sanctitas pontificis cum artibus his machiavellisticis et cruentis consiliis conciliari possit? Videat orbis litteratus et quantacunque cum acerbitate fieri potest, videat*) romanum illud

Principium fidei religione carens.

Huic optimo jure adjungendus est modernus pontifex, Clemens XIII., qui postquam intellexisset austriacos nostros 14. Oct. an. 1758. adversus borussum insignem victoriam reportasse, non tantun comiti a Daun, supremo copiarum caesareo-regiarum duci, gladium consecratum misit, sed etiam breve, ut vocatur, apostolicum adjunxit 30. Jan. 1759. Romae sub annulo piscatoris consignatum. In eo postquam comitem a Daun incomparabili condam heroi, principi Eugenio, praetulisset, gladium offert et ut eodem haeresim, cujus foedissimum odorem exspiraverunt inferi, funditus exstirpare possit, precatur. Non satis erat calumniari, sed ut animum sangvinolentum prodat, adjicit, ut sciant posteri, sequentia: „Angelus exterminator ad latus tuum pugnabit, Lutheri et Calvini sectatorum progeniem infamem exstirpabit et tuo brachio summus criminum vindex utetur ad impiam amalechitarum moabitarumque gentem penitus funditusque evertendam. Sit illud brachium sangvine impio tinctum! Sit arbori huic, quae execrandos dedit fructus, securis adplicata! Revocentur tandem excitante Caroli M. exemplo septentrionales Germaniae plagae ferro, flamma et sangvine ad veram religionem.“ Haec sunt sangvinolenta inclementis Clementis consilia, Petri successore, qualem se esse existimat, prorsus indigna**). Omine quodam ante susceptum pontificatum cardinalis Rezzonico dicebatur, hinc tormentorum ad instar resonat et innocenti protestantium sangvine inebriari cupit egregius ille dei vicarius. Exemplum Caroli M. imprudentissime hic adducitur, cum eruditis ignotum non sit, eum non cum Christi cultoribus, sed regibus et populis, a vera dei cognitione alienis, bello decertas-

*) Doleschal- és Daxnernél: rideat.

**) Doleschal- és Daxnernél: non Petri successore, sed Plutonis alumno digna.

se, quod Vittekindi, saxonum regis, et hungarorum exemplo luculentissime doceri potest. Cum his protestantes comparare, est in coelum spuere eosque sub nomine amalechitarum et moabitarum traducere, est insanire.

§. 4.

Huc referri meretur stellata illa societas, sub praesidio reverendissimi abbatis dömölkiensis an. 1745. instituta.

Adjecissem statuta societatis illius hic loci, nisi jam an. 1745. latino aeque ac germanico idiomate cum eleganti praefatione adjecta fuissent tractatui, cui titulus sequens est: Kurtze und zuverlässige Nachricht von dem Zustande der protestantischen Kirche in dem Königreich Ungarn. Hoc verum est, eo fine statuta haec cusa fuisse, ut protestantes in Hungaria si non penitus opprimi, tantum *) clam et tacite debilitari queant. Quantum clandestinae societates non raro protestantibus obsint **), dolere magis et cavere, quam recognoscere opus est.

§. 5.

Neque alio fine indicuntur conventus et congregationes, quas ven. clerus toties instituit, quoties eas ad opprimendos sive debilitandos evangelicos necessarias esse opinatur.

Ante decennalem sub Leopoldo M. ecclesiarum evangelicarum divexationem an. 1668. Holomucii in Moravia, Nihusii in Bohemia, Linczii in Austria, Limbachii in Styria, Tyrnaviae in Hungaria, clerus romanus congregabatur, praesidentibus ubique nunciis apostolicis, qui nomine pontificis romani ab omnibus dioecesanis rationes exigebant, qui fiat, quod a tanto tempore haeresin lutheranam exstirpare non potuerint et simul suppeditabant consilia, quibus id ex eorum sententia commode confici queat, obliti ejus, quod sapientissimus regum, Salamon, Proverb. XXI. 30. adnotavit: „non est sapientia, neque prudentia, neque consilium contra Jehovam.“ Tale sangvinolentum concilium ***) coactum fuit an. 1670. Tyrnaviae, et quidem eo nomine, ut missa turcis aliquot millionum praeda, haeretici ex Hungaria exstirpentur, uti ex Funda Davidis Johannes Sextius in Animadversionibus suis contra Narrationem historicam Magistri Georgii Lányi p. 42. memoriae prodidit.

*) Doleschal- és Daxnernél: saltim.

**) Ugyanazoknál: Quantos clandestina haec societas progressus faciat.

***) Ugyanazoknál: sangvinarium conciliabulum.

§. 6.

Ut porro tacite et sine observatione divexaretur religio evangelica, dignitate proregis *), contra legem et consvetudinem regni, abolita, archiepiscopi locumtenentes constituebantur.

Torsit hoc nimium quantum gentem hungaricam, quod auctoritas proregis, quem palatinum regni adpellant, contra leges patrias in archiepiscopos translata fuerit. Hinc post tempora Alexii Thurzó et Thomae Nádasdy in omnibus comitiis hungari magna animi contentione elaborabant, ut dignitas proregis secularibus restituatur. Sed in vanum. Nam et Paulus de Várda, et Nicolaus Olahus, et Antonius Verantius et Stephanus Fejérkövy etc. **) archiepiscopi strigonienses locumtenentis officio functi sunt, quod eo profecto consilio factum est, ut evangelici tacite et absque observatione divexari queant. An. 1669. universi Hungariae proceres, ut palatinus constituatur, anxie optabant, cum amplissima ejus sit pace belloque in administratione reipublicae auctoritas; sed Leopoldus imperator, turbatis Hungariae rebus, felicitati suae consulturus, noluit quemquam tanta augere auctoritate, cum hungari post translatum a domesticis ad exteros diadema, in palatinis quandam popularium regum speciem suspiciant. Hoc nomine ministros evangelicos ex suggestibus multas quiritationes instituisse, ut autor Fragmentorum historiae hung. comminiscitur, falsum est, cum ministri evangelici, sacro suo ministerio intenti, talibus se non ingerant; sed haec omnium Hungariae procerum fuit sententia, uti ipse loc. cit. p. 92. ad an. 1669. confitetur, nisi forte ministros evangelicos inter proceres Hungariae collocare voluerit, quod eum facturum minime, certus scio. Proregiam dignitatem sex et quadraginta annos latitantem et ab archiepiscopis strigoniensibus administratam, Stephanus Illésházyus, trenchiniensis dynasta, in pristinum provexit splendorem, ut autor Palatii regni Hungariae palatinorum part. II. p. 82. sq. adnotavit. Ab hoc tempore inclyti Hungariae proceres ad mortem usque Francisci Veselényi ***) continua serie proregiam dignitatem magna cum utilitate administrabant. Post mortem Veselényii Leopoldus imperator an. 1667. Georgium Szelepcsényium, archiepiscopum strigoniensem, more

*) Doleschal- és Daxnernél: palatinali.

**) Daxnernél a szélen: Johannes Kutassy et Franciscus Forgács.

***) Ugyanannál: per annos 52.

superiorum annorum suum per Hungariam locumtenentem esse jussit. Sed non fuit haec ei diuturna honoris possessio, nam evoluto quinquennio ab eadem statione deturbatus est. Hinc errat Johannes Szegedy, S. J., qui in Rubricis suis hoc magistratu Szelepcsényium annis 15. functum esse existimat. Nam an. 1672. visum fuit Leopoldo imperatori novam administrandae Hungariae formam dare, Caspare Ampringenio gubernatore regni designato, qui an. 1673. die 22. Martii sumtuosa pompa inauguratus fuit et archiepiscopus Szelepcsényius non sine magno dolore et famae dispendio dignitatem locumtenentis sive vicarii regii resignare coactus est, etsi ante eum archiepiscopi Szalkanus, Vardanus, Olahus, Verantius, Kutassyus, Forgácsius ad mortem usque eam obtinuerint, uti in scripto suo ad Leopoldum imperatorem misso, quod autor Fragmentorum pag. 322.—331. expromit, ipse Szelepcsényius confitetur. Interea non prius quievit metropolita, quam bonum Ampringenium e fastigio, quod conscenderat, deturbaret; conf., si placet, Archiepiscopos strigonienses compendio datos pag. 137.. Hoc dum factum est, Leopoldus imperator libertatem religionum, quae cuivis arrideret, et oblivionem omnium, quae seu in se, seu in rempublicam patrata fuissent, offerebat; sed cum hungari, libertatum suarum amantissimi, spreto Szelepcsényio, palatinum ex proceribus regni creari, exteros a praetecturis dejici et militem germanum ex Hungaria educi postularent, instigante clero, non tantum adhaesit, sed etiam in fumum abiit negotium. Nam Szelepcsényius, auctoritatis et honoris cupidissimus, non tantum Ampringenium per litteras commonefecit, sibi in comitiis et publicis congressibus nobiliorem locum deberi; sed etiam multis verbis apud Leopoldum imperatorem contendit, ut nisi palatinus crearetur, ne in quem proregium munus transferret, quam in eum; vid. Archiepiscopos strigonienses compendio datos pag. 137.. Hinc sequutafuerunt inter caesarem Leopoldum et hungaros dissidia. Annus enim 1667. inter hungaros et militiam Leopoldi multis cladibus insignis fuit. Supremus militiae caesareae dux, Koppius, molestissime tulit, quod hungari militiae caesaris vicem reddiderint; hinc hungaris cruces et palos minabatur. Ad quam insanam ejus comminationem in haec verba responderunt hungari: „Si tibi, Koppe, aliisque cruce in fures, palo in latrones animadvertendum ducis, fac, ut ex infami trabe quamprimum pendeas aut e palo praetereuntibus spectrum fias,“ quod neque autor Fragmentorum historiae hung. diffiteri potuit ad an. 1677. pag. 601.. De crudelitate Koppii in hunga-

ros et infelici ejus morte legi potest Jobus Kresztyanszky loco saepe citato pag. 35.. Qui aliorum sangvinem sitiebat, proprio sangvine suffocatus interiit.

§. 7.

Ad coarctandas res evangelicorum non parum contulit excelsi consilii regii locumtenentialis an. 1723. institutio. Huic etiamsi in publicis comitiis eorumque sanctionibus eodem anno art. 102. cautum sit, ne in negotio religionis contra positivas regni leges aliquid determinet: tamen libertates evangelicorum, in positivis regni legibus fundatas, frequentioribus intimatis, absque omni fere observatione, ita diminuit, ut querelarum neque modus sit, neque finis.

Difficiliter inductus erat gloriosissimus condam imperator Carolus VI. ad constituendum hoc Posonii consilium, cum et ipse, et major regni pars non necessarium existimaret. Nostri et reformati in comitiis praesentes, qui omni contentione destinationibus his resistere debuissent, vanis circumventi promissionibus, eas studiosissime promoverunt. Promittebatur enim clam et tacite, membra consilii ex rom.- catholicis, lutheranis et calvinianis pari numero deligenda et sine omni cessatione conservanda, sub praesidio proregis Nicolai Pálfy negotia religionis paribus suffragiis tractatura et quidquid occurrerit, secundum positivas regni leges, sine discrimine religionis, ad communem utilitatem regni determinatura. His auditis Paulus Ráday, magnum apud calvinianos nomen, et ex nostris Paulus Prileszky et Paulus Jeszenák, omnem moverunt lapidem, ut ordines regni, potiori ex parte resistentes, ad consentiendum permoveri queant. Hinc in proverbium fere abierat, ut tres Pauli conditores consilii regii locumtenentialis adpellarentur. Supplicantibus tandem subscripsit imperator et consilium hoc regium locumtenentiale praeside palatino, aut absente eo, praeside curiae regiae judice cum XXII. consiliariis, omnibus romano-catholicis, instituit et opera comitis Philippi Ludovici a Zinzendorf, summi aulae cancellarii, inauguravit. Tum nostri et calviniani omnem operam, quam impenderant, et omnia consilia sua damnare coeperunt, divinando adsecuti, quid inde religioni evangelicae metuendum sit. Sequentibus demum comitiis status regni nullam consilii hujus peculiarem necessitatem advertentes, num porro retineri debeat, in publico disputabant. Sed persvasit statibus regni Antonius Gabriel Erdődy, episcopus agriensis. an. 1744. mortuus, consilium hoc regium locumtenentiale vel eo nomine conservandum esse,

quod sit malleus haereticorum. Dignus Plutonis imperio commendator!*)· Duobus enim diebus in hebdomada, Mercurii et Veneris, negotium religionis examinare solet, non sine praesentissimo rei evangelicae detrimento**). Recentissimum hujus mali exemplum praesto est. Postquam ministri evangelici et reformati a consveta et longo usu roborata filialium frequentatione intimato consilii regii locumtenentialis arcerentur et hac ratione pressi evangelici apud clem. Mariam Theresiam querularentur, non tantum praeter scitum suum haec talia fieri adseveravit, sed etiam mandato 4. Aug. 1749. consilio regio locumtenentiali misso severe, ne talia fiant, injunxit, et quidem hoc, quod adscribitur, intimato:

„Augustanae et helveticae confessionibus addicti comitatus honthensis incolae quonam in passu ad majestatem nostram recurrerint qualiterve contra dispositiones fidelitatum vestrarum in adnexis litteris ipsorum contentas et antelato comitatui sub 17. praecedentis Junii inimatas, praecipue vero contra restrictiones praedicantium ipsorum, ne ad praetensa loca ipsorum filialia excurrere audeant, illaque loca parochis catholicis in parochialibus et stolaribus immediate subjiciantur, conquerantur, ex adnexis uberius percepturae sunt fidelitates vestrae. Quibus quidem benigne intellectis, quamvis quidem illud

1. Ut praedicantes acatholicorum extra loca articularia et in quibus actu publica confessionis suae exercitia tenent, etiam sub praetextu vel titulo filialium ad alia vicina loca pro confessionis suae exercitio non excurrant; e converso vero

2. Incolis vicinorum locorum et possessionum aug. et helv. confessioni addictis liber ad loca articularia vel in quibus actu publica sua exercitia cum parochiante habent, liber accessus pateat, benignis caesareo-regiis resolutionibus, per nos etiam clementer confirmatis, conforme sit et his ulterius quoque insistimus; in quantum tamen fidelitates vestrae vi praeadnexi intimati sui dicto comitatui etiam id intimasse perhibentur, ut praementionatas acatholicorum sic dictas filiales, cointelligenter cum generali in spiritualibus vicario, legitimis eorum parochis catholicis, quoad curam animarum et proventus stolares, quo citius restituat eosque in jurisdictionem sibi competentem introducat ac universos quoque ibidem incolas acatholicos parochis illis catholicis quoad munia parochialia et stolaria directe subjiciat necessariamque contra renitentes catenus adsistentiam praeberet, primo de ibidem recensitis

*) Doloschal- és Daxnernél: malleus.

**) Ugyanazoknál: discrimine.

informet: hanc fidelitatum vestrarum dispositionem, si veritate nitatur, velut activitatem eorum excedentem, haud adprobantes, iisdem praesentibus benigne committimus et mandamus, quatenus stantibus quidem in praemissis duobus punctis fidelitatum vestrarum dispositionibus, veluti benignis resolutionibus conformibus, quoad reliqua praevio modo commissa, comitatui honthensi, ut nullam penitus in praemissis circa praetensarum filialium reductionem et parochis catholicis adplicationem, faciat, sed de numero et qualitate ejusmodi praetensorum locorum filialium, quae sibi acatholici hactenus vindicabant, praevie genuine fidelitates vestras informet, intimato, ut habita talismodi informatione earum, cum voto et opinione sua, majestati nostrae pro impertienda desuper benigna resolutione nostra submittere et ab eadem benigna resolutione nostra praestolari, in futurum autem instructioni suae, in negotio religionis habitae, semet exactius adcommodare nihilque similis praeter scitum et voluntatem nostram disponere noverint fidelitates vestrae. Datum in civitate nostra Viennae Austriae die 4. Aug. an. 1749..“

Hoc mandatum uti contempserunt, ita in contemptum suae majestatis proprio arbitrio in negotio filialium evangelicos adflixerunt, uti in sequentibus luculentissime commonstrabitur:

§. 8.

Neque parum concussit rem evangelicam prohibitio ea, qua juvenes hungari ampliandorum studiorum causa ad universitates exteras transire fuerunt prohibiti.

Non est recens hoc institutum. Jam sub primordiis reformationis Ferdinandus I. rex Hungariae, consiliis ven. cleri inductus, peculiari edicto cives suos Vitembergam adire prohibuit, uti advertit M. Augustus Miillerus in Dissertatione de fervore, tepore et frigore theologico, sub praesidio D. Wernsdorffii habita pag. 2., etsi optimus alioquin imperator, cognita religionis evangelicae veritate, factum suum in posterum ex animo detestatus fuerit. Idem fecit august. condam imperator Carolus VI. an 1725. et multo jam severius consilium regium locumtenentiale, quod nomine gloriose regnantis Mariae Thesiae an. 1743. non tantum omnibus absque regiis salvi conductus litteris ad universitates exeundi facultatem praecidit, sed etiam omnes, qui in academiis morabantur, intra sex mensium spatium in Hungaria adesse jussit. Hoc non sine jactura studiorum suorum facere cogebantur

jam in publico magna cum utilitate laborantes: rev. David *) Fabriczius, Matthias Holko, Andreas Sztehlo, Jacobus Lányi **) et Jacobus Szelkovius ***), viri omni commendatione digni. Sed non hic desiit malum liberalibus studiis academicis intentatum. Nam non ita multo post consilium regium locumtenentiale iis tantum, qui propriis sumptibus ad transigendam vitam academicam instructi sunt, dein solis nobilibus, jam nunc nemini fere litteras regio nomine exhibendas decrevit. Quid est Juliani tempora in orbem reducere, si hoc non est? qui non tantum scholarum rhetoricarum accessu christianorum filios prohibuit, sed etiam ne meliores litteras et artes discerent, interdixit †). Vid. Kromayeri Ecclesia in politia cent. IV. pag. 144..

II. De aperta evangelicorum divexatione;

et quidem

I. Ante confirmatam religionem evangelicam.

§. 1.

Vix primordia religionis lutheranae in Hungaria innotuerunt, ven. clerus et rex Hungariae Ludovicus II. a clero inductus apertam ejus divexationem susceperunt.

Dum doctrina Lutheri Hungariae illata fuisset, archiepiscopi munere apud strigonienses functus est Georgius Szakmáry, qui Lutherum a Leone X. pontifice haereseos damnatum et ipse e primariis Hungariae cathedris an. 1521. damnari jussit, et post biennium, an. 1523. regi Ludovico II. et quibusdam regni proceribus persvasit, ut lex conderetur: „omnes lutheranos et eorum fautores ac factioni ipsi adhaerentes, tanquam publicos haereticos hostesque sacratissimae virginis Mariae poena capitis et ablatione omnium bonorum puniendos esse.“ Vid. Archiepiscopi strigonienses compendio dati pag. 97.; conf. item Ludovici II. Decretum V. art. 54.. Szakmáryo nihilo melior fuit successor ejus Ladislaus Szalkanus metropolita, cujus et reliquorum episcoporum instinctu ordines in comitiis an. 1525. legem tulerunt hujusmodi: „Lutherani etiam omnes de regno exstirpentur et ubicunque reperti fuerint, non solum per ecclesiasticas, verum

*) Doleschalnál: Samuel.
**) Ribaynál: jam in domino mortuus.
***) Doleschal- és Daxnernél: et multi alii.
†) Doleschal- és Daxnernél: jussit.

etiam per seculares personas libere capiantur et comburantur"; vid. Ludovici II. Decretum VI. art. 4.. Sed quod ad priorem articulum 54. an. 1523. adtinet, ille per modum supplicationis tantum regi oblatus fuit, illis, qui meliorum erant partium, in eum non consentientibus. Nam lutherani neque haereseos convicti fuerunt, neque hostes s. virginis Mariae ex vero dici potuerunt. Nos enim b. virginem Mariam honoramus, etiamsi non adoremus, illius, quod Epiphanius haeresi 79. de collyridianis scribit, memores: „Honoremus reginam coelorum, sed sufficiat, ut Maria in honore sit. Pater, filius et spiritus sanctus adorentur, Mariam nemo adoret." Alter articulus anni 1525. a rege confirmatus non legitur, cum Mariam nemo adoret. utriusque anni acta, exulceratis Hungariae temporibus lata, neque consvetum praeambulum, neque regis ad probationem contineant. Et etiamsi a rege adolescente adprobatus fuisset, uti non est, cum contra expressam legem divinam sit, Matth. XIII. 29. 30., valere non debet, cum ipsa regni Hungariae statuta in prologo Tripartiti adfirment: „contra legem divinam legem humanam non valere." Vid. plura, si placet, in Malleo Petri Petschyi pag. 8. et seq.. Ladislaus Szalkanus, juratus evangelicorum hostis, non parum reformationi obstitisset, nisi singulari divina providentia Hadriani summi pontificis mors et proelium mohácsiense conatus ejus intervertisset. Exstincto enim Hadriano ad electionem Clementis VII. Romam profectus, felicem evangelii cursum in Hungaria impedire non potuit, uti observavit Hanerus in Hist. eccles. transylv. pag. 158. sq.. Post reditum ejecturus erat Lutheri dogma omni Hungaria, nisi 29. Aug. cum rege sanctioreque Hungaria*) in fatali mohácsiensi pugna ferro turcico cecidisset, uti confitentur ipsi jesuitae in Archiepiscopis strigoniensibus compendio datis pag. 99.. Huic juxta cum reliquis evenit id ipsum, quod Seneca in Hercule furente versu 384. adnotavit:

Sequitur superbos ultor a tergo deus,

siquidem teste eodem Seneca in Hyppolito versu 439.:

Quem fata cogunt, ille cum venia est miser,
At si quis malis ultro se offert volens
Seque ipse torquet: perdere est dignus bona,
Queis nescit uti.

Quod ad Ludovicum II. adtinet, ille ad Fridericum Saxoniae electorem scripsit et nimium questus est, quod Luthero adsistat; hinc an. 1523.

*) Doleschal- és Daxnernél: cleroque hungarico, Ribaynál pedig: et praecipuis regni.

eum puniri, nec amplius monacho illi indulgeri jubet, uti Seckendorf in Historia lutheranismi optima fide percenset. Profecto autor Otiorum Báchmegyeyanorum audacter adserit: „articulum anni 1525. in lutheranos conditum vigorem legis obtinuisse et patriam nostram aeque ac Hispaniam et Portugalliam a labe haereseos liberatam*) perstare potuisse, nisi ex inperscrutabili divino judicio commissum ad Mohács proelium regnum Hungariae tenebris involvisset"; vid. pag. 591.. Nobis ad solatium satis est, quod haec non nobis, sed inperscrutabili divino consilio adscribantur, quale neque Ludovicus II., neque praelati regni intervertere potuerunt, quia non est consilium adversus dominum, Proverb. XXI. 30.. Infelix Ludovicus astutis consiliis cleri hungarici et transylvanici inductus, imperavit, ne quis libros Lutheri legere audeat, sed omnes ad comburendum tradere obligetur, quod quam infeliciter cesserit, in sectione IV. dicetur.

§. 2.

Exstincto ad Mohács Ludovico II. Johannes de Zápolya a quadam procerum Hungariae parte designatus, a Paulo de Várda archiepiscopo strigoniensi 11. Nov. an. 1526. inauguratus et a Solimanno turcarum imperatore confirmatus rex, non parum in lutheranos saeviisset, nisi turbulenta, in quae inciderat, tempora hostiles ejus destinationes antevertissent.

Frustra sunt, qui opinantur Johannem de Zápolya Luthero favisse, cum eum ex animo oderit, quod edicto 21. Jan. an. 1527. in perniciem evangelicorum cuso palam fecit: felicem tamen evangelii cursum absque praesentissimo regiae dignitatis**) discrimine nec satis prohibere poterat, nec volebat satis, cum judicio Báchmegyeyano, ad stabiliendum potius suum, quam Christi regnum impenderit studium; conf. Otia ejus pag. 592.; vid. et Podlusány De rebus gestis Hungariae regum lib. 1. pag. 513.. Hinc factum est, ut Matthiam Dévay Vitemberga reducem et a monachis haereseos accusatum, carceri inclusum et igni destinatum, liberum dimiserit; vid. Historia diplomatica pag. 5.. Sub ejus infelici regimine 24. Aug. an. 1527. pastor ecclesiae libethensis, Philippus Nicolai, et scholae ejusdem rector, Gregori dictus, quod b. virginem Mariam invocare noluerint, alter Vetusolii, prope Dobronam alter, ad ignem damnati fuerunt; videatur ex Stöckelio Petrus Pétschyus in Malleo peniculi pag. 9.. Sed cum

*) Ribay- és Daxnernél: liberam.

**) Ribaynál: majestatis.

breviter crudelitatem hanc adversariorum adtigerit, posteritatis gratia uberius recognoscenda est. Iis plane temporibus metallifossores neosolienses, quod debita mercede sua destituerentur, apud Johannem de Zápolya questi fuerunt. Is, ne operae metallicae feriari cogantur, recuperatores, quos commissarios adpellant, expedivit, controversiam illam definituros. Fuerunt ii Michael Szoby, magister Stephanus *) et Casparus Ráskay. Infelices illi homines, dum lucem evangelii in montanis et vel maxime Libethae illuxisse advertissent, sine omni remora adparitores suos Libetham mittunt et ut fidelem illum veritatis evangelicae praeconem adducant, severe praecipiunt. Minister, cognitis hostium insidiis, ex consensu et sententia auditorum, ad montes, quos veteres adpellant, se recipit, libethenses vero numero sex, cum rectore scholae, Vetusolium captivi deducuntur. Hic de veritate religionis evangelicae**) examinati, cum eam palam confiterentur et ab ea nunquam se recessuros edicerent, rector scholae, qui et liberius respondebat et reliquos ad constantiam hortabatur, rogo impositus, neque minis, neque promissionibus flecti potuit ad deserendam, quam animo conceperat, veritatem evangelicam, sed animo praesentissimo supplicium tolerans, Christi et evangelicae veritatis causa exustus est. Ex sententia enim Theodoreti, ardens divino fervore animus nullo tangitur humano metu, sed terrores tales pro risu et joco habet; vid. Hist. ejus cap. XVI. lib. IV.. Id hujus rectoris exemplo probari potest, qui inter preces et suspiria die 22. Stöckelius scribit, sed 24. Aug. an. 1527., commendata anima sua sospitatori Jesu Christo, supplicium ignis constantissime toleravit. Sex illi libethensium senatores, pari supplicio destinati, ad intercessionem neosoliensium dimissi sunt. Pastor, qui diutius in montibus latere non potuit, Vetusolium adductus, Budam ad regem abducendus erat; sed vix ad***) Dobronam ad castellum quoddam ventum fuit, eum, virum non minus doctum, quam deo fidelem, exuri praecipiunt infelices Plutonis satellites, qui ipso die Bartholomaeo sacro, plenus spei, inter preces et suspiria coronam martyrii consequutus est. Hinc discat, si ex Historia diplomatica cognoscere non potuit, iniquissimus †) doctor medicinae Báchmegyey, qui in Otiis suis pag. 755. autorem Historiae diplo-

*) Ez Verbőczy volt. L. Szalay: Magyarország története. III. k. Lipcse, 1858. 568. l..

**) Doleschal- és Daxnernél: lutheranae.

***) Doleschal- és Daxnernél: ultra.

†) Ugyanazoknál még: et omnium, quos adspexit sol, mendacissimus.

maticae desperate traducit, quod ministri libethensis ad rogum damnati nullam injecerit mentionem, cum et extraneus fuerit et non omnium rerum, quae in Hungaria gestae sunt, conscius. Ipse, aut quicunque Otiorum Báchmegyeyanorum autor est, etsi Hungariae sit civis: tamen rerum in Hungaria gestarum juxta cum ignarissimis est ignarus. Nam ex praepostero religionis odio etsi de rei veritate convictus non sit: tamen mendacia mendaciis cumulat et propterea indignus est, cui vel minimum credatur. Quot enim in hac narratione verba sunt, tot sunt mendacia; quia neque ex sententia et consensu incolarum, sed commissariorum interiit; neqne feria secunda paschatos, sed feriis Bartholomaeo sacris, neque extra civitatem in colliculo, sed ultra Dobronam ad castellum vetus, neque capite plexus, sed igne exustus fuit. Ven. condam Matthias Augustini, primum neczpalensis, dein trenchiniensis pastor, in libello, quem De patientia idiomate slavonico an. 1734. edidit, parte I. pag. 194. adfirmat, ministrum hunc libethensem 3. Febr. an. 1528. exustum fuisse. Sed quod bona venia optimi condam praeceptoris mei scribo, multo fuit aliter. Nam optimus ille vir praesentibus infelicibus illis commissariis exstinctus est, qui an. 1528. in Hungaria non fuerunt amplius. Quamprimum enim intellexerunt, Ferdinandum I. misso in Hungariam exercitu 1527. Budam occupasse, et Johannem de Zápolya, tanto exercitui resistere non ausum, Patakinum profugisse, illi ministrum, quem deliberato consilio Budam ad regem Johannem deducturi erant, fuga salutem quaesituri, prope Dobronam exuri curant. Accedit, quod Zápolyius an. 1528. a duce exercitus Ferdinandi I. Caczianero ad Hernádum non procul Cassovia fugatus, fugam in Poloniam capessivit atque fluctuantibus rebus suis, evangelicis amplius nocere non potuit. Hinc facile colligas, non an. 1528., sed priore exustum fuisse. Hoc multo magis lapsus est rev. condam Tobias Masnitius, qui in Electa dei vinea pag. 220. szlatinensem ministrum et rectorem fuisse et circa an. 1603. exustos esse opinatur, quod tamen nulla ratione cum veritate conciliari potest. Libethensibus eum maledixisse aut quibuscunque aliis, credat otiosus Báchmegyey, non ego. Commonuit ille, ut divinando adsequor, auditores ad retinendam constanter veritatem evangelicam et inconstantibus, qualis Báchmegyey fuit, poenas ex vero denunciabat. Neque male cesserunt monitiones ejus. Nam etsi non parum pressi fuerint libethenses et premantur adhuc: tamen a veritate evangelica non desciverunt, si eos excipias, qui nequissima vita poenas commeriti, eas commutatione religionis redimere coa-

cti sunt. De bibliopola quodam Budae Ludovici II. adhuc temporibus veritatis evangelicae causa exusto an. 1524. queritur Lutherus lib. II. Epistolarum pag. 243.; conf. Historia lutheranismi cel. Seckendorfii lib. I. sect. LXIII. pag. 316.. Hinc praefidenter vociferatur otiosus autor Otiorum Báchmegyeyanorum pag. 714.: „Conservasset jura ecclesiae romano-catholicae Ludovicus II., nisi infelix palus ignem in turbatores religionis accensum praemature exstinxisset.“ Egregia haec et Plutonis alumnis digna reformandi ratio, qui cum veritate non possint, igne in fideles dei confessores saevire nituntur. Non ita fecerunt apostoli, non Christus. Hinc ex ejus sententia: nescitis cujus spiritus filii sitis, Luc. IX. 55.. Non recordamini illius, quod adversus Crescentium lib. III. cap. 50. scripsit Augustinus: „Nemini pio unquam placuit in ecclesia, si contra aliquem, etiamsi sit haereticus, ad sangvinem usque saeviatur.“ Hinc de Ferdinando I. Thuanus lib. XXXVI. hoc tulit judicium: „In negotio religionis non ferro grassari, ad quod ipsum et regem Galliae plerique hortabantur, sed colloquiis, disputationibus, amicis colloquutionibus, conciliis denique, sive nationalibus, sive oecumenicis, rem gerere tutius judicabat.“

§. 3.

Ferdinandus I. imperator et rex Hungariae gloriosissimus, etsi intempestivis cleri consiliis circumventus, haud raro deteriora sequutus est: tamen de religione evangelica melius informatus, pro singulari sua aequitate, deteriora melioribus compensabat.

Sententia haec nostra vel hinc confirmari potest, quod etsi Ferdinandus I. multa hungaris polli citus fuerit: tamen non tantum an. 1545. ad comitia non venit, sed etiam a ven. clero inductus, an. 1548. Decret. XI. art. 5. constituit, cultum divinum ad pristinum ordinem reducendum et haereses undique tollendas esse. Querelas evangelicorum exponit Seckendorffius in Historia lutheranismi lib. III. sect. XXXI. §. 120. pag. 537.. Meliora edoctus, non tantum confessionem quinque liberarum regiarumque civitatum in superiori Hungaria a Leonhardo Stöckelio conscriptam et an. 1549. sibi oblatam recepit; sed etiam an. 1555. liberis regiisque civitatibus liberum religionis evangelicae exercitium indulsit; conf. Samuelis Pomarii praefatio Disputationibus de peccato originali an. 1669. praemissa et Lampe in Historia eccl. pag. 107.. Imo dum Paulus IV. pontifex Ferdinando svasisset, in lutheranos potius, quam turcas expeditionem ad-

nandam esse, non tantum non consensit, sed etiam posterioribus temporibus, non exspectata pontificis vel concilii sententia, petentibus subditis integri sacramenti usum et sacerdotibus conjugium an. 1556. restituerec onatus est*). Non poterat hoc diffiteri patrius scriptor Franciscus Forgács cardinalis, qui in citatis jam Comentariis suis de rebus Hungariae manuscriptis lib. XIII. confitetur: „Ferdinandum imperatorem archiepiscopum pragensem et Georgium Draskovicsium episcopum quinqueecolesiensem delegisse, qui patribus tridentinis voluntatem imperatoris significarent. Caesar enim cum gallis statum ecclesiae romanae ad normam primaevae reformandum postulabat, hoc est, magna animi contentione flagitabat, ut integra coena domini ad evangelicam traditionem revocaretur, sacerdotibus conjugium restitueretur, pontificis auctoritas certis finibus includeretur, de pontificis primatu et conciliis determinaretur, dispensationes ad aedificationem concederentur, curiae romanae abusus reformarentur," et quae erant alia **), uti dicto loco pag. 240. percenset cardinalis Forgácsius. His caesaris internunciis adjuncti fuerunt a clero hungarico duo: Johannes Kolosváry, antistes csanadiensis, et Andreas Dudithius, episcopus tinniensis, de quo ejusque orationibus Tridenti habitis, quod necessum erat, in prioribus dictum est. Optimus imperator Ferdinandus, dum patres tridentini voluntati ejus non responderent, de corruptissimo ecclesiae statu edoctus, amicissimas ad Lutherum dedit litteras ***), quae adhuc in bibliotheca electorali adservantur et filium suum Maximilianum II. in religione orthodoxa educari voluit. Hoc ita ussit †) pontifices, ut id ipsum missis ad Ferdinandum legationibus ††) impedire conarentur; vid. Kromayeri Ecclesia in politia pag. 463., conf. M. Dan. Lányi Ignea veritatis columna, parte speciali, pag. 416., et quod mireris, ante beatum obi-

*) Doleschal- és Daxnernél: Vid. Sleidanus in Comment. lib. XXVI. pag. 865. et M. Daniel Lányi in Ignea veritatis columna, parte speciali pag. 57. et 416..

**) Ez a többi volt: certa formula electionis praescriberetur, jus divinum de residentia episcoporum declararetur, cardinales ex omnibus nationibus creandos ac definito numero priorum conciliorum sanciretur. Lásd: Francisci Forgáchii rerum hungaricarum sui temporis commentarii. Pozsony és Kassa, 1788. 311. l..

***) Doleschalnál a szélen: Sunt absque dubio adulterae. Vide Raupach: Erläut. evang. Oesterr. 1. Th..

†) Ribaynál: torsit.

††) Doleschal- és Daxnernél: expeditionibus.

tum suum an. 1564. augustauam confessionem publice Viennae in templo publicari sivit, cujus Martinus Philadelphus Zamrsky, ecclesiae oppaviensis bohemicae pastor, in Postillis slavonicis an. 1590. editis, genuinus testis est. Hoc nomine optimo imperatori non tantum Julius III., sed et Paulus IV. pontifices romani ut quam plurimum infensi fuere, uti docet ecl. Ernestus Salamon Cypriani in Tractatu de origine et progressu papatus*) pag. 654., etsi ipsi scriptores romano-catholici confiteantur, eum fuisse pietatis cultorem eximium. Vid. Spondanus in Annalibus Barovii continuatis ad ann. 1555. num. 3..

§. 4.

Nulla unquam constitutione Ferdinandus I. rex Hungariae rei evangelicae obfuit magis, quam quod autore Nicolao Olaho, metropolita strigoniensi, societatem jesuitarum induxerit.

Annus erat 1559., quo se societas haec regno Hungariae insinuavit. Ejus instituto **) mire capiebatur Olahus; hinc non prius quievit sollicitare Ferdinandum, quam ejus admissionem in regnum impetraret. Confectis ex voto destinationibus, rem omnem P. Johanni Victoria Vienna Tyrnaviam accersito contulit et num Tyrnaviae vel in praepositura thurocziensi primum collocanda foret societas, studiose inquisivit. Dum Tyrnaviae sedem fortunarum collocare placuisset, biennio post adveniunt sacerdotes duo ex eadem societate, quorum alter sacris sermonibus populum, alter juventutem litteris imbueret, et Antonius Flander, laicus, qui rem familiarem curaret ab archiepiscopo suppeditatam; vid. Franc. Zachini Historia societatis Jesu parte II. et ex eo societas tyrnaviensis in Archiepiscopis strigoniensibus compendio datis in vita Nicolai Olahi pag. 107.. Quam multum increverit societas haec in Hungaria, dici satis non potest, semel atque iterum communi ordinum consensu regno propulsata. Dum an. 1683. tanquam hostes patriae, inimici pacis, et conciliatores bellorum ex universa superiore Hungaria a principe Emerico Tököly ejicerentur, fere mille eorum numerati fuerunt, etsi sub initium ad multas cujusdam illustris aulae intercessiones nonnisi unicus ad eandem aulam fuerit admissus; vid. Jobi Kresztyanszky aus Freyberg Kurtze Nachricht

*) Ribaynál, közbeszúrva: versionis bohemicae anni 1744. opera Bahilii Vitembergae editae.

**) Doleschal- és Daxnernél: institutione.

etc. pag. 12- 13.. Hoc adjiciendum adhuc est, eos, uti varii sunt, ita varie adpellari. In Italia enim et Hispania vocantur theatini, quamvis haec secta multo fuerit antiquior; in Navarra adpellantur innigistae ab Innigo sive Ignatio Loyola; in Portugallia nominantur apostoli et in reliquis regnis jesuitae, uti observavit Antonius Gavin in libello, cui titulus: Dietrich, parte II. pag, 238. sq.. Ordo hic jesuiticus in Hispania natus, Lutetiae educatus, Venetiis exercitatus, Romae uti et in Hungaria primum exagitatus, dein immodicis privilegiis auctus, ex sententia theologorum parisiensium damnatus fuit. Hinc haud sine ratione in proverbium abierat: jesuitarum Hispania genitrix, Italia obstetrix et Gallia nutrix; conf. academiae lovaniensis Mercurius jesuiticus lib. IV. pag. 463.. Arctissimam ordinis jesuitici per universam Europam dispersi unionem et arcanas ejus subtilitates ad promovendam et stabiliendam supremam pontificis romani potestatem comparatas, pro rara eruditione sua percensuit celeberrimus ille jurisconsultus Justinus Febronius (i. e. Adamus Franciscus Kollár *), neosoliensis hungarus, consiliarius regius et bibliothecae viennensis custos primarius) in eruditissimo tractatu anno 1763. edito, quem inscripsit: De statu ecclesiae et legitima potestate romani pontificis, liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus. Consule libri hujus pag. 499.. Eo enim creverat insolentia jesuitarum, ut episcopis graves fuerint et pontifici regibusque formidolosi. Audiamus dilectum papae filium Erasmum Roterodamum, qui 1. Nov. an. 1519. ad Albertum magdeburgicum cardinalem, archiepiscopum moguntinum lib. XII. epist. 10. editionis basileensis anni 1540. in haec verba scripsit: „Mundus oneratus est tyrannide fratrum mendicantium, qui cum sint satellites sedis romanae, tamen eo potentiae ac multitudinis evadunt, ut ipsi romano pontifici atque ipsis adeo regibus sint formidabiles. His, cum pro ipsis facit, pontifex plus quam deus est. In his, quae facit adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium." Vid. Febronius pag. 503.. Hinc fit, ut romani pontifices studiosissime observent jesuitas, nec arctissimam illorum per Europam conjunctionem vel in minimo

*) Ribay jegyzete: Johannes Nicolaus ab Hontheim, electoris trevirensis vicarius, est auctor libri, de legitima pontificis potestate scripti, 1764.. Coactus erat revocare 1781., sed suae retractationis commentarium adjecit, in quo multa pontifici ingrata leguntur. Inter alia ostendit retractationem suam fuisse vi extortam. Vid. Historiam litterariam Schroeckii.

turbare audeant. Ecce modernus summus pontifex, Clemens XIII., maluit eandem societatem Jesu e Gall a ejectam videre, quam ad instantiam regis per ejus legatum, cardinalem de Rochechovart consentire, ut vicarius generalis jesuitarum pro eo regno deputaretur. Rationem pontifex in breve ad Ludovisum XV. 28. Jan. 1762. dato hanc addit: „id fieri non posse, ne nexus ille ordini absolute necessarius dissolvatur.“ Vid. Febronius loc. cit. pag. 501.. Hinc existimes societatem Jesu fulcrum esse, sine quo curia romana consistere non potest.

§. 5.

Quieverant utcunque Maximiliani regis et posterioribus Rudolphi II. temporibus evangelici: evitare tamen non poterant, quin imperante adhuc Rudolpho rege, sub initium seculi superioris XVII. misere adfligerentur.

Si immortalis famae imperatorem Maximilianum II. ex vero metiaris, de eo cum omni aequitate dici potest, quod fuerit amor et deliciae generis humani. Eum in tenera statim aetate religioni lutheranoevangelicae favisse Hubertus Langvetus, legatus et consiliarius saxonicus, Epistolarum lib. II. epist. VIII. pag. 27. testis est, dum scribit: „Dominus praeceptor tristissimas accepit litteras de rege Maximiliano, quem parens omnibus modis conatur adigere ad abnegationem hujus religionis et jam multo durius cum eo agit, quam unquam antea.“ Capita verae fidei Wolfgangum Severum eum docuisse Georgius Henricus Goetzius superintendens lubecensis in Singularibus suis de domesticis Lutheri pag. 51. sq. adnotavit. Imperator constitutus praeterquam quod hungaris ob professionem religionis evangelicae molestus non fuit: etiam bohemis liberum religionis exercitium indulsit, consistorium ecclesiasticum erigi permisit, collegium Caroli IV. iis adtribuit et ut ex statibus regni defensores religionis evangelicae libere eligantur, augustali prorsus liberalitate constituit, imo Henricum regem Galliae, generum suum, saluberrimis consiliis et monitis erudivit, ut in negotio religionis lenitatem potius, quam asperiora media consectetur. Quod cum alias, ac ille svadebat, evenisset, doluit ex animo et factum generi sui detestatus est, quod patet ex epistola ejus ad Lazarum Schvendium, copiarum suarum ducem, Vienna 22. Febr. an. 1574. missa, quam recitat Goldastus Constitutionum imperii tom. II. pag. 324.; conf., si lubet, Politicus sceleratus denuo impugnatus pag. 550.. Hinc factum est, ut opinor, quod pientissimus ille belli pa-

cisque inter principes Germaniae arbiter, non tantum sacros sermones pii illius senis Matthaesii in valle joachimica saepe audire solitus fuerit: sed etiam ante beatum obitum suum sacra evangelica amplexus *), usu ven. sacramenti coenae domini fidem in Christum praesente medico et consiliario suo, Johanne Cratone a Craffthеim confirmavit. Conf., si placet, in hanc rem Supplementa historica M. Henr. Kippingii ad historiam Joh. Pappi pag. 44. et inprimis Dezideria z Fridbergu krátký historický a pravdivý duvod etc; prodiit an. 1618.. Dum D. Lambertus Gluterus, ecclesiastes aulicus et episcopus neapolitanus, advenisset, non alia conditione eum ad se venire sivit, quam si unice de Christi merito et satisfactione, quae nostra justitia est, loqui velit et dum soror ejus bavarica interrogaret, num velit confiteri peccata et uti sacramento? respondit, se confessum esse sacerdoti, qui est in coelis et impium esse sumere sub una specie, uti memoratus Langvetus Epist. lib. I. pag. 241. ad Augustum electorem Saxoniae perscripsit. Vix Gluterus loqui desierat, imperator optimus, dextro lateri incumbens, placidissime in domino obdormivit; vid. Johannis Cratonis, et medici et consiliarii caesareo-regii Oratio funebris. Hinc quod religiosissime in vita precabatur, in morte certissime consequutus est. Dum enim magno huic imperatori D. Eberus Explicationem psalmorum Pragae an. 1564. cum omni pietate obtulisset, praesente procancellario suo Dasio in haec verba ad eum loquutus est: „Orate pro me misero, ut in doctrina, augustana confessione comprehensa, dei gratia vivam et moriar," uti notavit Selneccerus in Oratione de Luthero et augustana confessione habita et Jenae an. 1590. in IV. impressa. De favore ejus in doctrinam luthe ranam videri possunt Georgii Henrici Göetzii Meletemata annabergensia pag. 739. sq.. Hinc, ut divinando adsequor, evenit, quod ei multi theologi lutherano-evangelici scripta sua dedicarint. Inscripsit ei Vergerius Librum adversus catalogum pontificiarum condemnationum Ingolstadii editum, D. Selneccerus Psalterium Davidis, Johannes Aurifaber tomos II. Scriptorum Lutheri islebiensium an. 1561. et Johannes Matthaesius Explicationem evangeliorum an. 1565. et Johannes Manlius Collectanea sua an. 1573.. Haec res ita torsit pontificios, ut obitum ejus non multum doluerint. Ita enim scribit Langvetus loc. cit. pag. 244.: „Satis ostendunt pontificii plerique, se non magnum dolorem ex

*) Dolesechalnál a szélen: quod a veritate alienum.

ejus morte concepisse. Quando nunc imperatorem commendare volunt, ii, qui ipsi maxime fuerunt familiares, dicunt, eum avo fore similem, nulla facta mentione parentis.“ Hoc inde factum est, quod de veritate evangelica convictus evangelicis optime faverit et non tantum liberum religionis exercitium in Austria concesserit, sed etiam an. 1566. pacificationem passaviensem in publicis comitiis augustanis confirmaverit. Sub eodem augustissimo principe Formula concordiae conscripta fuit, de qua dum Pragae cum Jacobo Andreae colloquutus fuisset, in haec verba loquutus est: „O doctor Jacobe! vos multos habetis adversarios, sed constanter in negotio Concordiae pergite, nam

Deserit ille suos nunquam, qui cuncta gubernat.“

Dignum tam augusto imperatore eloquium! Hinc non sine ratione Johannes Sambucus, tyrnaviensis pannonius, in Emblematibus suis ita eum compellavit:

Jam tu magnorum decus et rex maxime regum
Vive! vale! hesperii eos et mirentur amentque.

Ad Rudolphi tempora quod adtinet, dici non potest, quam multa anno 1602. et sequentibus contra evangelicos in Hungaria, incentoribus, ut adparuit, jesuitis, fuerint adtentata. Nam non tantum an. 1604. pestiferum illud et exitiale decretum, de religione pontificia in universo Hungariae regno instauranda, reliquis comitiorum articulis clam, insciis et non consultis statibus et ordinibus regni adsui curarunt, ut eis propterea solenniter protestari necessum fuerit; sed etiam muros in urbibus, portas, turres, curias, scholasque metiebantur, proventus investigabant et non nisi extrema quaeque minabantur, imo quod multo erat gravissimum, templa quoque armata manu evangelicis eripiebant. Ipse Rudolphus imperator non tantum in castris evangelicos concionatores ferre nolebat eosdemque ex praesidiis hungaricis ejiciebat, sed etiam alibi passim in Hungaria fideles verbi Christi ministros proscribebat, per suos capiebat, cruciatibus quoque et morte afficiebat, ita ut tandem vix ullibi tuto quis verbum salutis profiteri ausus fuerit, uti quidam eruditus in jure patrio civis hungarus in Thesibus an. 1604. de statu Hungariae et insurrectionis tumultu ejusque vera causa conscriptis thesi 39, memoriae prodidit. In hanc rem conferri meretur scriptum in generali diaeta posoniensi an. 1604. per potiorem partem statuum et ordinum regni Hungariae serenissimo principi archiduci Matthiae ratione religionis exhibitum, in quo injurias sibi contra positivas regni leges illatas prolixe exponunt. Experti sunt id ipsum cassovienses, quibus homo

babylonius, Johannes Jacobus Barbianus comes de Belgiojosa, partium superioris Hungariae generalis capitaneus, quem Petrus Péchyus in Malleo suo peniculi turpissimum avaritiae baratrum et vivum sathanae mancipium adpellat pag. 112., ejectis omnibus ministris lutheranis, nobilissimum parochiale templum Elisabethae dicatum, augustum prorsus et illustre, postquam id evangelici annis 50. possedissent, an. 1604. die 6. Jan. sive ipsis feriis trium regum armata manu ademit et pretiosissimos thesauros, quos ibi repererat, famelicus ille italus, frustra deprecantibus evangelicis, sacrilega manu eripuit nobilemque Georgium Szabó, civem cassoviensem, propter admissos vicinos, dum in privata domo sacrum codicem legeret, magna pecuniae summa iniquissime mulctavit. Jacturam hanc cassoviensium Nadányi in Floro hungarico lib. IV. cap. XV. pag. 337. ad annum priorem rejicit, quem et Lampius in Historia eccl. sequutus est pag. 332., sed perperam. Potior mihi hac in parte fides est M. Stephani Xylandri, XXIV. regalium senioris, qui in matricula contubernii, tanquam scriptor coaevus, id an. 1604. evenisse adnotavit, ne de Historia diplomatica et Paris Pápayo in Rudere redivivo ipsisque jesuitis in Initiis societatis cassoviensis pag. 82. idem sentientibus aliquid adjiciam. Non sine ratione ergo hungari a Rudolpho II. rege postularunt, ut non germanus aut italus, sed hungarus inprimis in partibus superioris Hungariae capitaneus constituatur, cum sciverint omnes Barbianum comitem de Belgiojosa, famelicum et nudum in Hungariam venisse et multis continuisque rapinis multam pecuniae vim congessisse. Is an. 1601. praeter omnem viam juris et sine omni causa domum domini Dionysii Bánfy simulate invasit, captivum esse jussit, omnes res ejus rapuit, nec prius ex captivitate dimisit, quam eum jure amicitiae Stephanus Bocskay 14000. thaleris redimeret. Famelicus ille italus etiam opibus Bocskayanis inhiabat. Cum enim quadam vice etiam non invitatus apud eum pranderet et abacum ejus multis variisque aureis et argenteis pretiosissimis vasis ad admirationem usque instructum contemplaretur, statim ac discessisset, duos centuriones silesios, Schneckenhausium et Rotwicium redire jussit et ut Bocskayo pro lautissimo convivio gratias agerent et ex vasis illis aureis, quae principe loco collocata erant, sibi dono mitti quaedam postularent, serio injunxit. Hoc cum Bocskayus modeste deprecaretur et illa, dum vivit, ex certis rationibus se abalienare non posse, ediceret, aliis tamen vasis aureis se gratum animum testari velle polliceretur: Barbianus ira percitus, post paucos dies adsumtis secum jesuitis et mo-

nachis, ad Bocskayum redit, diploma suae majestatis depromit et ut abnegata religione evangelica pontificiam amplectatur, nomine suae majestatis praecipit. Renuit forti animo Bocskayus, fidelitatem omnem suae majestati promittit, sed animam et conscientiam soli deo se debere et constantissime servare velle, intrepidus adfirmat. Mancipium illud avaritiae, Barbianus, relictis minis rabioso similis discedit et concionatorem evangelicum Bocskayi in oppido Korotnó capite plectit. Videri potest in hanc rem incerti autoris an. 1604. conscripta disputatio, cui titulus: Theses de moderno statu Hungariae, ubi de immani hac bellua italica, Barbiano, multo plura legas et genuinas belli Bocskayani causas evidenter cognoscas. Cassovienses et reliquae liberae regiaeque civitates, quae malo huic involvebantur,*) internuncios suos Pragam usque ad Rudolphum imperatorem dimiserunt, qui tamen et Pragae ita adfligebantur, ut neque imperatorem accedere, neque domum redire permitterentur. Hinc Johannes Bocatius, cassoviensium legatus, alienum sanctioris reipublicae tempus et desperatam aulicorum imperatoris inhumanitatem accusaturus Cordificium conscripsit, in officina Ottmariana impressum, quem M. Stephanus Xylander l. cit. ita inducit querulantem:

Caesaris ad curiam sedeo, sto nocte dieque,
Nec datur ingressus, quo mea fata querar.
Teutones ite duces et nostro nomine saltem
Dicite praeclusi praesidis ante pedes:
Si nequeo placidas affari caesaris aures,
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat: abi.

Id ipsum praeter multos alios experiri necessum habuerunt causa ministrorum hungaris infensissimorum Sigismundus Báthory, princeps Transylvaniae, et Stephanus Bocskay aliique Hungariae magnates, ut adeo cum omni veritate de aula pragensi Rudolphi II. imperatoris dici potuerit:

Elatos oculos et verba minantia, frontis
Grande supercilium curia regis habet.

*) Doleschal- és Daxnernél itt ezek vannak közbeszúrva: non tantum in comitiis posoniensibus an. 1604. praesente Matthia archiduce celebratis, communi status evangelici nomine, rem suam magna animi contentione egerunt, uti Parschitius in Tabella regum Hungariae pag. 145. adnotavit, sed etiam postquam princeps Matthias negotium religionis in aliud tempus rejecisset, internuncios suos st., mint a szövegben.

Etsi igitur nihil confecerint: tamen meliori causae et domino confisi in spem erigebantur fore, ut exulceratis evangelicorum rebus medicina adferatur. Hinc Johannes Bocatius l. c. sub finem scribit:

Adversis bona succedent, melioraque votis,
Tandem erit hic melius, si non hic, restat Olympus.

Hunc jesuita quidam confutaturus, verba „erit melius," quibus Bocatius symboli loco utebatur, sequentibus elusit:

Cassoviae statum cernens Bocatius augur
Est bene non potuit dicere, dixit: erit.
Dixit et evenit, nam mox volat aquila biceps,
Et corvos nidis pepulit ipsa suis.

Sed Bocatius augur falsus non fuit. Nam posteaquam Barbianus, qui in ditionibus Stephani Bocskay tyrannidis initia fecerat et quibusdam ministris evangelicis guttur praecidi curaverat, ad arcem juris Bocskayani Odoriam, vulgo Adriam, a milite hungaro fugaretur, et celerrimo itinere Cassoviam properans admissus non fuisset, desperatis rebus discessit*). Hinc cassovienses, Barbiano hoc modo fluctuante, eodem anno mense Novembri templum recuperarunt, quod M. Stephanus Xylander, divexationum harum particeps, in matricula XXIV. regalium ad an. 1604. venturae posteritatis causa hoc modo adnotavit:

A papae est repurgata iterum Cassovia fece,
Mens rediit eadem, tum quoque religio.

Promoverant hanc rem egregie Johannes Bocatius silesius,**) urbis praetor, et Stephanus Herczegh, communi civium sententia ad Bocskayum missi, ut fatentur patres jesuitae in Initiis societatis cassoviensis pag. 89., 90.. Neque leutschovienses a divexationibus his liberi esse potuerunt. Nam Martinus Pethe, archiepiscopus colocensis, cum comite Christophoro Thurzó, tum adhuc romano-catholicis sacris addicto, 8. Oct. an. 1604. Leutschoviam ingressus, productis mandatis,

*) Doleschal- és Daxnernél itt, de nem kellő helyen, még a következők olvashatók: De hac Bastae fuga sequentes leguntur versiculi apud Csernovics pag. 47.:

Ne fuge, sta Basta, sta, ne fuge, sta bene, Basta,
Sed fugis et vasta tua copia sternitur hasta,
Copia non casta, miserorum sangvine pasta,
Te pariter Basta perdat male fausta catasta.

**) Ribaynál: Iusatius.

occupationem templi adtentabat et ministros evangelicos facessere*) jussit; sed male ibidem habitus, difficiliter admodum evasit. Nam servi morbo articulari **) laborantem currui injecerunt et in itinere a körmendiensibus praesidiariis omnibus rebus***) spoliatum maleque habitum deseruerunt. Procul dubio et servi ejus in societatem spoliorum venerant, alias dominum suum non tam facile deseruissent. Hoc cum intellexisset Xylander, illarum divexationum satur, l. cit. ita scriptum reliquit:

Ansere scepusio Pethe dum pingvescere vellet,
Ansere privatur nescius ipse suo.

Hanc ejus in adimendis ecclesiis audaciam aemulati sunt: frater ejus Ladislaus Pethe, supremus comes comitatus barsiensis et praefectus camerae, an. 1618. mortuus, Georgius Homonnay, reliqui, quos recitat autor Palatii regni Hungariae palatinorum part. II. pag. 73.. Aegre tandem Martinus Pethe Viennam delatus, moerore animi, ob reportatam ignominiam, ut Xylander memoriae prodidit, confectus, accedente morbo sibi familiari, an. 1605. exstingvitur et procurante fratre Ladislao Posonii in templo s. Martini non sine funebri pompa contumulatur. Videri potest de eo Istvánfyus lib. XXIV. pag. 827. et P. Franciscus Kazy in Continuatione Istvánfyi lib. I. pag. 59.. Huic infelici fato, instigante pontifice, involvi debebant reliquae liberae regiaeque civitates in superiori Hungaria, nisi provida dei cura fuissent conservatae. Sub autumnum enim anni 1604. cum mandatis caesareis adveniunt episcopi Szuhay, an. 1605. 29. Nov. in congregatione regnicolarum Carponae celebrata, proditor patriae adpellatus, de quo plura statim dicentur, et Pethe, adjuvante generali Barbiano reliquas, quae supererant, ecclesias ademturi: sed quamprimum militem caesareanum a haidonibus Bocskayanis fusum esse intellexerunt, diffugiunt et emendicato apud Sigismundum III. regem Poloniae mandato, ecclesias XIII. oppidorum in Scepusio occupare tentant. Hoc dum palam fit, Martinus Pilcius, XIII. oppidorum comes, Tobias Weisgerber, judex várallyiensis, adscito sibi Jona Dirnero, viro optimo, ad principem Lubomirskyum, arcis lubloviensis et XIII. oppidorum capitaneum, profecti et consilium et auxilium expetunt, qui etsi romano-catholicae religioni addictus fuerit, svasit tamen, ut novis his reformatoribus armis resistant et templa sibi occupari non patiantur. Hoc dum fit, Lubomirsky, ne eidem postu-

*) Ribaynál: secedere.
**) Doleschal-és Daxnernél: podagrico.
***) Ugyanazoknál: vasis argenteis.

lationibus suis molesti sint episcopi, in Poloniam discedit et vicecapitaneo Johanni Lodsinsky in mandatis dat, ne ulla ratione in hos importunos episcoporum conatus consentiat. Hinc cum medio Septembre várallyiense et 2. Oct. olasziense templa occupare niterentur, cives forti animo restiterunt et collocato circa templa praesidio malevolas hostium destinationes cum magna eorum ignominia eluserunt. Hinc increbuerunt, quod scio, memoriales versiculi, a quodam erudito et rerum, quae illis temporibus gestae sunt, non ignaro hungaro sub similitudine quadam elaborati, quibus deum ecclesiam suam potenter defendere et hostes admiranda ratione prosternere solere luculentissime demonstrat in hunc modum:

1.) Semper deus ecclesiam
Protegit benigne suam
Et hostium vires frangit,
Experientia pingit.

2.) Considerate f o r n a c e m
Contra Christum pertinacem,
Qui primus succendit ignem.
Accepit cladem insignem.

3.) Hunc sequuta t u r r i s v a s t a,
Videbatur fortis Basta,
At haec manu non humana
Deleta est, sed divina.

4.) Aufugit et B a a l i J o s a,
Haec bestia odiosa,
Adduxerat esauitas,
Strictas quaesivit semitas

5.) Deletus est et t o r r i d u s,
Volebat esse horridus,
Vilis ex stercore crevit,
Hunc patria et Christus sprevit.

6.) Restat adhuc f a x d e l e n d a,
Manu dei exstinguenda,
Quae semper fomitem quaerit,
Sed ipsius flamma perit.

7.) Exsurgant jam s a x a, fretum,
Incutiant nobis metum,
Cadent sicut fornax, Basta,
Belgiosa arida hasta.

8.) Nam ut mus elisit dentes
Proprios limam rodentes,
Sic isti se ipsos frangunt,
Dum pupillam dei tangunt.

9.) Horum prava consilia
Ecclesiae utilia
Fuerant et ipsis erunt
Damnosa, nam mala quaerunt.

Per f o r n a c e m, ut sciant posteri, designat ducem exercitus caesarei P e c z dictum, quae vocula apud slavos fornacem significat; per t u r r i m v a s t a m trucem illum et a hungaris profligatum gene-

ralem Bastam; per Baali Josam immanem illum superioris Hungariae supremum capitaneum Barbianum comitem de Belgiojosa; per torridum designat Stephanum Szuhay, episcopum agriensem electum, nitriensem neglectum, camerae Hungariae praefectum rejectum, Viennae an. 1608. idibus Januarii exstinctum, qui sive ipse, sive per alium scriptum reliquit:

Szucha fuit Stephano pagus mihi patria slavo
Nam nihil, quam patriae sicca corona fui.

Plura legi possunt in Naenia animae reverendissimi domini Stephani Szuhay; conf., si placet, Aten hungaricam homericae secundam hostium Plutonis temporarió, meritorio, purgatorio igne expiandam. Per facem exstingvendam intelligit patres jesuitas, per saxa et fretum, quantum divinando adsequor, saxosas Austriae provincias et Ferdinandum II. evangelicis vel maxime gravem. Hoc ecclesiis evangelicis in superiori Hungaria peropportune accidit, quod tyrannus ille, non miles Barbianus, a haidonibus Bocskayanis cum exercitu caesus, clam Varadinum profugit et hinc diurnis nocturnisque itineribus Cassoviam contendit, sed a civibus civitate exclusus Eperjesinum confugit et de castris colligendis magno opere sollicitus laterem lavit, atque adeo non sine fremitu, dum pessimis destinationibus ejus non responderet eventus, inglorius discessit. Haidones enim, quos se infelix Barbianus adversus turcam ducturum promiserat, postquam ex Bocatio, internuncio cassoviensi, intelligerent, se non adversus turcam, sed patriam et religionem christianam bellaturos, mendacem Barbianum deseruerunt et Bocskayo castra moventi pleno numero accesserunt, qui uti alios non paucos, ita comitem Christophorum Thurzó, tum adhuc religioni romano-catholicae addictum, inprimis exercuerunt. Nam castrum scepusiense, quod tum ipse possidebat, arctissima obsidione cinxerunt, et quidem eo nomine, quod episcopos pontificios in divexandis ecclesiis evangelicis juverit et infelicem Barbianum profugum cum comite a Dampier et Michaelis vajvodae filio intra castrum receperit tutelamque promiserit. Hac occasione et comes Thurzó et capitulum s. Martini, ex opposito castri in colliculo positum, insignem et fere irreparabilem jacturam experiri necessum habuerunt. Volones, qui Bastam, exercitus caesarei ducem, sequebantur, an. 1605., quocunque veniebant, belluarum ad instar grassabantur et neque sepulcris mortuorum parcebant, quae barbara feritas ita multorum magnatum nobiliumque animos torsit, ut quidam

poeta hungaricus impotentem animum suum continere non potuerit, quin palam scriberet:

Hungara germano tradentur sceptra tyranno?
Sceptriger et Rheno subditus Ister erit?
Ignibus unda prius, jungentur sidera terris,
Jupiter has gentes quam sociare queat.

Neque hungari his erant meliores. Nam profligato Basta ex Moravia circa ferias natales in Hungariam reduces, apud scepusienses ita saeviebant, ut nulli ministrorum per continuas tres hebdomadas templum ingredi integrum fuerit, quemadmodum Stephanus Xylander in matricula XXIV. regalium memoriae prodidit, ut alia signa crudelitatis taceamus. Hinc non sine ratione scribit Sleidanus de statu religionis lib. XVIII. ad an. 1546. pag. m. 326.: „Equites pannonii vulgo dicuntur huszári, genus hominum valde rapax et immite.“

§. 6.

Questi quidem fuerunt in publicis regni comitiis an. 1604. protestantes; sed tantum abest, ut querulando quidpiam profecerint, ut potius statutum fuerit *), ne in posterum in publicis regni comitiis causa religionis aliquid movere licitum sit.

Constitutio haec, quod existimare pronum est, consiliis cleri, finitis jam comitiis **) adjecta fuit. Hinc in pacificatione viennensi an. 1606. art. I. expresse additur ***), quod articulus postremus anni 1604. extra diaetam, ita enim hungari comitia adpellant, et sine regnicolarum adsensu adjectus fuerit et propterea etiam sublatus est. Conf. Palatium regni Hungariae palatinorum pag. 73. nota *a.)*. Magnum sub hac constitutione latebat periculum, in caput protestantium devolvendum. Nulla enim amplius supersunt remedia, si, quod doleat, edicere non possis, et desperata fere sunt omnia, si omnis querulandi occasio praecidatur. Conf. porro, quae Jobus Kresztyanszky aus Freyberg in libello, cujus titulus est: Ausführliche Antwort auf die verlarvte Wahrheit, contra Georgium Bársony pag 92. sub finem adnotavit in haec verba: „In exemplari meo constitutionum regni adscripta reperio sequentia: ‚Iste articulus extra diaetam est per clericos adjectus sine consensu regnicolarum: ideo ne obellum valens cassatur per viennensem pacificationem an. 1606. d. 23. Julii.‘ “

*) Doleschal- és Daxnernél: statuerit Rudolphus.
**) Ugyanazoknál: a Rudolpho II. imperatore.
***) Ugyanazoknál: dicitur.

In condendo hoc extra comitia articulo ut quamplurimum elaboravit Martinus Pethe, archiepiscopus colocensis, et Franciscus Forgács, tum episcopus nitriensis et cancellarius, uti diffiteri non potuit autor Palatii regni Hungariae palatinorum part. II. pag. 72..

2. De aperta divexatione post confirmatam religionem evangelicam.

Haec primum per partes instituebatur, usque dum Leopoldi M. temporibus universam corripuisset Hungariam. Hinc aperta haec evangelicos divexandi ratio commodissime duobus capitibus definietur.

CAPUT I.

DE

DIVEXATIONE PARTICULARI.

§. 1.

Post confirmatam publica regni lege religionem evangelicam, Ferdinandus II. an. 1618. in regem Hungariae coronatus lutheranos in Hungaria adfligere coepit, postquam ex Austria, Styria, Carniolia *), Moravia et Bohemia aliisque ditionibus eorum fidei consortes exturbasset, quamvis id ipsum in Hungaria eadem facilitate perficere non potuerit. Confirmat id, nec sine exstanti ratione, Carolus Caraffa, episcopus aversanus, in Commentariis suis de Germania sacra restaurata, qui postquam de reformatione in Styria et Carinthia peracta commentatus est, de Hungaria haec subjicit: „Reformatio religionis hisce annis eum in Hungaria felicitatis cursum, quem in aliis provinciis, tenere non potuit. Nam concessio libertatis religionis, promissionibus et diplomatibus regiis roborata, perfringi non poterat. Neque enim Hungaria armis reducta est, sed incolarum consensu dictam religionis libertatem praeferentium **) ad obsequium accessit.“

Hanc candidam magni Caraffae confessionem, cum omni veritate conjunctam, uti omnes, qui meliorum sunt partium, non sine ratione aestimant; ita nos inprimis evangelici adflictam vicinarum provinciarum sortem, ex animo dolemus. Quam enim egregie res evangelica in

*) Daxnernél még: Carinthia.

**) Ugyanannál: praeseferentium.

nominatis provinciis floruerit, vel hinc arbitreris, quód hungari studiis dediti tanquam ad emporia meliorum litterarum eo commigrare fuerint soliti. Nam pragenses in Bohemia, graecenses in Styria, iglavienses, lipnikenses et hunnobrodenses in Moravia florentissima gymnasia evangelica sustentabant. Omnia haec opera Ferdinandi archiducis et demum regis Hungariae exstincta sunt. Quomodo ejus tempore in protestantes bohemos saevitum sit, vel hinc condiscas, quod an. 1621. unico die XXVII. gloriosi martyres in ferale theatrum producti fuerint, inter quos erat Johannes Jessenius, celebris ille medicinae doctor, gente non bohemus, ut celebris condam D. Wernsdorff, praeceptor meus et in cineribus venerandus, in Dissertatione de primordiis emendatae per Lutherum religionis pag. 26. existimavit, sed hungarus thurocziensis, de quo uberius in Syllabo meo litteratorum thurocziensium egi*) conf. Historia persecutionis bohemicae cap. LXXIV. pag. 261. sq.. Nec melior sperari poterat religionis evangelicae in Hungaria conditio**). Quamprimum enim Ferdinandus II. sacra regni corona redimitus fuisset, ad exstirpandos in omnibus hereditariis provinciis suis protestantes coram Maria lauretana se obligabat; vid. Palatinus aquil. austr. lib. XLIX. cap. II. pag. 152.. Nulli, ut opinor, ignotum est dicterium ejus, quo persaepe uti solebat: „malo cum nudo baculo ire in exilium, quam tolerare haereticum.“ Talia suggerebat ei P. jesuita Lamormainus, magnus evangelicorum hostis, qui uti Ferdinando a confessionibus fuit, ita majoris apud eum erat auctoritatis, quam omnes reliqui, qui ad consilia caesaris adhibebantur; conf. autor Comment. de oppressis evangelicis §. VI.. Hinc in partem felicitatis transscribit Ferdinando II. Abrahamus a S. Clara, Leopoldi M. concionator, quod fervore suo apostolico ultra decem milliones animarum coetui romano-catholico adseruerit; vid. ejus libellus Etwas für Alle dictus pag. 12.. Prodiit Würtzburgi in 8. an. 1699.. Oportuit Ferdinandum II. imperatorem legisse Casparis Sciopii, consiliarii austriaci et hispanici Classicum belli sacri an. 1619. cum consensu superiorum editum, in quo severe hortatur imperatorem, ut fungatur officio et omnes a catholica religione alienos electores, principes, comites, nobiles etc. exterminet et suspendat, abusus dicto Num. XXV. 4.: „Tolle principes populi et suspende illos contra solem in patibulis.“ Potissimum autem cap. XX.

*) Közölve van: Magyar tud. értekező. 1862. 1. köt. 350 l.

**) Doleschal- és Daxnernél: successus.

demonstrat, omnes protestantes tanquam haereticos occidendos, ex imperio relegandos, exterminandos et bona eorum catholicis esse tribuenda. Postremo ita concludit: „Quare cum eos deus in manus tuas tradiderit, percuties eos usque ad internecionem, non inibis cum iis foedus, nec misereberis eorum," uti Nicolaus Gämbarzowszky, cracovia-polonus, et Teschinii ordinarius praedicator, in sermone suo revocatorio Vitembergae an. 1679. publice instituto totidem verbis in mantissa, uti adpellat, confitetur. Huic similis fuit larvatus ille Baranovszky in suo Gewissens-Zwang, cujus tamen cruda argumenta D. Samuel Pomarius, rerum, quae in Hungaria gestae sunt, optime conscius, ita disjecit et penitus protrivit, ut ei praeter infamem pudorem nihil superfuerit amplius.

§. 2.

Usus est in adfligendis evangelicis ut quamplurimum opera Petri Pázmáni cardinalis et Nicolai Eszterházy, regni Hungariae proregis, uti sponte sua confitetur P. Martinus Szentiványi in Dissertatione paralipomenica rerum memorabilium Hungariae pag. 169. sq..

Quantus Pázmánus osor evangelicorum fuerit, vel ex ejus Peniculo adversus apologiam solnensis synodi sub nomine Johannis Jemicii, parochi senquicensis Posonii 1610. in IV. edito cognosci potest, quem foetum ejus esse recognoscit P. Franciscus Kazy, S. J., in Historia regni Hungariae editionis tyrnaviensis an. 1737. pag. 96. et confitetur, eum scribendi genere usum satyram redolente et obsoletis vocabulis obscurato. Hinc Pázmánus laudem, quam eleganti sermone hungarico *) meruerat, incondita latine loquendi ratione obliteravit. Dignus profecto est Jemicius, qui et post fata propter barbaram et incultam latinitatem et mille vituperia in nostros conjecta, barbara, ut ipse loquitur, succerda adpelletur. Inauguratus erat solenni ritu in superintendentem an. 1610. Isacus Abrahamides. In hac laeta solennitate perorabat latine M. Elias Ursini, scholae banovicensis rector, vir ad omnem posteritatem insignis. Sciebat ille Pázmánum adpellavisse Lutherum discipulum diaboli, quod ille pro solida eruditione sua refutavit precatione Lutheri, Vormatiae ad deum religiosissime fusa, et commonstravit ad invidiam hostium, tam piam et ardentem precationem discipulum diaboli eructare non potuisse, uti cum ratione notat in Mal-

*) Dolesohal- és Daxnernél: pereleganti dictione hungarica

leo peniculi papistici Petrus Petschius minister freywaldensis pag. 62.. Hoc ita torsit purpuratum patrem, ut se ab indignatione abstinere non potuerit. Fera haec divexandi evangelicos ratio hoc meruit, ut Pázmánum arctiore vinculo societati Jesu adstrictum Paulus V. pontifex romanus exolutum, cardinalis et metropolitae strigoniensis officio dignum esse pronunciaverit. Uti enim Pázmánus Cleselio pileum cardinalitium *): ita Cleselius Pázmáno archiepiscopatum strigoniensem impetravit. Huic operam suam sociavit Nicolaus Eszterházy, dignitate proregis apud hungaros clarus. Hic etsi parentibus evangelicis, patre Francisco Eszterházy, vicecomite inc. comitatus posoniensis, et matre Sophia Illésházy an. 1583. natus fuerit: tamen an. 1618. sacra evangelica cum romano-catholicis, insciis et invitis parentibus, permutavit, eo nomine domo paterna pulsus et ab omni haereditate deturbatus. Adhaesit tandem Francisco Magócsy, generali cassoviensi, et eodem fatis functo, conjugis ejus, viduae Ursulae Dersfy, maritus factus est, omnibus latifundiis, quae Magócsyus possederat, in eum devolutis. His et aliis honorum accessionibus auctus, ita creverat, ut a Ferdinando II. imperatore an. 1625. prorex Hungariae fuerit constitutus; vid. Casp. Jongelini, abbatis ensserthalensis, Catalogus palatinorum Hungariae Centuriis Petri de Réva adjunctus pag. 161. sq.. Saeviebat Eszterházy in evangelicos non parum. Nam fatis functa priore conjuge, Ursula Dersfy, comitis Emerici Thurzó relictam, Christinam Nyáry, in uxorem sibi adscivit et bicsensis dominii possessor factus, praeter complures alios M. Johannem Hodikium superintendentem evangelicum Bicsa exturbavit eo inprimis nomine, quod Matthiam Hajnal, socium Jesu, in colloquio, quod de invocatione sanctorum et ecclesia romano-catholica in arce bicsensi 27. Dec. an. 1627. institutum fuit, ad silentium redegerit. Est apud me delineatio colloquii illius, ipsius Hodikii manu adscripta, digna profecto, quae typis exscribatur ad posteritatem. Occasionem ad colloquendum seu disputandum praebuit ipse illust. comes Nicolaus Eszterházy, quantum divinando adsecutus sum, patres jesuitas, quos in aula sua aluit, Matthiam Hajnal et Johannem Beszterczey cum ven. Johanne Hodikio pastore tum bicsensi et superintendente commissurus. Primus enim ipse comes quaesivit ex Hodikio ad mensam, num in vita sua biberit vinum consecratum? respondit se bibisse, cum deus omnibus rebus a se creatis, inter quas et vitis fuit, benedixerit et ex sententia Pauli omnis creatura dei bona sit et sancta, quae sanctifi-

*) Doleschal- és Daxnernél: Roma adtulit.

catur per verbum et orationem. Haec Hajnal recte dici adseruit, sed adjecit simul, feriis Johannis evangelistae et aliis certis temporibus ex more antiquo consecrari vinum, ignem, ova, pernas etc.: sed cum Hodikius regessisset, id non tam auditorum, quam sacerdotum utilitati deservire, cum quae maxime placent, in usus suos pertrahere consveverint, nihil dictum fuit amplius. Sed comes ipse complures excitavit ad disputandum controversias, quales erant: de invocatione sanctorum, de ecclesia romana, de scriptis patrum, de privilegio romanae ecclesiae, de sancto Petro ejusque successoribus, de interpretatione scripturarum, de antichristo et quae fuerunt aliae. Ad objectiones comitis, qui hac in re plurimum egit, et Hajnalii, quod optima fide confiteor, non minus audacter, quam solide respondit Hodikius, ut nulli exceptioni fuerit locus. Hoc uti illust. prorex patienter tulit: ita unico eum offensum fuisse ex delineatione illa adverto. Cum enim de invocatione sanctorum disputaretur, pater Hajnal in verba erupit: „Sanctus Demianus probat invocationem sanctorum"; cui respondit Hodikius: „Quid mihi cum vestro Demiano, quem ego non novi quis? et unde sit? Profer mihi Petrum vel Paulum vel alias scripturas sacras." His auditis comes subiratus dixit: „Tales sunt isti superbi lutherani, qui omnes patres rejiciunt et suas phantasias omnibus antiquissimis scriptoribus praeponunt"; ad quod tamen modestissime, sed solidissime respondit Hodikius. Postremo cum a prandio illust. comes in conclave suum recederet et Hodikius, postquam gratum animum pro praestita benevolentia testatus fuisset, poculum vini ab illust. comite sibi propinatum eo cum voto, ut una sit ecclesia et unus pastor, accepit, ebibit, discessit. Haec dum non satis tempestive hinc inde spargerentur, ita exacerbatus fuit illust. Hungariae prorex, ut non prius quiesceret, quam innocentem Hodikium ab ecclesia bicsensi, ad quam ab illustri illo heroe Emerico Thurzó inductus fuit, deturbaret. Hoc ei juxta et aliis autor Palatii regni Hungariae palatinorum in laudem transscribit, cum part. II. pag. 115., 116. pronunciare non vereatur: „Orthodoxa religio difficillimis illis temporibus ad incitas redacta, quod funditus eversa non sit, viri maximi: Franciscus Forgácsius, Petrus Pázmánus, archiepiscopi strigonienses, atque prorex Nicolaus concordibus studiis effecere. Illi voce, calamo rem pene perditam, hic ferro, consiliis, piis sermonibus*) heterodoxos romanae ecclesiae restituit. Hinc plures hospites, quos Lutheri dogmatibus irretitos accepit, catholicos ab se dimisit. Mirum quod M. Johannem Hodikium,

*) Daxnernél: fraudibus.

cum quo de variis doctrinae capitibus in arce bicsensi disputabat, ad sacra romano-catholica non traduxerit.“ Si qui tales religionis evangelicae desertores inventi sunt, illi non agnitae veritatis causa, sed prensandi favoris apud proregem gratia, religionem commutarunt. Quod enim veritas non potuit, id proregis favor, blanditiae et largitiones effecerunt.

§. 3.

Neque unus erat Pázmánus, neque solus, qui calamitatem hanc evangelicis in Hungaria procuravit: sed universus propemodum clerus in eo diligentissime elaboravit, ne in adfligendis evangelicis officio suo defuisse videatur.

Haec multo evidentissime cognosci possunt ex Querela Hungariae, quae sine notatione loci et nominis *) an. 1620. impressa prodierat, in qua multis documentis quidquid fuit calamitatum clero hungarico adscribitur. Hanc Querelam patres jesuitae scripto Augustae Vindelicorum impresso **) refutare conati sunt: sed infelici admodum eventu, quandoquidem sequuta fuit Querelae inc. regni Hungariae adversus corruptelas jesuiticas Augustae Vindelicorum recusas defensio, an. 1620. impressa, in qua planissime demonstratur, omnes eorum exceptiones futiles ***) esse et a veritate alienas. Adjecta fuit Refutatio calumniarum, quas osores evangelicorum famosis per Germaniam libellis in principem Gabrielem Bethlenium conjecerant. Additur in eadem Querela Hungariae profanum cleri romani dictum: „satius est, ut ferae et quaevis bestiae desolatam Hungariam inhabitent, quam ut liberum religionis exercitium habeat;“ vid. Animadversiones in narrationem captivitatis M. Georg. Lanyi, quarum Johannes Sextius autor est, pag. 70.. Dubito, num daemon magis calumniose loqui potuisset. Huic merito adjungi potest Johannes Draskovics, sub Ferdinando III. Hungariae prorex, qui an. 1647. publice in comitiis edixit, se potius cum illyricis regnis ab unione coronae Hungariae secessurum, quam illam animarum pestem ac

*) Balásfy Tamás, boszniai püspök és pozsonyi prépost, a r. kath. papság mellett irt Apologiá-ban azt gyanitja, hogy a Querela szerzője Alvinczy Péter, kassai helv. vall. pap, volt.

**) A munka czime: Falsae originis motuum hungaricorum succincta refutatio.

***) Doleschal- és Daxnernél: fictiles.

certissimam reipublicae labem sub banatu suo Croatiae inductam toleraturum. Pejor isto fuit Thomas Erdödy, qui an. 1609. in comitiis publicis, uti perperam loquutus est, novis hospitibus, cum doctrina eorum sit apostolis coaeva, praeter ferrum tres fluvios minaretur et designaret, Savum, Dravum et Colapim, ut autor Palatii regni Hungariae palatinorum pag. 123. adnotat, ipse forsan sangvinis evangelici cupidissimus, non Dravo, neque Savo, sed justo dei judicio aquis stygiis destinatus. Hinc, ut arbitrari licet, factum est, quod in comitiis an. 1687. art. 23. constitutum fuerit, solos romano-catholicos in regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae bonorum capaces fieri posse. Hoc cum ex solo religionis odio factum fuerit, Veracius Constantius, miles hungarus, in Animadversionibus suis apologiacis ad punctum XII. id iniquissime sancitum fuisse arbitratur, cum cives patriae in patria juribus suis frui non permittantur.

§. 4.

Haec adflictio evangelicorum a ven. clero romano-catholico procurata ruinam adtulit Hungariae, nullis facile lacrymis deplorandam.

A clero hungarico divexationes has promanavisse, ex adducta Querela Hungariae cognosci potest; iis autem omnem calamitatem deberi, ipse eventus evidentissime demonstravit. Postquam enim Gabriel Bethlen, princeps Transylvaniae, consortes fidei suae premi intellexisset, inductis in Hungariam XVIII. militum millibus, uti intempestivi belli temporibus fieri solet, summis ima miscuit. Dolebant hoc, si dolere satis est, optimi Hungariae proceres et omnem malorum causam Pázmáno ejusque complicibus transscribebant. Hinc factum fuit, quod in comitiis an. 1620. Neosolii celebratis communi sententia Pázmánus omni Hungaria fuerit proscriptus et articulus XXVII. in hunc modum consignatus: „Petro vero Pázmán, Thomae Balásfy, Georgio Homonnay, Stephano Zendi, Stephano Szerencsény et Andreae Hethey sua serenitas veniam non concedat.“ Nisi cardinalis Pázmán cum ven. clero mala haec procuravisset, ordines regni in ejus proscriptionem consentire neque potuissent, neque voluissent.

§. 5.

Neque temporibus Ferdinandi III. melior fuit evangelicorum conditio. Nam etsi an. 1625., dum in regem coronaretur, et in posterum saepe saepius libertates evangelicorum publicis diplomatibus

confirmavit: tamen ad annum usque 1647. grassanti clero et quibusdam proceribus evangelicos adfligentibus non restitit, sed miserum gregem Christi majorem in modum divexari sivit. Hinc jesuitae claudiopolitani in Continuatione Comment. comitis Petri de Réva de sacra regni Hungariae corona Claudiopoli an. 1735. edita pag. 105. confitentur: „Ferdinandum III. Mariana luce factum regem Marianum omnes vires, quoad vixit, intendisse, ut regnum universum efficeret catholicum, atque adeo sincere Marianum."

De libertatibus evangelicorum a Ferdinando III. rege confirmatis videri potest saepius citatus Extractus articulorum pag. 32. sq., in specie anni 1625. art. 16. et 22., anni 1630. art 33., anni 1635. art. 29, et anni 1638. articuli ibidem adjecti. Quam autem misere fuerint divexati evangelici, percensuit princeps Transylvaniae Georgius Rákóczy, in litteris ad Ferdinandum III. datis, quae legi possunt in Responso Rákóczyano manifesto Ferdinandi III. opposito, quod impressum est Cassoviae 29. Mart. an. 1644.. Confitetur enim ibi, quod regis Ferdinandi tacita quadam indulgentia clero et magnatibus romano-catholicis ansa fuerit praebita ad religionem evangelicam in bonis ipsorum persequendam, domos parochiales et templa intercipienda miserumque populum gravissimarum poenarum minis intentatis ad abjurandam confessionem propriam et amplectendam romano-catholicam, reluctante etiam conscientia, adigendum, templa diruenda, ad funera ultro duo vel tria milliaria deducenda, imo ossa quoque evangelicorum ex templis ejicienda. Addit praeterea in memorata epistola: conscientiis evangelicorum flamma et ferro imperitatum fuisse. Profecto clerus et proceres romano-catholici in tantum indulgentia Ferdinandi III. regis abusi fuerunt, ut privilegium ejus in negotio templi exstruendi posoniensibus evangelicis an. 1637. datum suo arbitrio resciderint. Vid. Nadányi in Floro hungarico pag. 376. et Parschitius in Tabulis pag. 175..

§. 6.

Adflictionibus his placidioribus mediis occurrere tentabant saepe numero non tantum proceres Hungariae evangelici, sed ipse quoque Transylvaniae princeps Rákóczyus; sed omnes eorum conatus hostes evangelii interverterunt. Hinc bello, quod an. 1644 exarserat, libertas religionis non minus, quam conscientiarum adserta fuit *).

*) Doleschal- és Daxnernél: adserenda erat.

Quam modeste et ex animo supplicarint Ferdinando III., regi evangelici, tot tantaeque eorum querelae, quas gravamina adpellarunt, in Historia diplomatica consignatae certissime commonstrant. Ipse princeps Rákóczyus, uti in epistola ad regem data confitetur, postquam intellexisset, eam cum clero Ferdinandi esse intentionem, puram confessionem evangelicam, patriae et genti ejus carissimae implantatam, penitus eradicare articulosque super libero religionis exercitio editos et conclusos, nec non et XVII. conditiones abrogare, non tantum per litteras et internuncios suos, sed etiam per Johannem Kéry, qui nomine legati a Ferdinando III. rege Hungariae ad principem Rákóczyum missus erat, humanissime institit, ut habita positivarum legum regni ratione, libertates evangelicorum pessumdare *) non patiatur. Vid. litterae Rákóczyi ad status Hungariae datae. Sed cum neque princeps neque evangelici proficerent quidpiam, congregati Cassoviae hungari Rákóczyum evocant et bello, de quo in posterum erit commodior dicendi locus, jura libertatesque suas adserunt.

§. 7.

Putavisset quispiam consignatis in publicis an. 1647. comitiis in favorem evangelicorum articulis, nullam amplius extimescendam esse divexationem: vix tamen Leopoldus M. imperare coeperat, novus turbo, et ille quidem omnium maximus, corripuerat evangelicos.

Articuli anni 1647. Posonii in comitiis consignati citantur in Historia diplomatica p. 44. sq.. Hi communiter palladium religionis evangelicae adpellantur. Sed uti simulacrum illud Palladis in arce trojana perpetuum non fuit: ita breve erat gaudium evangelicorum, multis iisque intensissimis divexationibus interpolatum. Nam Ferdinandus III. confecta cum principe Transylvaniae Georgio Rákóczy pace, etsi diplomate in arce lincensi superioris Austriae an. 1645. edito religioni evangelicae puncto I., II., III. et IV. egregie providerit idemque diploma in publicis comitiis constitutionibus regni insertum status et ordines „contradictionibus cleri et aliorum quorumvis secularium catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus“ acceptarint, adprobarint et confirmarint et quod magis, ipse quoque imperator Ferdinandus III. eidem in haec verba ex ipso diplomate desumpta subscripserit: „Nos praescriptas universas et singulas concessiones et articulos ac omnia et singula in iis contenta, prout iidem tractati atque

*) Doleschal- és Daxnernél: convellere.

conclusi sunt atque hisce litteris nostris de verbo ad verbum inserti, acceptamus, adprobamus et ratificamus, adsecurantes praefatos principem Transylvaniae eique adhaerentes ac etiam singulos status et ordines inclyti regni Hungariae in verbo nostro regio et bona fide christiana, quod eos omnes et singulos articulos, in omnibus eorum punctis et clausulis tam Nos ipsi sancte et inviolabiliter observabimus, quam etiam per alios omnes subditos nostros, quorum interest vel intererit, cujuscunque status et conditionis sint, observari faciemus. Ad quod observandum etiam successores nostros, legitimos scilicet Hungariae reges, obligatos esse volumus, harum nostrarum manus subscriptione roboratarum vigore et testimonio litterarum mediante," quae omnia ad verbum ex diplomate regio adscripta sunt: evenit tamen, ut fidei, quam principi Transylvaniae et statibus evangelicis in verbo regio et fide christiana dederat, oblitus, otio deditus et persvasionibus cleri circumventus, nihil eorum, quae sanctissime promiserat, faceret, neque per alios fieri adurgeret, quamvis verbum regium verbum sanctum et inviolabile esse oporteret. Hinc autor Commentationis de oppressis evangelicis §. VIII. sub finem audacter scribit: „Ferdinandum III. usque ad supremum, quem an. 1657. obiit, diem, se gessisse tanquam iniquum imperatorem erga status imperii, et iniquum dominum territorialem in proprios suos subjectos." Adhaec postquam autoritate regia et consensu omnium procerum protestantibus 90. templa restitui juberentur, archiepiscopus strigoniensis Georgius Lippay, regiae consensionis et suae melioris conscientiae oblitus, anno statim insequente, scripto et voce in comitiis Posonii effecit, ut nemo catholicorum cessionem illam regiam probaret et cum efficere non posset, ut rex pactionem de restituendis 90. templis rescinderet, id saltem evicit, ut clerus catholicique omnes per legem intercederent; cf. Archiepiscopos strigonienses compendio datos pag. 130. sq., cum tamen illius meminisse debuissent, quod eorum per legem intercessio sive, ut vulgo dicimus, protestatio nihili habita et iisdem comitiis prorsus sublata sit. Hinc protestantes tempore Commissionis pestiensis non sine ratione questi sunt, quod etsi ex mente articuli 6. anni 1647. evangelicis 90. templa restitui debuissent: tamen plus quam mille templa, quae evangelici optimo jure possidebant, contra tenorem articuli a romano-catholicis variis modis ab eo tempore adempta possideantur; sed praeter molestam querulationem nihil superfuit amplius solatii.

§. 8.

Nam etsi Leopoldus an. 1655. 25. Jun. in arce posoniensi libertates evangelicorum peculiari diplomate regio confirmaverit: tamen vix duo abierunt anni, dum comes Franciscus de Nádasd *), Sophia Báthory, Francisca Kayn et reliqui romano-catholici proceres, rege sive sciente, sive connivente, in evangelicos furere inciperent.

De regio Leopoldi diplomate legi potest Corpus juris hungarici et Historia diplomatica pag. 54. sq.; de acerbitate vero procerum romano-catholicorum vel hinc arbitreris, quod comes Franciscus de Nádasd, postquam sacra nostra deseruisset, ultra 40. templa evangelicis in partibus cis- et transdanubianis eripuerit et verbi divini ministros sedibus eorum ejecerit. Vid. Parschitius in Tabulis pag. 182.. Hic cum comite Francisco de Nádasd, qui synodum illam csepregiensem an. 1590. coegerat, confundi non debet. Iste enim Thomae, proregis Hungariae, quem Czwittingerus in Specimine suo historiae litterariae pag. 277. sq. describit, filius erat, meritis in rem evangelicam insignis; ille Pauli de Nádasd, optimi patris, infelix progenies, neque deo, neque caesari fidelis, iniquiore fato functus. Praedixerat enim Michael Zvonarics, Pauli de Nádasd et pientissimae conjugis ejus, Judithae de Réva, aulicus concionator, moriturus, eum, abnegata religione lutherana, evangelium Christi et fideles ejus confessores iniquissime divexaturum, quod ita evenisse tristis admodum confirmavit eventus. Conf. Stephani Pilarik Von dem wunderlichen Führe Gottes in der Nádasdischen Persecution cap. VII. pag. 39. et Animadversiones Johannis Sextii in narrationem captivitatis M. Georgii Lányi pag. 43., ubi et templa quaedam adempta enumerantur. Frustra ergo Nádasdyum autor Fragmentorum cassoviensium pag. 453. tanquam fervidum catholicum laudat, cum divina ultione male exstinctus sit, uti idem Zvonarics praedixerat. Hinc cum ex sententia Leopoldi imperatoris et judicum mori deberet et carnificem districto cum gladio venientem conspiceret, magno cum dolore exclamavit: „O Zvonarics! Zvonarics!“ Germani, qui eum circumstabant, mirabantur non parum, existimantes eum aliquem sanctum inclamare, nec prius mirari desierunt, quam ipse fateretur, lutheranum superintendentem Zvonarics adpellatum hanc ei infe-

*) Doleschal-és Daxnernél: judex curiae regiae.

licem mortem praedixisse. — De Sophia Báthory in superioribus dictum est *), — Francisca Kayn, Pauli Pálfy, regni Hungariae proregis vidua non tantum duo prividiensium templa **) an. 1660. occupavit, Martinum Tarnóczyum Prividia exulare coegit: sed etiam ejectis an. 1664. ex ditione bajmóczensi ministris evangelicis, curionem gajariensium praepositum bajmóczensem nominavit, uti confitetur autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1664. pag. 347.; conf. Historia diplomatica in Appendice pag. 118.. Hinc mirantur omnes autorem Fragmentorum cassoviensium ad an. 1671. pag. 188. de lutheranis et calvinianis scribere ausum fuisse in haec verba: „Adcurata indagatione connumeratas sacras aedes romanorum hoc tempore 5000. tenuere, praeter extortas Rákóczyano, Bethleniano et Bocskayano bellis, atque in alieno solo invitis heris abs se structas.“ Detestetur benevolus lector tam liberale mendacium, cum difficiliter eo tempore in universo Hungariae regno apud protestantes mille templa numerari potuissent, cum Ferdinando III. et Leopoldo M. imperantibus sine cessatione violenter eriperentur.

§. 9.

Neque cohiberi poterat ulla ratione intempestivus ille ven. cleri et procerum romano-catholicorum furor; sed quod experiendo didicerunt in posterum evangelici, praeludium erat universalis illius divexationis, quae integro decennio, ultra quam quis existimare queat, severe in capita protestantium desaeviit.

Institutus erat eo nomine non tantum Eperjesini an. 1668., sed etiam sequenti statim Neosolii regnicolarum conventus; sed cum nihil ex aequo definiri potuisset, soluto conventu evangelici tanquam rebelles adcusabantur, de quo in Historia diplomatica pag. 68.. Sed si adcusasse sufficiat, quis tutus et innocens erit? Provocabantur miseri evangelici ad querulandum et redintegrandas religionis libertates, illatis sibi contra leges patriae injuriis. Nam an. 1661. non tantum

*) Doleschal- és Daxnernél itt ez mondatik róla: Sophia Báthory, quae fuit Georgii Rákóczy vidua, ejurato calvinismo, templa protestantium in ditionibus suis eripit, subditos ad religionem romano-catholicam cogit et ut in eadem religione filius suus Franciscus informetur, eidem Emericum Kiss cum quatuor aliis praeficit atque coeco et intempestivo illo fervore irreparabilem protestantibus jacturam infert, quod diffiteri non potuit autor Fragmentorum hist. Hung. ad an. 1668. pag. 155. sq..

**) Ugyanazoknál: violenta manu.

Schemnicii, Cassoviae et Rosnaviae, sed etiam Szakolczae duas, totidem Günsii sacras aedes lutheranis et calvinianis eripuerunt, ministris evangelicis tridui mora ad componendam rem familiarem concessa, etsi szakolczenses utrumque templum propriis impensis excitaverint. Günsienses ultra centum annos templa sua retinuerunt et adversus Georgium Széchenyi, tum episcopum jaurinensem, egregie tutati sunt; sed postquam is cum comite Thoma Pálfy, tum cancellario et episcopo nitriensi atque comite Petro Széchy de Rimaszécs, domino arcis günsiensis et inc. comitatus castriferrei supremo comite advenisset, vi et minis extorsit *) et Szelepcsényius, archiepiscopus strigoniensis, templa schemniciensium, scelesto Stephano Borsiczky administro, opera centurionis Ebert usus, vi armata occupavit; vid. Fragmenta cassoviensia pag. 197., 199., 212.. Hanc procedendi rationem nemo sub coelo adprobavit alius, nisi qui perdite malus esse voluerit. Hoc etsi ita sit: tamen anno statim sequente 1662. templa protestantium Tyrnaviae mense Januario, praecedente cum bipenne clerico quodam, armis erepta sunt, elaborante ut quam plurimum archiepiscopo Szelepcsényio et Georgio Pongrácz vaciensi antistite, uti confitetur autor Historiae universitatis tyrnaviensis.**). Ut igitur fidem, quam dedi, exsolvam, postulante ita ordine, de magna illa evangelicorum divexatione praemissis quibusdam posteritatis gratia dicendum erit. Hanc excitavit ut quam plurimum ven. clerus, quod confitetur Georgius Peuckerus neosoliensis in Threnis dispersae Sionis hungaricae, in obitum ven. condam Andreae Sartorii in Transylvania an. 1679. mortui, consignatis, dum scribit:

Patria regnavit in alma
Fraus et vis, principe clero.

Venceslaus Antonius Poszheldt, natione bohemus, patricius lithomisliensis, condam scholarum piarum presbyter, audacter non minus, quam

*) A köszegi sz. Jakab temploma miként történt elfoglaltatását, mely a szövegben hibásan van 1661.-re téve 1671. helyett, egy, hivatalosan jelen volt szemtanú s a köszegi jezuiták jegyzökönyve szerint olvashatni az 1857.-ki Új magyar muzeum 194.—197. l.. V. ö .Magyar történelmi tár V. köt. 18. l.. A másik templom 1673.-ban vétetett el. Új magyar muzeum i. h. 197. l. és Magyar történelmi tár i. h. 23. l.

**) A n gyszombathi templomok elfoglaltatása is hibásan van 1662.-re téve, mert Pongrácz György 1669.—1676.-ig volt váczi püspök. L. Schematismus cleri dioecesis vaciensis pro anno aerae communis 1854. 10. l..

ex vero diuturni belli hungarici, ministrorum in exilium relegatorum et ad triremes hispanicas damnatorum causam et originem fuisse jesuitas publice confessus est. Vid. Peregrinatio ejus de civitate coecitatis in paradisum claritatis, impressa Vitemb. typis Johan. Wilchii an. 1679., quo

VeneranDo sIbI CaLoVIo porreXIt ManVs.

§. 10.

Haec omnia, quantum divinando adsequor, derivabantur ex infelici illo romano-catholicorum axiomate: „cujus regio, illius religio", cum ex eorum sententia unitas religionis sit firmamentum regionis, in quo adstruendo ven. clerus occasione excelsae commissionis pesthiensis in vanum desudabat. Nam non est ita.

Clerus Hungariae in commissione pesthiensi experientiam in testem advocabat et articulos anni 1550. 12. et anni 1604. 22. unitatis religionis mentionem injicientes in subsidium trahebat; sed uti posterior per articulum 1. anni 1606. penitus sublatus est, ita prior nihil prorsus ad rem facit, cum episcopus varadiensis magnam partem inc. comitatuum, qui ibi recensentur, a fidelitate et obedientia suae majestatis abalienarit. Quod ad regiones, quas pro experientia adduxit, Italiam, Hispaniam, Galliam, Poloniam et reliquas adtinet, nihil prorsus conficit, ut adeo non sine ratione existimem, ven. clerum aut mala fide egisse, aut documentorum historicorum, quae prostant, non satis fuisse gnarum. Experientia quidem vix fortius dari argumentum, certum est: ea tamen unitatem religionis firmamentum esse regionis probari non potest. Quis unus eruditorum est, qui non sciat, Italiam, uni religioni romano-catholicae addictam, continuis motibus laboravisse, quod vesperae siculae et nota omnibus historicis gvelphorum et gibellinorum nomina et dissidia luculentissime testantur. Hispania, per universum orbem propter tribunal inquisitionis celebrata, tot tantisque intestinis motibus agitabatur, ut Portugallia, quae antehac cum Hispania unum constituebat regnum, ab ea desciverit. Gallia, tot millibus hugonottarum pulsis, irreparabile damnum passa est, cujus Ludovicum XIV. continenter poenituit. Polonia, etsi*) religionem romano-catholicam profiteatur: tamen non raro tantis motibus concussa**) fuit, ut, quod experiendo discimus, vix adhuc convalescere potuerit. Recordamur adhuc, quantae convulsiones Augusto rege an. 1733. 1. Febr. Varsoviae

*) Daxnernél: magna ex parte.

**) Ugyanannál: confusa.

mortuo, sequente statim anno 1734. coortae fuerint, cum Maria, Ludovici XV. Galliarum regis conjux, patrem Stanislaum, Elisabetha, Philippi V. regis Hispaniarum consors, filium suum Carolum, et Anna, russorum imperatrix, Augusti saxonis filium, Fridericum Augustum, regno Poloniae praeficere vellet. Profecto non minus eleganter, quam ex vero scripsit quidam :

Vult mater natum regem; vult filia patrem;
Eligis in regem tu quoque Csara ducem.
Utque olim ira trium peperit tot bella dearum,
Sic reginarum tot parit ira *) trium.

Dalmatiae et Croatiae regnis propter exclusionem religionis evangelicae nihil prorsus felicitatis accessisse, omnes scimus. Recordemur, quae hoc tempore, dum Stanislaus Ponyatovszky in regem Poloniae eligi deberet, acta sunt. Certe illi, qui in religione non dissident, ita in eligendo rege dissidebant, ut vix multorum regum intercessione potuerint conciliari. Ad haec Imperium, Belgium foederatum, Helvetia et aliae regiones, nihil obstante receptarum religionum diversitate, alma pace perfruuntur. Nam etsi diversae sint in religione sententiae: unio tamen civilis firma est et perdurat, neque bono jure perturbatio publicae tranquillitatis diversitati receptarum religionum transscribi potest, cum omnes ex praescripto legis divinae mansvetudinem et omnem erga magistratum, tanquam dei in terris vicarium, reverentiam et obedientiam diligentissime inculcent. Hinc cum ratione existimabant tempore exc. commissionis pesthiensis evangelici, non unitatem religionis, sed inviolatam legum pro receptis religionibus publico consensu conditarum observationem esse firmitatem regionis. Hinc majores nostri non sine exstanti ratione vetustissimae portae liberae regiae montanaeque civitatis briznobanyensis, experientia edocti, adscribi curarunt praeter alia sequentia :

Ecclesia crescit pietate,
Respublica floret unanimitate.

Imo Livius, historicorum facile princeps, non incogitate existimabat: Nulla re magis, quam fraterna unanimitate, regnum aequari. Sed saepe numero evenit, ut leges communi sententia latae malitia hominum intervertantur. Sunt enim leges, uti Seleucus locrensium legislator aiebat, aranearum telis similes. Hinc si musca aut culex in eas inciderit, retinetur, si vero vespa aut apis, disrupta aranearum tela, avolat. Ita se res habet cum legibus. Hoc, quod Anacharsi tribui solet, de Seleuco

*) Daxnernél: bella.

retulit Stobaeus. Vid. Lexicon Basilii Fabri sub nomine: Lex. Ita factum est, quod omnes veritatis amantes sciunt *), tempore exc. commissionis pesthiensis romano-catholici, vespis et apibus fortiores, leges communi stutuum et ordinum regni Hungariae sententia latas et diplomatibus omnium regum, uti luculentissime probatum est, confirmatas, pro sua potentia perruperunt et miseros evangelicos, tot tantisque divexationibus exagitatos, contra jus et aequum multis, quae neque pro merito percenseri possunt, difficultatibus involverunt. Ita fit hac aetate, ut homines et cives patriae fidelissimi neque publicis legibus stabilito jure suo amplius uti permittantur, quod in Hungaria protestantibus evenisse certum est et exploratum. Deus videt et judicabit!.

CAPUT II.

DE

DIVEXATIONE EVANGELICORUM UNIVERSALI.

§. 1.

Divexationem evangelicorum, quae sub glorioso imperatore Leopoldo M. evenerat, universalem propterea adpellare visum fuit, quia omnes a romano-catholicis dissidentes, evangelicorum non minus, quam calvinianorum ecclesias corripuerat.

Divexationem hanc aliqui adpellare solent leopoldinam, non quasi eo autore evenerit **), sed quod sub gloriosissimo imperio ejus contigerit; alii decennalem, quod post evolutam decem annorum periodum desierit; alii hungaricam, quod ad solos Hungariae protestantes pertinuerit; alii divexationem magnam, quod ecclesiis nostris in Hungaria irreparabilem jacturam adtulerit. Leopoldus enim imperator paucis annis integras urbes, imo provincias, pulsis evangelicis, romano-catholicae religioni adseruit, uti eum eo nomine commendat P. Abrahamus a S. Clara, ejusdem concionator, in libello, quem Etwas für alle adpellavit, pag. 12. et ipsi patres jesuitae hoc in laudem Leopoldo M. vel maxime transscribunt, quod ejus auspiciis haeresis, ut loquuntur, protestantium in Hungaria maxima ex parte deleta sit, uti scribit autor Commentationis de oppressis evangelicis sub finem §. IX.. Praedixerat hanc divexationem Daniel Schmidius, de quo ven.

*) Daxnernél: confitentur, vident.

*) Doleschal- és Daxnernél: alias optimi imperatoris indulgentia tranquille sacris operari potuissent evangelici.

Antonius Reiserus augustanus, ecclesiae posoniensis pastor et ven. contubernii evangelici *) decanus, in epistola ad Theophilum Spizelium in exilio suo an. 1672. consignata in haec verba scribit: „Daniel Schmidius, ecclesiae condam, ah condam! posoniensis antistes et senior undiquaque gravissimus, per duodecim nunc annos et ultra in pace domini quiescens, tristium fatorum, quae coelo jam irato Hungariam inprimis evangelicam premunt et tantum non plane opprimunt, propheta fuit heu nimis quam veridicus!“ Videri potest elegans haec epistola in Spizelii Templo honoris reserato pag. inprimis 407..

§. 2.

Classicum divexationi huic cecinisse videbatur Georgius Bársony, praepositus scepusiensis et an. 1663. mortuo Johanne Pálfalvay varadiensis episcopus, qui non tantum in libello, cujus titulus erat: Veritas toti mundo declarata, tribus argumentis commonstrare nitebatur, regem ad tolerandam religionem protestantium obstrictum non esse, sed etiam ipse primum szenic zenses et turolukenses vi et ferro adgressus est, omnem, quaqua late patet, Hungariam infelici huic calamitati involuturus.

Georgii Bársony libellus prodiit primum latine Cassoviae an. 1671., anno statim sequente recusus Viennae apud Matthaeum Cosmerovium, anno tandem 1693. in germanicum conversus et eodem tempore per virum quendam eruditum, qui sub nomine Jobi Kresztianszky de Freyberg latet, eleganter confutatus fuit sub titulo: Ausführliche Antwort auf die verlarvte Wahrheit, ne quid de elegantissimo, sed admodum raro libello: Falsitas toti mundo declarata adjiciam. Quod ad Bársonyii argumenta adtinet, tria sunt et ab omni veritate aliena. Nos aliquid in praejudicium ecclesiae rom.-catholicae fecisse, falsum est; cum in partibus publica lege in pacificatione viennensi nobis an. 1606. adtributis, sine omni religionis romano-catholicae praejudicio fuerimus versati. Quod belli temporibus factum fuit, id non solis evangelicis, sed et romano-catholicis, quibus illi immixti erant, adtribuant. Articulos in favorem religionis evangelicae sine consensu praelatorum et cum protestatione conditos fuisse, non est verum, cum ante annum 1647. nulla protestatio intercesserit et illa in publicis regni comitiis pro nulla fuit declarata et per ipsum regem in solidum sublata, cum et ipse Leopoldus imperator constitutionibus regni an. 1655. ita subscripserit: „acceptamus, adprobamus, ratificamus et confirmamus.“

*) Daxnernél: ecclesiastici.

Quae puncto III. scribit, nos ab augustana confessione et reformatos a helvetica recessisse, multo est falsissimum et a nostris mille vicibus ad ravim usque confutatum. Uti Bársony ebrietati deditus erat, ita, dum haec scriberet, ebrium esse oportuit, uti judicavit Jobus Kresztianszky loco cit. pag.. 93. Quod ad divexationem szeniczensium et turolukensium adtinet, Bársony cum fratre suo et militibus croatis an. 1672. eo digressus, templa adimere et ministris evangelicis plebanos romano-catholicos substituere nitebatur. Deprecabantur hoc omnes et ad caesareo-regiam majestatem provocabant; sed postquam precibus nil se proficere posse adverterent, a verbis ad verbera ventum fuit, adeo, ut dispersis croatis, glande plumbea frater praepositi occisus fuerit. Is erat Johannes Bársony, annos natus 39. Szakolczae in aede parochiali sepultus, qui in epitaphio, quod marmori in dextro templi latere incisum est, adpellatur dynasta sangvine, judex aequitate, apostolus zelo, ecclesiastes lingva et his sub finem additur:

Abi jam viator!
Familiae Bársony reverenter adplaude et in litaniis
Johannem Bársony
Apostolum et martyrem venerare.
Hoc svadet, imo jubet vicarius Christi
Clemens papa decimus.

Vid. Fragmenta hist. Hung. cassoviensia ad an. 1672. pag. 289.—293.. Ipse Georgius Bársony, in praesentissimo vitae periculo constitutus, vix mortem declinasset, nisi minister evangelicus eidem incumbens, mortem praepositi propriis plagis redemisset. Compilator Cassoviensium fragmetorum hist. Hung. ad an. 1676. pag. 544. scribit: „Antistitem Georgium e concitata ad Mijavam tempestate Samuelis German, lutheranici ministri, nuper Posonii catholice vita functi, uxor, secundum deum ac coelites, ecclesiae servasse fertur.“ Vel hinc condiscas, lector benevole! quantum compilatori Fragmentorum horum credendum sit. Nam neque German fuit, neque Samuel fuit; neque uxor ejus fuit, neque is, qui Posonii 17. sept. an. 1740. in arce posoniensi mortuus est, ille fuit; sed erat pater ejus Daniel Krmann, ecclesiae turolukensis minister, qui Georgio Bársony plagis a concitata plebe adfecto, incubuit, ut eum ab ulterioribus verberibus et morte tutum praestet. Danielem Krmann superintendentem eum, de quo narratur fabula, non fuisse, vel hinc facile arbitrari licet, quod vix duodecennis fuerit, an. 1663. natus, dum haec tempestas fuis-

set excitata, atque adeo neque minister, neque maritus esse quibat *). Quae de morte ejus adferuntur, in Vitis superintendentum

*) Különös! Krmann Dániel superintendens, mikénti Schmal itt is, a Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. I. köt. 99. lapján is, Horányi: Memoria hungarorum st. II. r. 336. l. állitja, 1663,-ban, a Halberstadtban 1830.-ban megjelent Historia ecclesiae evang. aug. conf. addictorum in Hungaria III. l. szerint 1662.-ki aug. 28.-kán születvén, 1672.-ben, Bársonyék gyászesetekor, 9., illetőleg csak 10. éves volt: mégis Grassalkovics Antal, kir. ügyigazgató, az ellene 1731.-ben inditott perben a turolukai vérengzésről is őt vádolja. Érdekesnek véltem ide iktatni, Gamauf gyüjteményéből, az egész vádlevelet:

Processus spectabilis ac generosi domini magistri Antonii Grassalkovics de Gyarak, sacrae caesareae regiaeque majestatis et inc. regiae camerae hungaricae consiliarii, qua tamen causarum regalium per Hungariam directoris et inc: regni ejusdem coronae fiscalis, ut A.

Contra dominum Danielem Krmann, ministrum aug. conf. mijaviensem ut I. an. 1731. d. 8. Jan. motus et suscitatus.

Anno 1731. d. 8. mensis Januarii in libera regiaque civitate posoniensi levata causa spectabilis ac generosi domini magistri Antonii Grassalkovics de Gyarak etc. intuitu mox producendorum actionetenus expositorum temerariorum Danielis Krmann ausuum et excessuum, ut A., contra memoratum Danielem Krmann, ministrum aug. conf. mijaviensem, de praesenti quoque in vinculis constitutum, ex clementissima dispositione et positivo jussu sacratissimae caesareae regiaeque majestatis instituta, veluti I., et pro praeattacto domino A. egregius Franciscus Barinyay, legitimus, adeoque sufficienti mandatariatu instructus procurator fiscalis, cum solitis praerogativis fiscalibus et cautela, de non consentiendo in ea universa, quae causae huic alioquin summariae quomodocunque contrarientur, exhibet excelso delegato judicio actionem fiscalem sub nro 1., ad mentem cujus, praevia tamen erga partem I. praemissa solita proclamatione et ejusdem necessaria personali comparitione, petit jus et judicium in conformitate praehabitae actionis administrari, reservando nihilominus circa universa generalem agendi facultatem.

Actio

Fisci suae majestatis sacratissimae, ut A., contra et adversus Danielem Krmann, ministrum alias mijaviensem et praetensum aug. conf. addictorum superintendentem, veluti I. ex benignissimo et positivo jussu suae majestatis sacratissimae ex eo nata et suscitata

Qualiter idem I. noscitur, quo partim temeritatis et proterviae ausu partim pietatis et sanctimoniae cujuspiam sibi procurandae studio et mala sane ambitione damnabilique hactenus inter suos habiti praedominii sui licentia ad id inductus, recentius quidem in eo capitalis criminis reum sese effecerit, quod idem I. anno recenter praeterito 1729. quendam Venceslaum Mlinarics, fictum alias energumenum, ex dominio moravico

evangelicorum per me sunt profligata. Hoc tantum ex aequo adjicio :

---

mossovicsiensi et pago Szeninka dicto profugum, in possessionem Mijava, comitatui nitriensi adjacentem, sese recipientem, primum quidem a fide catholica una cum uxore apostatari fecerit; dein vero, gloriam fors sibi et aestimationem majorem, pietatisque ac sanctimoniae cujuspiam opinionem, etiam per praetensam daemonii ejectionem apud vulgus comparare intendens, fictum eundem energumenum frequentius exorcisaverit, suppositisque (ut credi par est) muribus de vestibus exorcisati exilientibus, quasi jam aliquot spiritus maligni ab eodem discessissent, mala sane ambitione vulgaverit. Posteaquam vero erga benignum suae majestatis sacratissimae mandatum per excelsum consilium locumtenentiale regium praelibato comitatui intimatum fuisset, ut antelatos quidem ex Moravia profugos apostatas suo modo comprehendi subque bona custodia detineri, de praemissis examinari et denique in eorum etiam, quae de antelato ministro mijaviensi exmissa sunt, veritatem inquiri faciat, tum a parte antelati comitatus generosi domini Johannes Hodossy, perceptor, et Johannes Nagy comitatus ejusdem jurassor, pro comprehensione mentionati Venceslai Mlinarics exmissi, recta ipsa die 5. mensis Septembris anni ejusdem praeteriti, in praefatam possessionem Mijava advenientes et in domo quarteriali ibidem eotum existentis vigiliarum magistri condescendentes fictumque eundem energumenum absque ulla alias attum sive incolarum, sive alterius cujuscunque tergiversatione eorsum accersiri facientes, arestum eidem imposuissent et per quinque milites, ibidem alias inquartirisatos, usque ad horam noctis circiter 10. custodiri fecissent: eotum antelatus minister, Daniel Krmann, tametsi quidem medio aeditui loci, quippe Johannis Jaszma, ad eosdem exmissi, dictum inarestatum benevole liberum dimitti petierit, secus signum pro tumultu concursuque populi pulsu campanae se daturum denunciaverit, renunciatione tamen haud exspectata, quin imo sub ipsa adhuc praescitae denuncia tionis continuatione, jam ipsa campana pulsari pulsumque circiter per quadrantem unum horae continuari, populum taliter accersiri et congregari et per id inter plebem nocte eadem intempesta adeo periculosum excitare tumultum haud formidasset, ut eadem in magna numerositate tumultuarie concurrens, sclopis, furcis, securibus ac id genus aliis offensivis instrumentis instructa, in quarterium antelati vigiliarum magistri tumultuarie irruere ac ut inarestatus energumenus extradaretur, acclamative praetendere, expost vero fenestras domus violenter confringere, lapidibusque ab intus existentes ferire et praefato quidem jurassore per pectus, uno vero ex militibus per caput tacto, hunc signanter gravius etiam vulneratione cruentare, expost vero, ut ipsa domus succendatur ab intusque existentes occidantur, adclamare haud veriti fuerint. Quibus tamen ad resistendum vesani concursus tantaeque multitudinis tumultui haud paribus, periculum extremum antevertere salutique suae consulere volentibus ac ex eo inarestatum dimittentibus, quamprimum hunc rehabere potuerunt, eundem illico ad praefatum mini-

Triplex exilium, zelus, duplex quoque carcer
Dicit Krmannum non temerasse fidem.

---

strum deduxerunt, cumulatimque eo perrexerunt. Sedato demum tumultu, tametsi quidem immediate sequenti die antelati exmissi, perceptor et jurassor praelibati comitatus, una cum dominalibus officialibus, praefatum dominum Krmann accesserint et gratiosum etiam excelsi consilii locumtenentialis mandatum cum eodem communicaverint, ad exigentiam hujus energumenum sibi resignari petierint; idem tamen eotum etiam non fictum, ast verum energumenum fuisse expositionemque ejusdem mandati falsam esse, precibusque et frequenti sumptione coenae domini energumenum eundem jam aliquantulum liberatum, quantumvis adhuc speeies obsessionis habere, pertinaciterque iteratis vicibus resignationem ejusdem denegare taliterque benigno suae majestatis sacratissimae mandato et ordinationi praelibati consilii locumtenentialis non tam simpliciter contravenire, quam potius tumultuarie et potentiose semet opponere, credi par est, exinde etiam gravioris praesumtionis reus, haud formidasset.

Quod superioribus quoque temporibus, idque circa an. 1725., dum videlicet crebriores a parte marchionatus etiam Moraviae apud augustissimam caesareo-regiam majestatem in eo positae essent querelae, quod idem omnino minister intra suos limites sese haud continens, ejusdem quoque marchionatus accolas non modo erroribus suis inficere, verum plurimos etiam eorum ab incolatu ad propinquiores praefati comitatus partes allicere ac praeterea titulum episcopalem sibi arrogare praesumat; dignabatur altelata sua majestas sacratissima praelibato comitatui nitriensi clementer demandare, quatenus intuitu praemissorum mentionatum praedicantem serio commonere simulque, an et cujus auctoritate aut indultu titulum episcopalem sibi vendicet? fideliter perquirere et suam majestatem sacratissimam noverit desuper informare. Exmisso igitur in hunc finem processuali eotum judlium, moderno quippe ordinario vicecomite, cum uno ex jurassoribus, ut primum idem alios quoque dominii, pro plenore rerum peragendarum ordine et securitate, invitatos secum adsumens in praefatam possessionem Mijava advenisset, mox jam tumultuans undique plebs confuso sexu confluere, multicenti homines arma, ac in horum defectu, alia nociva instrumenta sumere, ex omni parte turmatim adcurrere, memoratos comitatus officiales, nec dominalibus parcentes, tumultuosi accedere et quo fine eo venerint? importune quaerere, pessima quaeque demum iisdem comminari, nil pensi duxerant adeo, ut nisi svaviori dominalium officialium mitigatione, cum summoque eorum labore reducti tumultuantes exstitissent, de ipsa jam vita actum sibi ipsis putassent; sedatis tamen aliquantisper tumultibus, iidem comitatus officiales saepefatum ministrum accedentes, dum benignum suae majestatis sacratissimae mandatum eidem exhibere clementissimisque ejusdem tenoribus satisfacere voluissent, eo temeritatis progressus est, quod idem benignum mandatum semet nec videre, nec legere, multo minus de continentiis quidpiam scire velle, cum maximo sane suae majestatis sacratissimae con-

Haec dum fiunt, ultra 400. exacerbati croatae furiarum instar in szeniczenses irruunt, eos trucidant, bona diripiunt et oppidum prorsus exu-

temptu et benignae commissionis vilipendio reposuerit et exhinc adparet, quod hujus etiam tumultus conciliator et auctor idem ipse fuerit.

Imo quia nefariae seditionis etiam illius et scelerati turolukensium incolarum ausus (qui an. 1672. ipsa die 14. mensis Julii contigerat), qua jam eotum quoque mentionatorum turolukensium minister, idem ipse auctor et concitator fuisset, in quo nimirum Johannes Bársony, praesentiae regiae protonotarius, alias terrestris eorundem dominus rabie tumultuantis populi ex circumvicinis etiam locis antelati ministri filialibus per eundem convocati, ex collocatis et dispositis insidiis (non obstante eo, quod idem eotum cum fratre suo, illustrissimo et reverendissimo quondam episcopo varadiensi Georgio Bársony, et ex congregatione generali praeattacti comitatus nitriensis penes benignas patentales regias salvique passus et conductus litteras, ecclesiam turolukensem visitare volente, demum redux proficiscebatur), ut primum in eandem possessionem advenissent, tumultuarie adgressus et miserabiliter interemptus; antelatus vero quondam dominus episcopus una cum omnibus illis, quas ad latus habebat, ecclesiasticis, religiosis et secularibus, tam nobilibus quam ignobilibus personis, crudelissime et ad internecionem quasi verberatus, vulneratus sauciatusque fuerat. Esto detestandi hujus et scelerati ausus intuitu actione contra reos et complices instituta, antelatus etiam minister suo modo citatus et in jus conventus habebatur, ad judicium tamen non comparens, fuga sibi consuluisset; ac non obstante eo, quod in complexu reliquorum non comparentium, qua contumacium, idem ipse etiam suo modo capiendus et juxta demerita puniendus judicialiter proscriptus exstiterit: quia tamen eotum promeritam tam horrendi sceleris ultionem evasisset, sed et alterius ac tanti ausus poenas ad praesens haud dedisset, impunitate priorum tanto audentior factus, noviorem quoque praescitam temeritatem adtentare veritus haud fuisset.

Cum tamen haec ampliora etiam ejusdem vel enarrari animum perhorrescentia patefaciant scelera, in eo videlicet consistentia, quod superioribus retroactis annis in certa impressa investitura sua sacram romano-catholicam et orthodoxam ecclesiam quasi perversam et fanaticam ac erroneam damnare; divum protoregem Stephanum non apostolicum, ast una cum universo Hungariae regno diabolicum fuisse; scelerate porro sanctum Johannem Nepomucenum (vetet quantumvis pudor publico hujusmodi scripto eloqui, ast tanti sancti honor non sivit subticere) scortatorem publicum et reginae Bohemiae Venceslai regis IV. concubinarium exstitisse, proptereaque jussu antelati regis in fluvium Moldavam praecipitatum et submersum fuisse; lingvam praeterea hujus sacram, quae venerationi catholicorum in Bohemia exponi solet, non esse hujus genuinam, sed caninam, eidem sacrae lingvae substratam; taliterque non modo orthodoxam ecclesiam et sancti ejusdem honorem blaspheme proscindere, verum sanctissimam etiam eucharistiam et

runt, de quo legi potest eodem periculo defunctus Stephanus Pilárik, ibidem pastor, in Curru Jehovae mirabili sub finem. Huic libello Bársonyiano adjici debent: Schefleri Türks-Christ et Baranovszkyi Gerechter Gewissens-Zwang, omnes ad excitandos tumultus comparati.

---

corpus domini nostri Jesu Christi scelerate exosum reddere conatus, catholicos quoque nitebatur persvadere, catholicos parochos ex lacte canino hostias confícere talesque populo communicare ac per similia complures ex Moravia et Bohemia ad partes mijavienses profugos seducendo, apostasiae involvere ausu scelerato et damnabili praesumsisset.

Quia vero idem postremus ejusdem tantae temeritatis ausus ipsi regiae auctoritati praejudiciosus et publicae quoque tranquillitati nocivus ac damnosus, anteacta ejusdem etiam paris sortis impietatisque et blasphemiae scelera, velut hactenus quacunque tandem ex ratione aut defectu impunita et reiteratione ausuum seu antelatorum, seu ad decisionem causae in futurum quoque occurrentium, tanto rigorosius recrudescere faciens, alioquin jam per suam majestatem sacratissimam via delegati judicii suo modo revideri commissus, seria animadversione vindicandus et eo, quod per primi ordinis tres ausus idem qua talium auctor et concitator, adeoque subsecutorum etiam eventuum et facinorum reus et coriphaeus, salvum conductum, quem superius mentionatus quondam dominus episcopus habebat, violasset, et in primo quidem ausu subsecuti homicidii, in postremo officialium comitatensium invasionis et tam jurati assessoris, qua personae nobilis, percussionis, quam et militaris personae cruentationis causa esse, benignis mandatis regiis non tam simpliciter contravenire, quam potius concitatis tumultibus terno actu semet opponere, plebem rusticam, alias ad tumultus et seditionem pronam (quam potius compositam servare convenisset) concitare et per id tranquillitatem publicam laedere, sicque contra statum quasi publicum semet erigere, vanae item sanctimoniae ambitione fictum energumenum exorcisare, sed signanter tanta impietate (uti praemissum est) blasphemare praesumserit, horribile aliorum etiam in exemplum puniendus esset. Argumento etenim art. 9. Vladislai regis decret. 6. et Kitonich Quaest. 27. c. 9. faciente et consentiente pari poena, imo si quis auctoritate et instigatione sua peccato causam praebeat, gravius adhuc puniri debente, eidem sive propter praerecensitos triplicis ordinis temerarios ausus juxta art. 10. et 11. anni 1723., sive propter praescitas blasphemias sensu art. 110. ejusdem anni 1723. poena capitalis dictanda veniret.

Quamobrem idem fiscus suae majestatis sacratissimae regius ut A. adnotatum Danielem Krmann velut I- ad terminum eidem adsignandum ex vinculis suo modo citari et certificari compertaque praemissorum veritate in conformitate praecitatarum legum, judicium et sententiam contra eundem ferri cuperet.

§. 3.

Paulo prius excitata fuit infelix illa suspicio de quorundam procerum romano-catholicorum conjuratione in caput augustissimi imperatoris Leopoldi directa. Hac igitur opportunitate ven. clerus non tantum fideles regi proceres evangelicos, sed etiam innocentissimos verbi divini ministros in partem suspicionis adtrahere et, uti visuri sumus, inaudita prorsus in eos barbarie *) saevire veritus non fuit.

Conjurationis in caput Leopoldi regis an. 1669. accusabantur Petrus Zrinyi, Franciscus Nádasdy, comes Frangepan, Erasmus Tattenbach, inter Styriae proceres comes opibus nulli secundus, et Franciscus Bónis, quorum Nádasdy Viennae, Tattenbach Graecii, Zrinyi et Frangepan Neostadii an. 1671. et Franciscus Bónis **) Posonii gladio percussi interierunt. Zrinyius cum Frangepanio Viennam ad caesarem digressi, innocentiam suam probaturi, ad comitem Kéryum, nihil mali pertimescentes, divertunt et perendie capti Viennam deducuntur, quod Kéryis jura hospitii violantibus et antehac et adhuc genuini Hungariae cives in malam partem interpretantur, nec sine omine. Gens enim perit et in dies magis periisse putatur, nec dignitati majorum respondet. Hi si crimine laesae majestatis regiae se contaminaverant, digna meritis suis reportaverunt praemia, quamvis pauci fuerint admodum ***) genuini Hungariae proceres, qui id in partem conjurationis, salvo jure hungarico, interpretari posse crederent, sed †) existimabant, eos avita jura, privilegia et libertates regni tueri voluisse. Enimvero exstabat vetustissimum Andreae II. regis Hungariae privilegium an. 1222. per manus Cleti aulae regiae cancellarii et agriensis ecclesiae praepositi extradatum, quo citra culpam rebellionis objicere se regibus fas fuit, si se ultra justum sentiebant pressos hungari. Exstabat praeterea lex patriae, ut sua majestas regia utatur consilio hungarorum, sive de pace, sive de induciis agendum sit; secus nunquam egerunt reges Hungariae. Ipse Leopoldus imperator dum administrationem regni capesseret, regio diplomate inter reliqua spopondit: „Si quid de negotiis regni actum fuerit, ea se per hungaros tractaturum.“ Sed alias evenit, ac optimus imperator promiserat. Postquam enim an. 1664. cum turcis ad S. Gott-

*) Doleschal- és Daxnernél: ratione.

**) Ugyanazoknál: reformatus.

***) Ugyanazoknál: aut nulli.

†) Ugyanazoknál: cum ratione.

hardum feliciter depugnasset, Galliae regis et principum Imperii copiis adjutus, neque consciis, neque consultis hungaris aut principibus Imperii opera Remingeri in pago Vasvár pacem in annos 20. cum turcis sanxit et militem germanum ex Transylvania excitum Szathmarinum, Kállóum, Tokainum, Ónodinum et Lévam imposuit. Hoc ita pupugit Hungariae proceres, jurium et privilegiorum patriae multo tenacissimos, ut ne ipse quidem Georgius Lippay archiepiscopus strigoniensis, an. 1666. Posonii mortuus, Leopoldo imperatori, quod scimus, perstudiosus, se a quiritatione abstineret; vid. autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1664. pag. 339.. Ipse Zrinyius missis ad Leopoldum imperatorem commentariis publice fassus est: neminem inficiari posse, indigna multa asperaque perpessos fuisse hungaros, occupata a germano milite regni praesidia, etiam cum a turcis securitas esset, tributis exhaustam plebem, conculcatam nobilitatem, ministrorum in gentem hungaricam odium, negatos ad regem aditus et multa alia, consumta procerum patientia, in arma hungaros erumpere coegisse, ut ea in Historia Leopoldi M. prolixe describuntur. Imo erant non pauci Hungariae proceres, qui publice loquebantur, his talibus Leopoldum imperatorem nonnisi solutam legibus in mutilo regno dominationem adspirare, uti confitetur ipse Fragmentorum cassoviensium autor ad an. 1664. pag. 329.. Adhaec genuini hungari causae captivorum magnatum revisionem ad regem et comitia pertinere cum ratione contendebant, cum et lex part. II. Tripartiti tit. LXXV. consignata id deposcat et consvetudo. Ita an. 1542. Petrus Keglevics, Johannes et Raphael Podmaniczky a rege et ordinibus damnati sunt. Sententiam in hungaros sine hungaris pronunciatam adversari artic. 41. anni 1536. omnibus exploratum est. Eapropter Viennae an. 1603. in Stephanum Illésházyum dictatam sententiam comitia hungarica anni 1608. art. 23. irritam pronunciarunt, uti ex Corpore juris hungarici omnibus notum est. Hoc ne hungaris magnatibus conjurationis accusatis contingat, exclusis hungaris, a germanis tantum, quales erant cancellarius Johannes Paulus Hocher, Christophorus de Abele et alii plures, non admissis hungaris, judicabantur. Videri potest: Ausführliche Beschreibung, wie es mit denen Criminal-Processen etc. eigentlich hergegangen: prodiit typis Matth. Cosmerovii Viennae an. 1671.. Hinc factum est, uti multi opinantur*), quod vix induci potuerit caesarum optimus, Leopoldus, ut eos mori

*) Doleschal- és Daxnernél: procul dubio.

juberet *), quamvis multis variisque modis a ministris suis germanis et legato hispanico Spinola, jurato hungarorum hoste, induceretur. Tandem factionibus istorum decreta fuit sententia, ut capite manuque dextra truncarentur et bona omnia in aerarium redigerentur, uti confitetur vel invitus autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1670. pag. 171., 172.. Hoc doluerunt multi, quod ea opportunitate innocentissimi quique tanquam conjurationis conscii fuerint divexati. Talis erat ex proceribus evangelicis Stephanus Tököly de Kesmark, comes pacis amans et fidelitatis in regem multo observantissimus, quem Christophorus Parschitius adpellat salvificae fidei defensorem strenuum in Disputatione de justificatione Rostochii an. 1665. sub D. Henrico Müllero habita. Vix enim proceres illi romano-catholici supplicio adfecti fuerunt, generalis Sporck et Heister arcem arvensem et murányensem, ditionis Tökölyanae, obsident et ut praesidium regium admittatur, urgent. Tökölyus, sibi optime conscius, multis iisque evidentissimis argumentis se excusavit et fidelitatem suam jurejurando contestari paratus erat; sed frustra fuit omnis excusatio. Hinc ut fidelitatem in regem suum vel eo nomine contestetur, negotium cum nominatis ducibus tractat et nondum confecto negotio annos 49. natus in domino moritur, postquam filium suum Emericum medio Ambrosii Ketzer in vestitu rustico ad tutiora loca promovisset. Mortuo comite Stephano Tököly omnia bona ejus fisco adscripta, tres filiae virgines Viennam missae et post multas, uti fieri solet, persvasiones sacris romano catholicis initiatae sunt. Harum prima Francisco Eszterházy, alia libero baroni Pethő, ultima proregi regni Paulo Eszterházy in conjugem data fuit. Has palatinum in arce kesmarkiensi intercepisse et cum liberis suis aluisse, uti autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1672. pag. 254. scribit, non est verum, cum absque omni procrastinatione Viennam fuerint expeditae. Mali hujus non pauci Michaelem Bory, conjurationis illius proditorem, autorem esse opinantur, qui mutatis calvinianorum sacris scypho aureo donatus calculi doloribus interiit, uti recognoscit autor Fragmentorum cassoviensium pag. 133.. Res pretiosae, quae decus unius principis cum dignitate tueri potuissent, partim direptae, partim sub praesidio comitis Joanelli, itali, montanarum civitatum praesidis **), levi admodum pretio distractae fuerunt.

*) Doleschal- és Daxnernél: ut vix a clementia sua impetrare potuerit caesarum optimus Leopoldus, ut eos st..

**) Ugyanazoknál: camerae praesidis.

His accessionibus Sporckius et Heisterus divites facti sunt. De comite Tököly videatur: Wahrhafte eigentliche Original Bildnüss Emerici Tököly an. 1683. in IV.. De Stephano Csákyo, quem aetate gravem divexationi mors subduxit, nihil adtinet scribere. Zrinyium, quem Historia Leopoldi M. a Veselényii morte conjurationis principem fuisse et moderatorem tradit, nunquam evidenti ratione probari potuit. neque potest, cum Commentarii ejus Leopoldo imperatori inscripti aliud commonstrent.

§. 4.

Postquam seditio haec consopita et non minus urbes praecipuae, quam munimenta hungarica praesidiario regis milite communita fuissent, sequuta fuit innocentissimorum verbi divini ministrorum protestantium ad delegatum Posonii judicium citatio.

Sedata illa procerum romano-catholicorum conjuratione, generalis Sporck praecipuas inferioris non minus quam superioris Hungariae urbes occupaverat et omnia propemodum munimenta praesidiario milite compleverat, nomine regis jurejurando confirmans, omnibus liberum religionis exercitium permissum iri; sed alias erat, ac Sporckius graeca fide sua promiserat. Nam paucum post tempus non tantum quaedam munimenta, uti erant: Illava, Cassa, Sztrecsen, Likava, penitus diruta sunt; sed etiam verbi divini ministri majorem in modum ab adversariis divexati. Praeterquam quod enim ecclesiarum depopulator, Bársony, junctis sibi aliquot militum catervis, nostros pastores fugere solumque vertere coegerat: etiam episcopus Kolosváry, 300. lixarum latronumque dux, an. 1672. templa nostratium in superiore Hungaria passim depopulabatur; vid. Funda Davidis num. 40. et 66.. Expertus hoc est inter alios Georgius Budaeus, qui in Threnodia sua cent. 1. decad. 1. lamentatione 1. ita loquitur:

Me miles vastans cleri exturbavit in armis
Verbere, vi, colaphis, ense feroce, minis.
E parochi laribus manibus violenter in aedes
Extraxit domini, quo stetit ara dei.
Hancce Kolosváry transmissus episcopus ambit,
Me vocat, ut satanas in sua castra trahit.
Svasit apostasiam, nomen subscribere mandans,
Ast ego utrumque negans, mox sua praeda fui.
Exceptus saevis alapis a milite passus
Sum duplex animi verbere deliquium.

Reliqua crudelitatis exempla vide loc. cit.. Ante citationem adempta erant templa: schemniciense an. 1669., eperjense an. 1670.*), neosoliense an. 1671., ubi jesuitae intempesta nocte, adplicatis muro scalis, vigilibus non advertentibus, templum invaserunt; conf. Animadversiones Joh. Sextii in Narrationem M. Georg. Lányi pag. 43. sq.. Quam scita fraude usi fuerint in adimendis templis romano-catholici, uti et scholis evangelicorum, ipse autor Fragmentorum hist. Hung. pag. 283. ad an. 1672. non sine tripudio percensuit, dum diserte scribat: „Clerici, quoniam miles pro templis operam conferre abnueret, cum sarcinatore domus teutonum, habitu et armis scite militem adsimulante, pagos obibant, circa Cassoviam paroeciis ministros, litterariis puerorum ludis magistros abigebant ac tutum demigrabatur. Jubebant reoludere sacras aedes, pandebantur; supellectilem et claves, nunquam reddendas, postulabant, mos gerebatur. Unde plurimus dolor et acerbitas acatholicis." Egregium, Plutone et stygiis aquis dignum facinus, dolo et fraude inhiare ecclesiis. Eperjenses, etsi templa ante triennium occupata, singulari dei munere an. 1673. recuperaverint: iterum tamen, veniente episcopo Szegedy et comite Volckra, a possessione eorum deturbati sunt. Nam non tantum ministros evangelicos urbe exturbarunt, sed etiam templum cum paroecia Georgio Horváth, canonico agriensi, adtribnerunt, jus in templum hungaricum Casparo Hobermayero transscripserunt et nostros, qui in senatum sublecti erant, a statione deturbarunt. Hoc anno Kesmarkini, Solnae, Szeniczii, Rosenbergae, Nicopoli, Lipcsae et alibi evangelicis templa erepta et sodales sancti Pauli ab eremo per Georgium Bársony Kesmarkinum inducti sunt. Solnensibus Stephanus Kostka parochus datus ita adflixit evangelicos, ut, exclusis nostris, Stephanum Permay judicem, senatores Andream Permay et Szilvay, plures enim romano-catholici non reperiebantur, gubernando oppido praeficeret, homines rudes et ad stivam magis, quam regendum oppidum idoneos. Hoc eo nomine factum fuit, ut nostros spe conservandae **) dignitatis ad mutanda sacra alliceret, quod tamen eo tempore factum non fuisse eventus comprobavit, quamvis hoc tempore

*) Doleschal és Daxnernél: posoniense 1671., de hibásan 1672. helyett. L. Johann Pogners Verzeichniss über den Bau der evang. Kirche in Presburg von 1656. bis 1638. und Johann Liebergotts Tagebuch von der Wegnahme der evang. Kirchen und Schulen im Jahr 1672. Presburg, 1861. 44. s köv. ll..

**) Ribaynál: consequendae.

florentissimum condam religionis evangelicae domicilium, iniquiore quodam temporum fato, sacris romano-catholicis adhaerescat. Apud nagybanyenses templa per Stephanum Csáky an. 1674. vi adempta sunt. Minister evangelicus, qui ibi relictus fuit, sequente jurejurando se obstringere cogebatur: „Juro per deum vivum, me in fide erga caesarem regiamque majestatem perstiturum, neque convicium romanae religioni, quae regia est, verbo aut secus facturum; si fallam, reus majestatis habear," uti compilator Fragmentorum hist. Hung. pag. 429. confitetur. Briznobanyae an. 1673. publicum religionis exercitium, quod a primordiis emendatae religionis evangelicae nostri continenter tenuerant, turbatum et templum per militem croaticum regiminis Kolaticsiani vi ademptum et patribus piarum scholarum, uti nominari cupiunt, adtributum fuit*). Rector autem evangelicus, Johannes Simonides, quod pubem scholasticam juxta normam concilii tridentini informare et in aliis ad ipsorum placita se disponere noluerit, schola pulsus intra privatos parietes se continuit et discipulos ad mandatum sui magistratus et patronorum, extra publicum scholae aedificium privatim informans an. 1674. ad instantiam fisci regii cum aliis piis et constantibus Christi confessoribus sub rebellionis vel complicitatis praetextu die 8. Febr. citatus, Posonii, ut magistratui satis sit, dicto 5. die Mart. comparuit; „sed quia delegatum judicium regium nonnisi iniquarum reversalium subscriptionem ursit, quibus ille meliore conscientia subscribere neque voluit, neque potuit, carceri adjudicatus et ex carcere posoniensi die 29. Maji an. 1674. Leopoldopolim, adjuncto lictore, satis ignominiose ablegatus, ibidem 3. Jun. catenis ligatus, laboribus foedis commaculatus, fame, siti, verberibus aliisque diris adflictionibus ad diem 18. Mart. anni 1675. novem integris mensibus pessime tractatus atque demum ad infelices triremes ductus", uti totidem verbis inc. universitas vitembergensis 18. Maji an. 1675. in publico testimonio eidem exhibito optima fide testatur, de quo non tantum in hoc opere, ubi se opportuna dedit occasio, sed etiam in Commentatione mea de vitis superintendentum evangelicorum dixi cum omni aequitate, quod satis est**). Haec insolita et ab omni aequitate remota agendi ratio uti etiam post comitia soproniensia perduravit: ita ipsis quoque prudentioribus romano-catholicis non parum displicuit. Testem litterato orbi

*) Daxnernél zárjel közt: quod an. 1779. per incendium funditus deletum est.

**) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. k. 36., 37. ll..

adduco Johannem Casparum ab Ampringen, ordinis teutonici magistrum et ex sententia augustissimi condam imperatoris Leopoldi M. regni Hungariae gubernatorem, qui an. 1675. ad Johannem Majthényi de Keselő-kő, personalis praesentiae regiae in judiciis locumtenentem, VIII. puncta submiserat, ejus opinionem et sententiam exploraturus, quorum tertium his verbis absolvitur :

„Non facit ad rem quietis, sed potius evidentis majoris exacerbationis, quod audiatur de novo integros comitatus in superiori Hungaria renovari seu reformari, omnes praedicantes una vice abigi, plures nobiles arestari et tamen paucissimos vel quasi nullos sacerdotes*) catholicos substitui. Communitates in hoc laesae me adcurrunt, conqueruntur, consilium petunt, auxilium et justitiam contra suos supremos comites et catholicorum religiosorum tentamina propria, ac etiam contra ipsos milites, qui perturbationibus**) his exequutione adsistunt, postulant. Si his talibus dicam, quod hoc in passu nihil possim, prostituo me et gubernium terribiliter, imo notabiliter me discredito***); si ad juvandum aut consulendum laboro, statim dicetur, quod impediam sanctissimas caesaris intentiones et juvem plus lutheranos, quam conversiones. Quid ergo mihi in tali casu et gubernio agendum ? speciale mandatum exspectamus. Per amorem quietis et salutis patriae, notabene in tam periculosissimis finibus constitutae, procedatur moderate in reformationibus periculosissimis, plane non congruis his temporibus conjuncturis et circumstantiis.“

Ad haec ita respondit Johannes Majthényi, personalis :

„Omni studio et conatu dominus gubernator in negotio religionis suae majestatis regnicolas quietos reddere et reconciliare offensosque quietos et pacatos facere intendat in hoc quoque passu, ne juxta dictamen communis proverbii: furfures omnia possint. Leges inde†) datae sunt, quas subjungere, consensu regnicolarum conditas et ipsa fide regia confirmatas, hic loci censui. Et primo quidem, si in diaetis, ubi omnium querelarum locus est, et tempus proponendi et querulandi, cautum est, ne temerarie quispiam negotium religionis movere ausit, innuente id articulo 22. anni 1604., quodve liberum sit exercitium concessum trium religionum in Hungaria, patet id ex articulo viennensi 1. et anni 1608.

*) Daxnernél: ministros.
**) Ribaynál: perturbatoribus.
***) Daxnernél: disgratior.
†) Ribaynál: illae.

art. 1., item anni 1618. art. 77., anni 1628. art. 22., anni 1630. art. 3., anni 1635. art. 29., item anni 1647. art. 6., 7., 8., anni 1649. art. 10., anni 1655. art. 18. et anni 1659. art. 1., quibus evolutis et bene perpensis facile colligi potest, quidnam exinde emergere queat cum manifesto regis et regni detrimento. Plura de his, si liceret, scribere possem, sed per aliquos diceretur, quod sanctissimae caesaris intentiones praepediantur, cum tamen experientia edocemur, non religionis hic adtendi pietatem, sed parochiarum et beneficiorum utilitatem, quibus habitis et perceptis templa desolata, vacua passerum strepitibus pro concionibus remittuntur."

Eu duos veritatis confessores, qui et crudam cleri reformationem abominantur, et multo mitiora svadent. Hinc procul dubio evenit, ut optimus Ampringenius consiliis et obtestationibus cleri, inprimis archiepiscopi Szelepcsényi, gubernio Hungariae privaretur, quasi solutius uteretur potestate, sperneret nobilitatem et pro arbitrio imperaret, uti autor Fragmentorum cassoviensium hist. Hung. pag. 480. mala fide confitetur. Ita optima gubernatoris fides sine causa vapulat et pessimae cleri destinationes innotescunt. Uti Szelepcsényius metropolita mutationem hanc aegerrime ferebat: ita multi inprimis ex clero Hungariae principi Ampringenio offensi *) invidiam acrius cumulabant **), uti confitentur jesuitae tyrnavienses in Archiepiscopis compendio datis pag. 137.. Si in causas invidiae hujus inquiras, eas audacter magis, quam genuine percenset autor Palatii regni Hungariae palatinorum, cum in vita proregis Francisci Veselényi part. II. pag. 138. scribat: „Cum praeterea durius in hungaros imperium exerceret, nemo omnium erat, apud quem Ampringenius non laboraret invidia atque summo in odio esset." Sed multo fuit aliter. Dum enim an. 1679. contagiosa lues Hungariam divexaret, sponte sua tutiora quaesiturus, Mergenthalium in Franconiam secessit, vitam magis quietam ibidem transacturus. Si Ampringenius acerbius hungaris imperavisset et eo nomine turbas in regno excitavisset, post ejus discessum quieta et sine omnibus turbis perstitisset Hungaria: fatetur tamen sui oblitus autor Palatii loc. cit. pag. 139., quod absente Ampringenio nihilo quietius fuerit regnum turbaeque e turbis identidem nascebantur. Nam Szelepcsényius a statione locumtenentis deturbatus, studiosissime eam sibi iterum adserere laborabat; regnum vero ex praescripto legum

*) Ribaynál: infensi.

**) Ugyanannál: adcumulabant.

patriae proregem sive palatinum postulabat. Pervicit regnum et relicto exoso omnibus Szelepcsényio communi sententia in proregem elegit Paulum Eszterházy, quam electionem an. 1681. in comitiis sopronien-sibus factam, Leopoldus imperator decret. art. 1 lubens confirmavit.

§. 5.

Triplex autem erat verbi divini ministrorum citatio. Primum enim posonienses an. 1672. mense Majo *) Tyrnaviam; dein tres superintendentes evangelici cum senioribus et quibusdam pastoribus inc. comitatuum soliensis, thurocziensis et liptoviensis mense Sept. an. 1673. Posonium; postremo omnes, tam aug., quam helv. confessioni addicti pastores, rectores, collegae et cantores aeque Posonium per Nicolaum Mailáth, fiscum regium, ad diem 5. Mart. an. 1674. citabantur, rationem rebellionis, cujus ab adversariis **) insimulabantur, coram delegato judicio reddituri.

De citatione posoniensi consuli potest Raymundus Rimandus: Von der Pressburgischen Kirchen- und Schul-Verlust.***) Is fuit Antonius Reiserus, augustanus, ecclesiae posoniensis pastor et ven. contubernii evangelici decanus, illius adflictionis particeps et pro veritate exul. Die enim 18. Jul. an. 1672. comes a Kolonics, praeses camerae hungaricae, adductis IV. militium centuriis, qui arbitrio supremi vigiliarum praefecti Nigrelli dirigebantur, templum evangelicum germanicum et hungaricum cum scholis violenter occupavit et tres evangelicorum ministros, Titium, Reiserum et Sutorium, ex sententia Szelepcsényii, in carceres publicos fovea leonis adpellatos, conjecit et Christianum Pühringer, quem autor Fragmentorum cassoviensium rectorem scholae adpellat, ferreis compedibus constrinxit atque 9. Aug. omnes ex terris caesareis demigrare jussit, de quo, aliis quoque videri potest laudatus Reiseri libellus multo elegantissimus. Leutschovienses an. 1674. Posonium citati, maluerunt magnificam illam basilicam, annis 125. usurpatam, cum geminis minoribus aedibus sacris et pretiosa supellectili per Davidem Spielenbergerum et Bartholomaeum Alaudam, senatores, Casparum Zeltnerum †), ordinarium notarium et Danielem Pfanschmidt, tribunum plebis, adversariis resignare, quam

*) Doleschal- és Daxnernél: mensis Maji 10..

**) Ugyanazoknál: falsissime.

***) Ilyen a föntebb idézett munka is: Johann Poguers Verzeichniss et..

†) Daxnernél: Zelnerum.

Posonium ad dicendam causam proficisci. Hanc pactionem a senatoribus initam ita moleste tulit inc. communitas leutschoviensis, ut octiduo circa basilicam excubaret, non admissura, sive antistes Bársony, sive quicunque alius advenerit, ut quae senatores pepigerant, ad finem perducantur; sed magno militum numero, quem dux Volckra exciverat *), territi cives resistere ausi non sunt. Hinc sacram supellectilem resignavit Andreas Londinus**) et David Günther***), senatores et procuratio sacrorum commissa est patribus jesuitis, uti narrat autor Fragmentorum cassoviensium hist. Hung. ad an. 1674., ubi recenset et pretiosam illam supellectilem, quae manibus adversariorum, urgentibus strenue militibus, debebat adsignari. Hanc eorum in resignandis templis facilitatem uti nemo probavit bonus: ita detestabatur vel maxime inc. communitas, primorum populi facilitate huic infelicitati involuta. Glorioşius enim erat vim pati, quam metu impendentis alicujus mali templa tot annis possessa facile resignare. -- De alia et postrema citatione praeter multos alios conferri meretur M. Georgius Lányi in Narratione captivitatis suae an. 1676. edita in IV..

§. 6.

Citati verbi divini ministri et scholarum rectores tanto frequentiores comparuerunt, quanto certiores erant, quod et augustissimo regi suo constantissime fideles, et ab omni seditionis suspicione liberi perstiterint.

Numerus eorum, qui Posonii comparuerant, definiri non potest. Lampius in Historia ecclesiastica ultra 250., vener. autem condam Johannes Simonides, malorum illorum socius, in peculiari manuscripto, quod ad manus est, circiter 400. convenisse adnotavit. Sed mea sententia, haec facili admodum negotio conciliari possunt. Lampius enim, quantum judico, solos ministros definire voluit; Simonides vero omnes, sive pastores, sive rectores, sive collegae fuerint, complexus est. Ii, qui citati non comparuerant, omnes ex Hungaria proscripti sunt, qui etiamsi non exiverint, ut tamen vitam servarent, alii in sylvis, in castellis alii, alii in comitatibus turcae subjectis latitarunt. Trans Istrum in castello asszonyfalvensi, quod demum jubente Kolonicsio, supposito pulvere, in partes dirutum fuit, apud kis-honthenses in sylvis multi vitam

*) Ribay- és Daxnernél: excitaverat.
**) Daxnernél: Sondius.
***) Ribaynál: Günthler.

servarunt. Quibus turcus imperabat, Posonium transire prohibiti, et qui eos citabant, si capi potuerunt, crudeliter ab eo habiti fuerunt. Vid. Processus in causa praedicantium et contra eos institutus. Eos, qui Posonium citati non comparuerant, proscriptos fuisse omnibus exploratum est. Hinc Georgius Budaeus, Vallis Dominorum minister evangelicus, earum adflictionum socius, in Threnodia sua an. 1690. edita consolidandi*) animi sui causa non sine ratione scripsit:

Proscribat mundus, satanas vel turba maligna
Nil moror! In foveam, quam parat, ipsa cadet.
Pannoniis quamvis bis sim proscriptus ab oris,
Nil nocet! En reserat jam politeuma deus.

Vid. Threnodia ejus centuria 1. decad. VII. thren. III. et VI..

§. 7.

Ii, qui comparuerant, consignatis omnium nominibus, per fiscum regium nominabantur) et erecta contra eos actione, coram delegato judicio regio proclamabantur ***).**

Capita accusationis et multa erant et longe gravissima. Accusabantur enim, quod neglecto dei timore et magistratus auctoritate, sanctos non honoraverint, beatam virginem Mariam despexerint et foedis uxoribus suis comparaverint, imagines sanctorum contumelia adfecerint, sacramentum et ven. corpus Christi pedibus conculcaverint, seditionis publicae causa exstiterint et populum sive auditores suos ad rebellionem excitaverint atque hoc nomine tanquam infideles regi crimen laesae majestatis incurrerint. Multo plura capita accusationis leguntur in Processu adversus praedicantes instituto et adduntur sub finem sequentia: „Propter quae nefanda et enormia eorum scelera perniciososque conatus et molimina idem procurator D. A. petit et postulat, actualiter quidem praemissorum scelerum patratores, uti ven. sacramenti dispersores et conculcatores, in amputatione manuum et pedum, una cum fractoribus imaginum, praeter poenam laesae majestatis in combustione viva ad mentem artic. 4. anni 1523. et Mathiae regis decret. VI. art. 61.; respectu reliquorum vero criminum una cum aliis supernis R. C. et L. in poena criminis laesae majestatis, amissione scilicet capitum et universorum bonorum, quam mobilium, tam immobilium,

*) Ribaynál: consolandi.
**) Doleschal- és Daxnernél: proclamabantur.
***) Ugyanazoknál: accusabantur.

ubicunque intra ambitum regni Hungariae et partium ei subjectarum, habitorum et existentium, fisco regio adplicandorum, vi legum patriae, signanter Stephani regis decret. II. cap. 37., Sigismundi decret. I. ad frontem et calcem petitorum et ejusdem decret. III. art. 19. ac aliarum legum superinde sancitarum, judicialiter convinci et aggravari, reservando suam ulteriorem facultatem." Hinc quisquis es, facili admodum negotio cognoscas ex ungve leonem. Dum haec et reliqua miseri protestantium pastores intellexissent*), processum juris omnibus rationibus declinabant, non quod malorum horum sibi conscii causae diffiderent, sed quod indignum judicaverint et non satis conveniens, subditos cum rege et servos cum domino jure contendere. Adhaec praevidebant facile, etsi centum advocati causam eorum egerint, nihil aliud sperari posse, quam quod prius de iis fuerat constitutum. Nam plus spei**) amittit, quam retinet, qui cum fisco litigare jubetur, uti Veracius Constantius miles hungarus in Animadversionibus suis ad punctum XV. ex vero adnotavit. Meretur in hanc rem conferri: Speculum Hungariae, declarans lucidissime omnes filiorum perditorum et degenerum naevos, editum a filiis Hungariae genuinis in partibus transtibiscanis an. 1675.. Scriptum breve quidem, sed admodum acre, quale eo tempore laesa postulabat patientia. Si quis enim protestantium qualicunque demum ratione in honorificentissima nomina sanctorum peccasse videatur, quod alias religio evangelica non admittit, statim ad cruces, gladios, tormenta et virgas rapi debet, quod femina quaedam daróczensis experiri habuit necessum. Accusata enim, quod beatam virginem Mariam absque peccato non fuisse adseveraverit, etsi nulla ratione, factis etiam magistratus inquisitionibus, convinci potuerit: tamen aliis, ut dicunt, in exemplum, innocentissima virgis ad cruorem usque caesa fuit, cum ipsi suos non raro deum optimum maximum blasphemantes levi admodum poena adficiant. Circa an. 1713.***) Johannes Litterati, gyöngyösiensis romano-catholicus et eo tempore inc. comitatus hevesiensis et exterioris Szolnok judex nobilium, effervescens in quosdam incolas pagi Poroszló, qui in inc. comitatu hevesiensi situs est, postquam multis conviciis eosdem adfecisset et illi, ne id fiat, per adorandum nomen Jehovae eum fuissent obtestati, in tam horrenda verba pro-

*) Doleschal- és Daxnernél: audiverunt.
**) Ribaynál: saepe.
***) Ugyanannál: 1721.

labi non reformidavit, ut impientissimo ore suo diceret (parcat mihi scribenti deus): „Stupro ego animam Jehovae vestri.“ Quo cognito Stephanus Orczy, ordinarius vicecomes, in hoc negotium sollicite inquiri jussit et eum propria fassione convictum in pecunia tantum mulctavit, eo nomine, quod dixerit se nescivisse, quid nomen Jehovae significet? Hoc uti nemo prudens credit, cum haec adpellatio apud hungaros multo sit frequentissima: ita quod magistratus romano-catholicus neglexit, deus vindicavit et blasphemum illum nebulonem perditione mentis ultus est, ut misere perire necessum habuerit, quod protestantes coram exc. commissione pesthiensi an. 1721. documentis multo certissimis confirmarunt, uti ex actis commissionis luculentissime cognosci et intelligi potest. Si verum est, quod nesciverit, quid nomen Jehovae significet, vel hinc facili opera conficitur, quod tales stupidos homines propterea publicis officiis admoveant, ut subtili hac ratione protestantes ab administratione publicorum officiorum arceantur. Hac nostra aetate, quod posteritatis causa scribi debet, ita inolevit haec consvetudo, ut non raro homines obscurae gentis et nullorum meritorum eo nomine, quod romano-catholici sint, assessores tabulae judiciariae constituantur, evangelicis et helveticae confessioni addictis prorsus neglectis, qui tamen et antiquitate generis, et gloria majorum, et eruditione legumque patriae cognitione infinitis eos modis antecedunt. Hoc multis exemplis evidentissime confirmari posset: sed neque consultum est, neque satis opportunum. Advertet hoc procul dubio sequutura posteritas et non sine religione detestabitur.

§. 8.

Postquam ad rem ventum fuisset, adversarii capita accusationis, dubiae, imo nullius fidei litteris Stephani Vitnyédy ad Nicolaum Bethlen mense Majo an. 1668. *) et ad Ambrosium Ketzer eodem anno die 30. Dec. Posonio datis confirmare nitebantur.

Litteras Vitnyédianas hic adscribere opus non est, cum tanquam obsoletae merces omnibus fere cognitae sint. Legi possunt in Johannis Lapsánszky, archiepiscopi secretarii, Gerichts-Auszug, editionis postremae anni 1683. p. m. 17. sq. et in sterquilinio illo Martini Birónis, quod Enchiridion adpellavit et an. 1750. imprimi curavit pag. 197., 198. sq.. Has postquam iniquus in veritatem Biró loc. cit. recitasset, pag. 199. familiari sibi barbara dicendi ratione in haec ver-

*) Doleschal- és Daxnernél: Eperjesino.

ba erupit : „Verecundatus et anxiatus sum nimis haec referre.“ Nec sine ratione. Noverat enim procul dubio crassa haec et ad orcum damnata mendacia ad divexandos in Hungaria protestantes et proscribendam religionem evangelicam conficta fuisse et ex quolibet verbo otioso, tanto magis in pernitiem proximi mala fide excogitato, rationem reddendam esse; Matth. XII. 36.. Omnes enim eruditi hungari, ne romanocatholicis exceptis, suppositítias has Vitnyédyi epistolas et deriserunt antehac et detestantur adhuc. Hinc cum citatis Posonium ministris in delegato illo judicio praelegerentur, eas admittere neque voluerunt, neque potuerunt unquam. Mentitur ergo in collum suum Lapsánszky, qui in Gerichts-Auszug scribit, nostros epistolas has pro genuinis agnovisse. Omnes enim, cum iis litterae Vitnyédianae proponerentur, uno animo et ore conclamabant: „Nihil horum nobis conscii sumus,“ uti adnotavit Jobus Kresztyanszky loc. cit. pag. 25.. Si enim documenta eorum temporum et confictas litteras meliore cum conscientia consideramus, facili admodum opera suppositítias fuisse, neque ad condemnandos ministros evangelicos valuisse evincimus. Enim vero ex sententia legum regni et omnium jurisconsultorum judicio testimonia in casibus arduis non debent esse suspectae fidei et obscura, sed clara, authentica et sufficientia. Litterae Vitnyédianae, quibus nostri intentatae rebellionis accusabantur, sunt, quod scimus, suspectae fidei, quia*) in Transylvania furto ablatae et per cujusdam praedicantis filium in Hungariam adlatae perhibentur, cum tamen neque praedicantis, neque filii ejus nomen adsignetur, quod cum magno charactere adversarii recognovissent, si potuissent: metuebant tamen, ne fictus ille tabellarius pretio mille imperialium conductus, tanquam infelix sorex se prodat. Quis enim ita vesanus est, qui credat litteras, quibus et vita, et honestas, et omnes hominis facultates praesentissimo periculo exponuntur, quasi in disco solari positas uni abjecto miseri praedicantis filio creditas fuisse et sive vivo, sive mortuo domino auferri potuisse. Tales enim proditores uti vitam amant: ita ne quid de clandestinis eorum consiliis aliis innotescat, sollicitissime provident. Hinc mendacissimus est et post acerbum funus litterarum Vitnyédianarum compilator**). Adhaec testimonia ex litteris Vitnyédianis contra nostros prolata non fuerunt clara, quia in cifris, ut additur, scripta et per aliquem Nádasdyi amicum exposita fuisse adseruntur, qui num albus vel ater fuerit aut ste-

*) Doleschal- és Daxnernél: uti Lapsánszky scribit loc. cit..
**) Ribaynál: confector.

ganographiam ex vero intellexerit? nemo est, qui nos condocefacere possit, alias si quis fuisset, proprio nomine insignitum non sine prolixa laudatione commendavissent posteritati: quia tamen nullus fuit, silentium! Ex his facile est arbitrari, testimonia illa neque authentica fuisse, neque sufficientia. Non authentica, quia, uti demonstratum est, suspectae sunt fidei; non sufficientia, quia unius testis testimonio ex lege nemo condemnatus fuit. Nam vetus est axioma: unus testis proficit, sed non sufficit, quia vox unius est vox nullius. Hic autem conficta unius Vitnyédyi epistola tot tantosque ministros evangelicos ad infelices triremes condemnavit. Haec omnia ex odio religionis facta fuisse, evidentissime commonstrari potest. Nondum enim innotuerant supposititiae Vitnyédianae litterae, dum ministri posonienses a statione sua deturbarentur, et sempronienses, etsi ad excitandam rebellionem dispositi adserantur, in pace relinquuntur, qui, si litterae genuinae fuissent, ex praescripto legis eidem cum reliquis poenae subjici debuissent. Nam unum idemque crimen eandem poenam deposcit. Adhaec rudem esse oportuit litterarum Vitnyédianarum compilatorem, qui miseros thurocziences, optimos quidem viros, commemorat, cum tamen in superiori et inferiori Hungaria multo nobiliores nominare potuisset, et superintendentum facit mentionem, qui tamen iis temporibus, propter continuas divexationes, ne hiscere quidem audebant, viri omnium adflictissimi, quod ex Commentatione mea de superintendentibus evangelicis in Hungaria luculentissime intelligi potest. Quomodo enim superintendentes seditiones moliri*) potuerunt, qui non fuerunt? Nam antequam litterae Vitnyédianae innotuissent, Kalinkius et Tarnóczyus in exilium consenserunt, Zabojnikius Beczkovia pulsus Carponae an. 1672. in exilio mortuus, Liefmannus Cassovia an. 1673. exturbatus et Stephanus Fekete, transdanubianus superintendens, primum ad carceres, dein ad triremes condemnatus fuit. Post comitia soproniensia et felicem Philippi Heutschii obitum, unicus in Hungaria fuit superintendens, Jacobus Zabelerus senior, bartphensium pastor, an. 1686. inauguratus, qui tamen an. 1699. 30. Jan. occasione restaurationis amplissimi magistratus bartphensis mandato caesareo-regio per Stephanum Kalmanczay, recuperatorem cameraticum, etiam cum filio ejusdem nominis, ibidem archidiacono, a statione deturbatus, triste subire exilium coactus fuit et in variis locis latitans, cum praesentissimo periculo officium superintendentis administrabat. Nam per

*) Ribaynál: seditionis argui.

quadriennium, quod ei in exilio transigendum erat, 45. viros in diversis locis sacris ordinibus initiavit. Johannem enim Blaho ad ecclesiam palojtensem vocatum an. 1699. ad fluvium Gölnitz, Johannem Keresztúry, ecclesiae nemesaniensis candidatum, eodem anno in Scepusio, Johannem Simonidem, alias Taploczay *), futurum ecclesiae padariensis ministrum, an. 1700. in Girald, Eliam Augustini, per schemnicienses ad functionem ecclesiasticam invitatum an. 1701. in Zsalman et Paulum Severini, Sztregova neogradiensem, in ministrum ecclesiae bagyanensis an. 1702. in Kukovo **) renunciavit. Unde de exulceratis evangelicorum temporibus conjicias. Accedit, quod paucissimi, imo vix aliqui reperiebantur ministri, quibus Vitnyédy aut Ketzer vel nomine fuissent cogniti. Praeterea suspectam et mendaciter confictam litterarum fidem vel hoc unicum prodit, quod in utroque exemplari ministri evangelici praedicantes adpellentur, quo nomine patroni evangelici verbi divini ministros suos neque adpellant, neque adpellabant unquam. Hic se prodidit sponte sua mendacissimus sorex. Hinc vel ex his facile colligi potest, autorem litterarum Vitnyédianarum romano-catholicis sacris addictum fuisse, quibus in more est ministros evangelicos ***) praedicantes adpellare, quamvis sine omni dispendio, quia et Christus erat praedicans, Marc. I. 21., qui non misit discipulos, ut barbare loquar, missificare, sed praedicare, Marc. XVI. 15.. De his mendacibus litterarum confectoribus merito dici potest, quod Horatius in Arte poetica in tales ex vero scribit :

Delphinum sylvis adpingunt, fluctibus aprum.

Hinc qui litteras Vitnyédianas genuinas esse arbitratur, aut rerum ecclesiae evangelicae juxta cum ignarissimis ignarus, aut cum perfida malitia stultus est. Nam omnium eruditorum sententia: Insanus est, qui verum profiteri non vult.

§. 9.

Quae dum aguntur, etsi nullius mali sufficienter convinci potuerint: tamen multis variisque modis omnes, qui aderant, ad subscriptionem reversalium compellebantur.

Reversales, stylo curiae hungaricae, erant litterae, a parte adversa conscriptae, quae subscribentes, cum praevia criminis confessione, ad poenam obligabant. Hinc an. 1673. citati, non tantum superinten-

*) Ugyanannál: Tapolcsányi.

**) Ribaynál: Kokava.

***) Dolescha l-és Daxnernél: contemptim.

dentes Joachimus Kalinkius et M. Martinus Tarnóczy, sed et aliqui*) pastores talibus reversalibus subscripserunt, ea cum conditione**), ut alii domi manserint, alii in exilium consenserint. Hinc aliae emigrantibus, aliae domi manentibus scribebantur. Emigrantes cum confessione criminis se nunquam ab exilio, nisi consentiente augustissimo imperatore, redituros pollicebantur, et domi manentes se omni prorsus ministerio sub amissione capitis abdicabant. Exemplar utriusque videri potest in M. Georgii Lányi Narratione captivitatis suae statim sub initium. Hinc reversales, quas Johannes Sextius in Animadversionibus suis contra Lányium pag, 29. adducit, eruditis suspectae videntur, uti et sunt, quod vel hinc facile conficitur, quia nullum exemplar reversalium absque confessione criminis, praeter Sextianum, repertum fuit unquam. Conferri potest in hanc rem Historia Leopoldi M., quam inducit autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1675. pag. 382., ubi dicitur, caesarem in ministros latam mortis sententiam lenivisse ea cum conditione, si propria manu levissimo cautionis genere confiterentur delicta et corrigerent, quod et facere necessum habuerunt in haec verba: „Fateor me munere meo graviter abusum et initae adversus caesarem conspirationis participem fuisse"; vid. autor Fragmentorum cassoviensium loc. cit.. Nam quamvis an. 1674., dum ministri durioribus illis reversalibus subscribere noluissent, adversarii eas saepe saepius immutarint, contraxerint et multo placidiores effecerint: nunquam tamen ita conceperunt, quin conscientiam vulnerare posse viderentur. Hinc etsi Georgius Széchenyi archiepiscopus colocensis, Johannes Majthényi personalis et Johannes Ghillány privatim et blandis saepe verbis ministros ad subscribendum inducere elaborarint: erant tamen circiter 300., ut scribit loc. cit. Simonides, qui subscriptioni constanter repugnabant, partim quod nihil mali sibi conscii, vim conscientiae inferre noluerint; partim quod ministerio, ad quod legitime vocati erant, sponte et sine sufficienti ratione se abdicare non potuerint; partim quod libertates patriae manu sua foedare et templorum evangelicorum ademtionem tacite confirmare iniquum existimaverint. Hinc plurimi ministrorum mori potius maluerunt, quam subscriptione sua veritati evangelicae jacturam conciliare, nulla facile ratione reparandam. Ita igitur sentio, salvo omnium aliorum judicio, eos, qui reversalibus quibuscunque demum subscripserunt, debiliores

*) Ugyanazoknál: reliqui.

**) Ugyanazoknál: distinctione.

offendisse, libertates evangelicas in praesentissimum discrimen adduxisse et adversariis constantes veritatis confessores licentiose divexandi occasionem praebuisse, quod num sine maximo conscientiae vulnere fieri potuerit, aliis existimandum relinquo. Conf. M. Georgii Lányi Funda Davidis anni 1676. et Clypeus veritatis a M. Georgio Gassitio et Christophoro Mazsario an. 1677. editus in IV.. Erat inter reversalistas vir quidam senex, qui admissa subscriptione barbas misellus senecio vellicans, complicatisque manibus Posonii sic lamentabatur: „O nos misellos infelices! quid fecimus? En quot myriadibus animarum januam ad damnationem aperuimus.“ Gassitius cum Mazsario loc. cit. pag. 23.. Andreas Urbanovics tantis post subscriptionem reversalium conscientiae stimulis angebatur, ut postero statim die secretarium regiae tabulae accesserit et nisi nomen ejus expungatur, brevi se vel in Danubium praecipitaturum, vel laqueo vitam finiturum edixerit. Expuncto ejus nomine laetus abibat, alios a subscriptione sollicitissime dehortabatur, dicens: „se malle mille mortes subire, quam morsus malae conscientiae persentiscere“, quae in actis posoniensibus totidem verbis descripta sunt. Vide Helleborum subscriptionistarum sect. IV. quaest. I. et Georgius Budaeus, Vallis Dominorum ecclesiastes, in Threnodia sua cent. I. dec. V. thren. X. horum conscius ita scribit:

Ah utinam nullus nomen calamumque dedisset!
Aurea libertas quam modo clara foret.
Vae! quia complures ambobus vota dedere,
Aurea libertas jam modo nulla nitet.

Mea sententia non sine ratione haec adscripsit. Nam si absque reversalibus ex Hungaria propulsati fuissent, nullum eorum crimen, nullum foret ecclesiae evangelicae praejudicium. — Iis temporibus pari periculo involvebantur ministri cremnicienses, de quibus idem Budaeus cent. II. decad. III. thren. II. ita adsignavit:

Tunc capti fuerant pastores cremnicienses
Graffius in Litavam, Schönius ac alii.
Non salvus passus camerae regis juvat illos,
Carceribus tractos taxa sequuta gravis.
Talleris centum numeratis carcere missi,
Vexati miseri frigore, fame, nece.

Hos, qui violentos carceres passi sunt, deliquisse nemo existimavit: reversalistas tamen peccavisse neque ipsi poterant diffiteri. Cum enim

rev. Blasius modificatas suas reversales Vitembergae excusasset, rev. Csehius, pastor libethensis, publice respondit: „Satis est nomina nostra duntaxat eo tradidimus et eo ipso peccavimus.“ Vid. Helleborus subscriptionistarum pag. 105.. Aliorum testimonia prudens taceo, ne nomina eorum aeternum crucifigantur.

§. 10.

Judices dum illa, quae optabant, obtinere non potuissent, ministros die 4. et rectores 6 mensis April. an. 1674. ad mortem condemnarunt, cum omnium bonorum amissione et perpetua ad omnem posteritatem ignominia.

Diuturnioris morae pertaesi judices, dum excelsa sedes non sine magnis sumptibus ibi commoraretur, sententiam in ministros ferre decreverunt; prius tamen, quam id factum est, omnes in maximo archiepiscopi palatio adesse jubent, ea cum declaratione, ut qui domi manere et reversalibus subscribere voluerint, ad dextram, qui exilium cum subscriptione elegerint, ad sinistram consistant, qui vero in neutrum consenserint, extra palatium se contineant. Sed cum omnes in locis suis consisterent, neque ex eorum sententia separari vellent, lata fuit demum in eos, quam audivimus, sententia. Hinc non sine ratione ex innocentissimis captivis non nemo an. 1674. conscripsit in hunc modum:

Quartus Aprilis erat *) toto memorabilis aevo,
Qui voluit servos mortificare dei.

§. 11.

Post latam in 300. fere viros Posonii congregatos sententiam, condemnati omnes duobus propemodum mensibus sub custodia detinebantur et intra pomoeria urbis constituti, extra muros egredi non audebant.

A die 4. April. ad 29. mensis Maji perdurabat custodia; interea non tantum ii, quorum in antecedentibus facta fuit mentio, sed vel maxime camerae posoniensis advocatus, Persitz, variis modis jam condemnatos ad subscriptionem sollicitabat, reversales emolliebat et saepius, non rogatus, duos vel tres dies ad deliberandum concedebat.

§. 12.

Frustra tentata his etiam modis **) subscriptione, praecipui 4. reformatorum ministri, papensis, Stephanus Séllyey, superin-

*) Dolcschal- és Daxnernél: erit.
**) Ugyanazoknál: temporibus.

tendens; fülekiensis, Stephanus Miskolczy; veszprimiensis, Stephanus Bátorkeszy et levensis, Petrus Czeglédy, compedibus constricti, aliis in terrorem, ad arcem posoniensem abducti fuerunt, quibus paucos post dies M. Georgius Lányi, rector scholae carponensis, evangelicus, quod loquentem archiepiscopum interpellarit, adjunctus fuit.

*) Dum hi calvinianorum ministri ad archiepiscopum vocati subscribere nollent, ad praesidem camerae, Leopoldum a Kolonics, missi, in aula ejus compedibus constringuntur.

§. 13.

Die 29. Maji ministri evangelici a calvinianis ad mandatum archiepiscopi separabantur et dum subscribere recusarent, in carceres conjiciebantur; post tres vero circiter horas, numero XII. educti et currui impositi Tyrnaviam primum, dein qui constantes erant, cum aliis compluribus utriusque religionis Leopoldopolim, Comaromium, Berencsinum, Eberhardinum, Sárvárinum et Kapuvárinum ad carceres deducebantur.

Persitz, advocatus camerae posoniensis, in diversorio ad Album equum, lutheranos a calvinianis separavit et XII. illis currui impositis carnificem cum XII. restibus adjunxit. Qui cum praesenti sibi animo currui insiderent, ita Leopoldus a Kolonics turbabatur, ut elevato baculo prominentia de curru ministrorum capita percusserit **); Persitz vero scelerato ore suo eos contumaces diaboli martyres adpellaverit. Ubi ad locum supplicii ventum esset, carnifex instrumenta sua disponebat, vel eo nomine ministros ad subscriptionem provocaturus; sed cum nihil proficeret, adflictos Tyrnaviam devehebat, ubi Johannes Hodikius a sacris evangelicis descivit. Die 3. Jun. XVII. ministri evangelici et unus calvinianus Tyrnavia Leopoldopolim devecti et 7. mensis Jun. XXI. calviniani prioribus adsociati et ***) angustissimo carceri inclusi fuerunt. Dein Berencsinum 5., Comaromium 20., Sárvárinum primum 8., dein 7., Kapuvárinum 7. et ad castellum episcopi Eberhard 6. diversis temporibus fuerunt deportati.

§. 14.

Quantis cruciatibus innocentissimi ministri in his carceribus

*) A következők csak Doleschal- és Daxnernél vannak meg.

**) Doleschal- és Daxnernél: percutere coeperit.

***) Ugyanazoknál: eidem.

obnoxii fuerint, neque percenseri satis, neque pro dignitate explicari potest. Supra sortem enim et conditionem sceleratissimorum quorumque captivorum divexabantur.

Quae scribuntur vel hinc facili admodum negotio intelligi possunt, quod alii sceleratissimi captivi ad labores nonnisi summa exigente necessitate educebantur; ministri protestantes quotidie aliis atque aliis adfligebantur. Aliis captivis amicos admittere liberum fuit; ministri neque profusissimis lacrymis id poterant impetrare. Alii, si quam ad manus habebant pecuniam, quidquid libuit, facili negotio poterant comparare; ministris protestantium ne parato quidem aere extremae necessitati occurrere permissum fuit. Reliqui captivi ex ordine ad exquirendam stipem extra fortalitium mittebantur; ministris nostris extra labores demandatos pomoeria fortalitii sub poena capitis egredi et collata intra fortalitium vel minima beneficia acceptare vetitum fuit. Certe propter porrectam particulam panis haud raro periclitabantur. Omnes, quotquot erant, reliqui captivi, in templum transire non cogebantur; ministri, etsi noluerint, ad cruorem usque percussi, opera militum vel inviti compellebantur. His addebantur labores sine omni cessatione longe molestissimi. Praeterquam enim quod omnes pro lubitu miseros divexabant, etiam in dies novis adfligebantur laboribus, personis ministerioque illorum indignis. Nam compedibus constricti latrinas expurgabant, sterquilinia evehebant, fundamenta murorum effodiebant, frumentum in granariis intra copiosissimos pulveres ventilabant, arenam evehebant, aggerem contundebant, areas, quae vitium fecerant, reparabant, aquam ex puteo haustam sine omni necessitate hinc inde deportabant, fossas cum maximo vitae periculo effodiebant, vias a luto repurgabant, lapides magnae molis, dum recens murus aedificaretur, bajulabant. Dum alii diebus festis quiescerent, ministri laborabant, imo dominica septuagesimae usque dum in templum itum est, primo diluculo cum palis et ligonibus ad labores extrudebantur. Aestate, ubi nulla umbra fuit, hyeme, ubi maximum saeviebat frigus, laborare cogebantur, ignem componere prohibebantur, et nulla sive aetatis sive infirmitatis habita ratione, ad molestissimos labores compellebantur. Adflictioni huic addebat non parum tenuis et exilis victus. Nam ex praescripto camerae hungaricae exigua particula panis et aqua *) contentos esse oportuit. Si quando clam miseri captivi carnes comparabant, eae intra praeparationem spurcis rebus contaminabantur. Nam milites pediculos et turpissima quae-

*) Dolcschal- és Daxnernél: aquae.

que injiciebant et ex indultu colonelli saepe edulia, captivis adportata, inter se distribuebant. Nemo captivis, poenas veritus, benefacere ausus fuerat, quod Leopoldopoli rusticus, in terram clam demittens cepas, et femina, panem adportans, experiri habuerunt necessum. Ille enim plagas accepit, haec numellae inclusa per duas horas, mense Februario, fere nuda circumducebatur et carceri tandem cum captivis includebatur. M. Thomas Steller, conrector neosoliensis, propter litteras ab amico *) ejus scriptas, quas in aula colonelli interceperant, a septem militibus, ter quiescentibus, **) ita percussus fuit, ut vestis, qua indutus erat, in frusta et particulas ab ictibus baculorum disjiceretur et ille mortuo similis relinqueretur, qui tamen omni medicorum ope destitutus singulari dei providentia***) convaluit, ulterioribus passionibus et molestiis relictus. Hoc excruciabat miseros captivos non parum, quod dum Venerabile, ut loquuntur †), ad infirmos deportaretur aut missa eorum ††) celebraretur, adesse et genua flectere adigebantur, quod quia facere recusabant, sclopis militum cogebantur, in terram dejiciebantur et adjuvantibus jesuitis crudelissime percutiebantur. Testis horum est apud deum rev. Gregorius †††) Illés alias Héli dictus, venerandus senex, in abductione ad triremes inter crudelissima verbera in itinere mortuus, qui ante eductionem in labore constitutus, dum in transitu jesuitae genua flectere noluisset, a rectore Johanne Bene claudo, insigni diaboli instrumento, vulneratus sangvinem profudit multo copiosissimum. Carceres erant omnes squalidi et omni ex parte difficiles, in quibus captivi saepe injecto pulvere pyrio et aliis mille modis adfligebantur, frigore, fame et siti macerabantur, ad opera naturae perficienda exire vetabantur, deum cantu celebrare prohibebantur et dum precibus suis augustissimum imperatorem deo commendarent, eum latratu illo canum opus non habere, audire cogebantur; et quis est, qui unius tantum carceris difficultates percenseat? Profecto nullus erat sensus, qui vel ad momentum intensissima adflictione carere potuisset, uti laudatus Simonides in dicto manuscripto suo, omnium miseriarum particeps, confitetur. Nec aliter in his rerum circumstantiis fieri potuit amplius. Ubi enim nullus

*) Ribaynál: ad amicum.
**) Ribaynál: 600. ictibus.
***) Doleschal-és Daxnernél: munere.
†) Ugyanazoknál: ut papistae dicunt.
††) Ugyanazoknál: pontificia.
†††) Ribaynál: Georgius.

judicum candor, ibi nulla justitia, ubi nulla justitia, ibi nulla misericordia, ubi nulla misericordia, ibi inevitabilis adflictio et miseria, uti cum ratione existimabant in Speculo Hungariae an. 1675. edito genuini filii Hungariae in partibus transtibiscanis. De his si quis plura legere velit, consulat praeter Lampium l. c. Johannis Henrici Heideggeri Historiam papatus periodo VII. a §. 300. ad 320., Johannis Simonidae Exulem praedicamentalem et ejus atque Tobiae Masnitii Scholam crucis et lucis in Italia 1675. praesentatam, Joh. Simonidae Collegium apostolicum, M. Georgii Lányi Narrationem captivitatis et Tridentem romanum, quo romano-catholici utuntur in evertendis lutheranis anno 1675. adumbratum, quod scriptum in manuscripto ad manus est. Hinc facile est existimare omnibus, verissimum id esse, quod Lutherus tomo III. jenensi latino fol. 273. prudens adnotavit: „Difficile est munus praedicare. Nam praedicare verbum dei nihil aliud est, quam derivare in se furorem totius inferni et satanae, deinde omnium sanctorum in mundo et omnem potentiam mundi. Est autem periculosissimum vitae genus tot dentibus satanae se objicere.“ Didicerunt hoc experiendo tempore divexationis hujus ministri protestantium, qui non alias, quam mancipia de lapide vendita et emta vel in carceres compingebantur, vel ablatis prius bonis in triste exilium pellebantur, uti cum dolore queritur rev. Tobias Masnitius in Synopsi vitae et fatorum ven. soceri sui Andreae Sartorii an. 1679. 12. Jun. apud transylvanos in exilio beate mortui. Ven. huic viro sequens positum fuit epitaphium:

Hungara me genuit tellus, patriaque fugavit
Papa, hic trans sylvas me mea busta tenent.

Vid. Threni dispersae Sionis hungaricae, qui prodierunt Vitembergae an. 1680. in IV. typis Johannis Borchardi acad. typographi.

§. 15.

His non auditis a hominum memoria adflictionibus procuratum fuit, ut aliqui dei et melioris conscientiae obliti a sacris, quibus innutriti erant, deficerent, dum placidiora essent tempora, iterum coetibus suis restituti.

In carcere comaromiensi, si tres exceperis, Nicolaum Bugany, ecclesiae gömöriensis, Stephanum Zedenyi *), dörgicseiensis ministros

*) Doleschal- és Daxnernél: Zedinyi.

evangelicos, et Basilium Kopetsy *), szkárosiensem pastorem calvinianum, omnes numero XVII. ab agnita semel veritate defecerunt, et in publico praesidii templo religionem evangelicam ejurarunt, quos omnes, sed non satis distincte, recitat Lampius l. c. pag. 809.. Tyrnaviae, uti dictum est, Johannes Hodikius idem fecerat et Eberhardi ministri calviniani tres. Adhaec Leopoldopoli evangelici 3., reformatus 1.; Sárvárini evangelicus 1., calvinianus 1.; Buccarini evangelici 7., calviniani 3.. Buccarini ex lutheranis a fide, quam professi sunt, desciverunt: Stephanus Mensatoris, Johannes Raphanides, Johannes Czabanyi, Johannes Glogovius, Johannes Rohácsius, Philippus Johannides et Johannes Csutka, qui omnes, quod scio, post funestam conscientiae divexationem, inglorii mortui sunt. Ex calvinianis, eodem carcere fracti, a fide defecerant: Johannes Gömöry panyithensis, Stephanus Szentpétery jánosiensis et Johannes Szalay runyensis ministri. Fuerunt igitur in universum omnes lutherani XXIX., calviniani VIII., omnes fere, uti monitum fuit, post liberationem praevia, seria et publica poenitentia facta evangelicis restituti. His omnibus mille vicibus deterior erat infamis ille neosoliensium pastor primarius, Elias Gresner, qui statim, ac de citatione ministrorum audivisset, proletaria levitate religionem evangelicam ejuravit atque demum moriturus, belluino boatu infelicem animam exhalavit **).

CAPUT III.

DE

ADFLICTIONUM HARUM AUCTORIBUS.

§. 1.

Auctores adflictionum harum et promotores diligentissimi erant:

1. Georgius Szelepcsényi, archiepiscopus strigoniensis et mortuo prorege locumtenens per Hungariam et judicii posoniensis extraordinarii praeses, fere octogenarius senex.

Hic ipse ad Clementem X. pontificem romanum an. 1675. in haec verba scripsit: „Quatuor annorum intervallo in uno sanctioris meae dioecesis tractu tria supra sexaginta hominum millia, varie errantia, ad gregem Christi semet adjunxere.“ Vid. Archiepiscopi

*) Ribaynál: Kopeczy.

**) Daxnernél: exhalavisse perhibetur.

strigonienses compendio dati pag. 137.. Dolendum, quod non fuerit confessus, uti confiteri ex aequo debuisset, quod non praedicatione, sed coactione, non epistolice, sed pistolice eos adjunxerit. Nam etsi octogenarius fere erat: tamen ministros calvinianos in castello suo eberhardensi, dum reversalibus subscribere nollent, malleo et securi adeo contudit, ut rev. Stephani Némethy brachium luxatum inutile fere reddiderit. Vid. Lampe l. c. ad an. 1674.. Cum maxima et pessima quaeque moliebatur, ad lectum se componebat et quibus infensissimus erat, eos risu et blandis verbis absolvebat.

2. Georgius Széchenyi, archiepiscopus colocensis, in persvadenda reversalium subscriptione ut quam plurimum operosus *).

Hic omnium fere archiepiscoporum ditissimus non satis se aequum judicem praestitit, dum capitis damnarentur reversalibus subscribere recusantes. Postquam enim lata fuisset condemnatoria illa sententia, uti notavit l. c. Lampius, haec protulisse fertur: „Nebulones neque gratias egerunt pro sententia lata," cum tamen neque aequum fuerit, neque ab innocentibus salva conscientia praestari potuerit. Contra hunc et status Hungariae in comitiis semproniensibus variis nominibus questi sunt, uti patet ex Actis comitiorum pag. 69. sq..

3. Leopoldus a Kolonics, cardinalis et episcopus neostadiensis in Austria, camerae posoniensis hungaricae praeses et judicii delegati director.

Nemo fuit ministrorum utriusque religionis, qui non de crudelitate Kolonicsiana fuerit questus. Quidquid enim archiepiscopus Szelepcsényi definivit, hoc cardinalis Kolonicsius magna cum acerbitate exequutus est. Certe cum XII. ministri evangelici ex carcere posoniensi Tyrnaviam abducendi imperterrito animo currum ipsis avehendis destinatum conscenderent, capita innocentissimorum hominum contundere veritus non fuit, uti in antecedentibus adnotatum est. De hoc ex vero autor Historiae Leopoldi M., ut in Fragmentis historiae Hung. ad an. 1675. pag. 460. legitur, pronunciavit: „Kolonicsius inprimis atrociter lacerabatur **), velut praecipuus crudelis persecutionis auctor, perpetuus idem lutheranorum et juratus hostis. Publico enim acatholicorum flagrabat odio ob inplacabiles cum haeresi inimicitias," ut loc. cit. pag. 553. scriptum est. Nobis ad solatium satis est, quod ipse autor

*) Doleschal- és Daxnernél: occupatus.

**) Ribaynál: laborabat.

Historiae Leopoldi M. sua sponte recognoscat, crudelem fuisse illam persecutionem. Num is laudem sanctissimi praesulis meruerit, quam ei autor Rei litterariae Hung. Cassoviae an. 1735. editae pag. 18. adtribuit, totus ambigo. Mea sententia melius ille in ordine equitum melitensium, cui nomen dederat, pugnare, quam de veritate religionis judicare didicerat, homo, quod omnes sciunt, sacrarum litterarum prorsus ignarus. Crudelitatem et impotentem animum ejus experti sunt posonienses, qui templum proprio et amicorum sumtu an. 1636. vere ineunte aedificare coeperant et anno sequente 1637. mense Decemb. consummatum sacrosanctae trinitati dedicaverant, uti luculentissime docet inscriptio :

Sancta trias domus haec tibi sancta est numine nomen
Et tua conserva dogmata sacra trias!

ejus tamen sangvinolentis consiliis ereptum est, etsi 34. annis templum hoc in potestate habuerint evangelici! An. 1672. elaborante illo melitensium castellano, jussu imperatoris Leopoldi ejus possessione decedere jussi, Kolonicsio idem tradere cogebantur, quod ejus auctoritate societati Jesu adtributum et salvatori dedicatum fuit. Is etsi semel atque iterum frustra tentarit societatem jesuitarum Günsium inducere: tamen an. 1675.*) mense Nov. regia auctoritate aedem S. Jacobo sacram ibidem extorsit et cum paroecia simul jesuitis adsignavit atque proprio et Georgii Széchenyi censu tres vicinas domos ad construendum ibi gymnasium eripuit. Rationem crudelium destinationum ejus injurius in deum et fidelis ejus Fragmentorum hist. Hung. compilator hanc addit pag. 486., ut opportune ad extorquendas tartareis spiritibus animorum praedas procurrerent**) apostolici viri. Hic uti protestantes tartareis spiritibus procul omni dubio adsimilat: ita ipse et cum laudato praesule omnium judicio tartareis aquis dignus est. Vide lector benevole! egregiam propagandae religionis industriam et cum ratione prudens aspernare et castellano illi melitensium etiam post fata indignari noli. Habet enim judicem cum omni aequitate judicaturum.

4. **Thomas Pálfy, Nicolaus Mailáth et Georgius Bársony.**

Thomas Pálfy fuit episcopus nitriensis et regni Hungariae cancel-

*) Hibásan 1673. helyett. Lásd : Új magyar muzeum. 1857. 197. s köv. l..

**) Ribaynál: operarentur.

larius, Koloniesio, ut confitentur captivi, multis modis modestior et ad misericordiam christianam compositus.

Nicolaus Mailáth, procurator et fiscus regius, iniquitatis Kolonicsianae instrumentum, ministris protestantium ut quam plurimum inimicus.

Georgius Bársony fuit praepositus scepusiensis et extraordinarii judicii XIII. oppidorum praeses, de quo sub initium descriptae divexationis hujus dictum quod satis est.

5. Johannes Lapsánszky, archiepiscopo a secretis, homo iniquissime mendax et mendacissime iniquus*), delegati illius judicii satelles.

Erat Lapsánszky pullus jesuiticus, qui uti**) delegato illi judicio posoniensi***) interfuit: ita, quae acta sunt, non ex vero, sed ex arbitrio et sententia jesuitarum mendacissime adnotavit et quod mireris, cruda illa et apertissima mendacia sub titulo: Brevis et verus judicii illius extractus Tyrnaviae an. 1675. imprimi curavit. Totus in eo est, ut ministros augustanae et helveticae confessioni addictos non religionis, sed regionis et rebellionis causa, quam et excitarint et foverint, Posonium ad delegatum illud judicium citatos, convictos et ad carceres triremesque damnatos fuisse iniquissime comminiscatur et eo ipso toti christiano orbi mendacissime imponat. Infelici hoc Extractu apud amantem veritatis posteritatem praeter †) impostoris nomen nihil reportavit amplius. Ita enim praeter multos alios Jobus Kresztyanszky ††), quod adscitum nomen est, mendacia ejus patefecit et universum Extractum confutavit, ut nemo fuerit unus, qui non Lapsanszkyum fuerit execratus. Conf. si placet: Kurtze Nachricht, entgegengesetzet dem lügenhaften Bericht, oder wie er genennet wird, dem Kurtzen und wahrhaften Gerichts-Auszug eines wohlgezogenen Pulli Jesuitici Nahmens Joh. Lapsánszky. Prodiit an. 1683. in IV.. Huic addatur: Speculum Hungariae a genuinis filiis transtibiscanis an. 1675. editum.†††) Impostor ille

*) Doleschal- és Daxnernél: infelix delegati st..

**) Ugyanazoknál: ex officio delegato st..

***) Ugyanazoknál: an. 1673. et 1674.

†) Ugyanazoknál: nequissimi.

††) Ugyanazoknál: aus Freiberg.

†††) A gályákra itélt magyar prot. papok egy más apologiáját hozta a „Sárospataki füzetek" 1861.-ki VIII. füzete.

Lapsanszky deo et omnibus veritatem amantibus propter cruda mendacia exosus, cujus panem vorabat, illius placita decantabat, ut mirer*) non parum, Czvittingerum in Specimine Hung. litt. pag. 219. 221. multo honestiorem, quam meruerat, mentionem ejus injecisse et inter eruditos Hungariae collocasse, cum ex sententia Quintiliani lib. 1. cap. 1. nihil iis pejus sit, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persvasionem induerunt. Lapsánszky inter rabulas, non eruditos hungaros collocandus erat. Fallit ergo et fallitur Czvittingerus, qui mendacem hunc impostorem eruditis Hungariae adnumerat et vel hoc nomine prodit se sorex, quod alieno vitulo araverit, ipse rerum patriae ignarissimus.

§. 2.

Hi in adfligendis captivis pro diversitate carcerum diversorum satellitum ministerio usi sunt. In carceribus enim leopoldopolitanis Nicolaus Kellio, S. J., et rector loci illius Johannes Bene, in carcere tergestano Gabriel Kövér, in bucariensi Andreas Godermannus et ejus vices gerens, Stanko, nihil negligebant eorum, quae ad divexandos crudeliter ministros pertinere existimabant, ne quid de militibus pecunia ad ministros adfligendos conductis hic loci percenseam.

De crudelitate et astutia Nicolai Kellio legi potest rev. Johannis Simonidae Collegium apostolicum Vitembergae an. 1675. editum. Qui Kellioni a confessionibus fuit, rev. Samueli Nicletio Neosolii enarravit, eum ante finem vitae agnovisse, nullo crimine se torqueri magis, quam crudeli innocentissimorum ministrorum evangelicorum Leopoldopoli divexatione, uti particeps divexationum illarum Samuel Nicletius in Adversariis suis posteritatis gratia adnotavit. Kellione enim neque fraudulentior, neque astutior erat quispiam. Praeterquam enim quod ipse majorem in modum innocentissimos captivos fame et siti variisque modis divexavit: etiam per conductos aere suo milites, quoties vel per nebulam dabat se occasio, ad cruorem usque verberari sivit **). Non satis erat M. Thomam Stellerum propter scriptas ad conjugem suam ***) litteras 600. baculorum ictibus adfligere, qui mortuo similis carceri illatus erat: etiam reliquos, quotiescunque missam suam

*) Ribaynál: et miror.

**) Daxnernél még: jussit.

***) Előbb, 244. l., emlitve levén már ezen eset, a levél Steller barátja által vagy Ribay szerint barátjához irottnak állittatik.

peragebat aut Venerabile suum ad aegrotos deportabat, baculis, sclopis, gladiis, dum ad genua procidere recusarent, cum inaudita crudelitate verberare et alios crinibus et barbis ad altare usque trahere jubebat, crudelissimi daemonis crudelissimus administer, ejus societate multo dignissimus. Talis erat furiarum Kellianarum satelles Johannes Bene, homo uti claudus et indoctus, ad stivam magis, quam litteras natus: ita etiam ad omnem crudelitatem factus. Cum enim semel deportaretur eorum Venerabile et ille stolidus irruisset in nostros, etsi a secretario colonelli his verbis reprehenderetur: „Quis tibi, claude canis, hanc autoritatem concessit? Nonne vides miseros istos praeterea esse adflictos?“ tamen his ad animum non admissis ven. senem Gregorium Illés annos 70. natum, cum alii remotiores forent, adortus est, caput ejus baculo vulneravit et infelices manus suas innocenti senis sangvine cruentavit claudus nebulo ad omnem posteritatem infamis. De astuto et fraudulento Kellionis ingenio nemo unus est, qui ex vero dubitare possit. Cum enim miseri captivi ad triremes deducendi essent, veritus, ne crudelitas ejus litterato orbi innotescat, omnia instrumenta, quibus in peragendis laboribus miseri captivi adfligebantur, ex carcere in locum alium deportari jubet, iis liberationem et omnem, quae ab eo proficisci potuerit, benevolentiam, usquedum in carceribus Leopoldopoli delituerint, multis verbis pollicetur, si modo testimonium ejus benevolentiae adflictissimi captivi exhibuerint. Nostri exercitae in eos crudelitatis optime conscii id facere recusabant: subdolis tamen ejus promissionibus, ne forte crudelius habeantur, tandem multis verbis inducti, hoc, quod sequitur, testimonium exhibuerunt: „Nos infrascripti fide nostra christiana sincere testamur, quod quandoque in captivitate nostra per P. Nicolaum Kellionem in summa necessitate accepimus vestes, quidam nostrum nummos et quidam etiam cibos, id quod propriorum nominum subscriptione recognoscimus.“ Sed astutissima vulpes his non contenta plura desideravit, quod etsi miseri nostri praestiterint: tamen perditus Kellio fidem iis datam perdite decoxit et in posterum barbara prorsus crudelitate divexavit. Hinc testimonium a nostris subdola fide extortum ne cassa nuce dignum est, cum id pater Kellio ad tegendam crudelitatem suam blandis verbis, et dum haec non sufficerent, multis minis extorserit, uti id ipsum ven. condam Johannes Simonides in Collegio suo apostolico luculentissime confirmavit. Vide, si placet, obstupesce et crudelitatem omnesque actiones Kellianas, si satis est, detestare. — Gabriel Kövér, furoris Kolonicsiani satelles, a 1. Julii anni 1674. ad

mensem Octobrem anni 1675. sine cessatione miseros captivos divexavit. — Godermannus, homo omnium truculentissimus, a mense Octobri anni 1675. ad 11. Julii anni 1676. quicquid excogitari poterat calamitatum, innocentissimis captivis procurare non neglexit, de quibus prolixe omnes questi sunt, qui de crudeli hac divexatione aliquid perscripseruut ad posteritatem. Certe meo arbitratu nulla futura est aetas, quae divexationem hanc non execretur. De his enim ex vero dici poterat, quod Tertullianus de gallis in carmine in Senatorem adfirmabat :

Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.

Fateri quidem vel inviti cogimur, majores nostros seculo XVII. liberius vixisse et acriorem divexationem non sine ratione commeruisse. Nam protestantium in cultu sacro tepor et in moribus depravatio cladi isti ansam dederunt non mediocrem. Ministri enim augendae magis rei familiari, quam augendae religioni studuerunt; mutuas dissensiones non sine exstanti auditorum offensione aluerunt et sacro ministerio praepostere et non satis diligenter defuncti sunt. Auditores complures sub specioso evangelicorum nomine absque omni pietate in sacra illa civitate latuerunt et plebs promiscua, cognitione rerum divinarum destituta, fatis suis ingemuit. Hinc deus salutis hominum studiosissimus jacentem protestantium fidem coelesti censura erexit et veternum *), qui mentem eorum occupaverat, hac infelici divexatione excussit. Metuendum profecto, ne deus justitiae amantissimus nos fatis minus propitiis involvat, cum vix lac lacti sit similius, quam mores hodiernorum protestantium majorum nostrorum moribus.

CAPUT IV.

DE

MINISTRORUM AD TRIREMES ABDUCTIONE.

§. 1.

Post tot tantasque adflictiones, quas in carceribus tolerare necessum fuit, dum captivi dimissionem indubie praestolarentur, tacite et paucis admodum observantibus XLI. ad triremes hispanicas per fines Moraviae, Austriae, Styriae, Carnioliae et sinum maris adriatici abducti sunt.

*) Ribaynál: veterem hominem

Conabatur quidem clerus hungaricus id ipsum prius perficere, sed quia nulla se dabat opportunitas, differri debuit negotium. Tandem cum Sicilia defecisset a hispanis et rex Hispaniarum a Leopoldo imperatore colligendi militem in Styria, Austria, Moravia et Hungaria facultatem obtinuisset; hac occasione usus clerus adflictos ministros protestantium ex carceribus protractos ad triremes hispanicas protrudit. Hinc postquam 8. Mart. Leopoldopoli strictissima omnium rerum visitatione instituta libri precum, unicum adhuc captivorum solatium, jussu Kellionis jesuitae adempti essent, die 18. Mart. sive dominica Reminiscere ipso vespere, paucis advertentibus, XXXVI. captivi Leopoldopoli currubus impositi versus Ujhelyinum et Lieszkovecz, 19. Mart. in Moraviam et hinc Hunnobrodam, Hodonium et Stragensburg, 25. Mart. in civitatem Austriae Schot-Viennam, comitantibus eos 50. equitibus et 30. peditibus, delati sunt. Hinc *) 5. captivi berencsienses, qui prius advenerant, et in arce schotviennensi detinebantur per hebdomadam, leopoldopolitanis adjuncti in compedibus ire cogebantur. Unicus Johannes Szécsey, qui confractus gressum moliri non potuit, curru duobus bobus vectus fuit. Sequenti die, exorantibus captivis, ut facilius iter facere queant, unicus pes compedibus liberatus fuit. In Styriam delati, comparato proprio aere navigio, beneficio fluvii Mura dicti aliquantisper navigarunt; sed demum difficili prorsus itinere per Carnioliam die 6. Apr. sive die Sabbathi ante dominicam Palmarum Tergestum ingressi sunt, ubi primum omnibus, quas habebant, pecuniis, etiam inter arcanas corporis partes diligenter quaesitis, privati, barbas, quas ex more majorum alebant, non sine contumelia amiserunt. Hinc tot querelas leginus gloriosissimorum Hungariae martyrum ad triremes damnatorum, quod insanis ludibriis rasio quoque barbarum ad extremum accesserit, uti percenset M. Daniel Jeszenszky P. L. C. in Schediasmate, quo M. Christianum Peschelium ad castigationem justo iniquioris de hungaris judicii invitabat. Prodiit Dresdae an. 1708. in IV.. Cum vestes militares assumere nollent, per triduum fame divexati mari adriatico commissi sunt. Ingressi navem trium contignationum 9. Apr. in infima parte collocati, loca, uti ven. Simonides in peculiari manuscripto adnotavit, occuparunt hoc ordine circa parietes: Gregorius Illés **), Johannes Korodi, Nicolaus Bugány, Georgius Lányi, Petrus Kálnay, Balthasar et Samuel

*) Ribay- és Daxnernél: hic.

**) Ribaynál: alias Héli.

Nicletii, Johannes Timkovics, M. Thomas Steller, Andreas Végh, Tobias Masnitius, Johannes Simonides, Michael Paulovics, Stephanus Komáromy, Michael Karasznay, Petrus Somody, Stephanus Séllyey superintendens papensis, Valentinus Kocsy ejusdem rector, Michael Miskolczy, Johannes Szilvásy, Stephanus Harsányi, Petrus Czeglédy, Nicolaus Borbiday, Georgius Alistali, Andreas Szodoy, Franciscus Fóris Otrokocsy, Stephanus Bátorkeszy, Michael Huszty, Johannes Szécsey, Georgius Körmendy, Martinus Szentpétery, Stephanus Zedenyi et sic porro. Navi in Italiam delati 23. Apr. mare adriaticum relinquunt et versus Pescharam ad civitatem Theatae propelluntur, ubi sex captivi: Michael Miskolczy, cujus jam pes putruerat, Harsányi, Korody, Szécsey, Czeglédy et Huszty relinquuntur et Gregorius Illés, ecclesiae malomsokiensis ad Rabam evangelicus minister, inter mille verbera asino, quo portabatur, delapsus et omnibus vestibus spoliatus beate in domino mortuus est, reliquis eodem die 29. Apr. et sequentibus in oppido Capracotta quiescentibus. Decantata sunt Xaverii, Indiarum, uti loqui amant, apostoli heroica facta, inprimis quod nubiferum Apennium, nivosas Alpes et scabram Pyrenem nudo metitus fuerit pede: at nostri non tantum nudis, sed et revinctis et praegrandi compede onustis pedibus inter mille verbera per Alpes ceu pecora a saeviente milite acti, Xaverium hoc nomine mille modis superarunt, uti cum dolore adnotavit M. Georgius Gassitius in Threnis busto gloriosissimi Jesu Christi martyris Danielis Mazsarii in triremibus neapolitanis ad Syracusas exstincti ac in portu syracusano humati adspersis. Vid. Pretiosa mors in conspectu dei Danielis Mazsarii, primum cantoris csetnekiensis, dein rectoris revúczensis, tandem ministri ecclesiae schumiacensis et postremo apud neogradienses pastoris tamásfalvensis. Prodiit Vitembergae an. 1675. in IV..

§. 2.

Ex his die 1. mensis Maji Georgius Lányi, rector scholae carponensis, ad oppidum Capracotta, rev. autem Tobias Masnitius, diaconus illaviensis, et Johannes Simonides, rector briznensis, ad Lisernam civitatem fuga salutem quaesiverunt.

Georgius Lányi inter tot tantaque pericula, etsi non sine praesenti periculo, feliciter evasit, uti ipse in Narratione captivitatis suae prolixe describit: sed Masnitius cum Simonide 4. Maji

ad Capracottam capti et molestissimo carceri inclusi, post sex tandem hebdomadas per quosdam mercatores neapolitanos liberati, a Georgio Veltz, Jacobo Raillard aliisque Neapoli liberalissime habiti, post quinque hebdomadas versus Romam et hinc per urbes Italiae : Florentiam, Ferrariam, Paduam, Venetias, per Lombardiam et Alpes in Rhetiam et hinc in Helvetiam, Sveviam, Saxoniam atque tandem post triennium in Hungariam delati sunt. Videri potest in hanc rem Johannis Simonidae Exul praedicamentalis et Schola crucis. Tiguri in Helvotia Heideggeri, Vasseri et Hospiniani benevolentiam exules nostri satis praedicare non poterant, siquidem mercatores quoque venetiani evangelici tergestanis captivis, quorum complures reformati erant, continenter benefacere non neglexerunt. Quae compilator Fragmentorum hist. Hung. ad an. 1675. pag. 476. de Johanne Simonide comminiscitur, eum cum Otrokocsio de judice controversiarum disputantem Neapoli interiisse, sex jugera longum est mendacium. Obiit enim post toleratas fortiter divexationes in domino beatissime Neosolii, in templo arcensi, quod nostri possidebant, ad quietem contumulatus, et postquam nostri a possessione templi deturbati fuissent, perfidia malevolorum effossus, quam primum cum intensissimo dolore et religiosa devotione in coemeterium evangelicum delatus et tumbae tempestive comparatae impositus fuisset, multis inspectantibus in cineres abiit, de quo in Vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria uberius commentatus sum *). Vir fuit deo et ecclesiae fidelis et exul multo adflictissimus, propter varia, quae reliquit, opuscula posteritati non ignotus, cujus eruditionis, fidelitatis et pietatis cum omni patientia conjunctae celeberrima illa vitembergensium universitas testimonium, quod ad manus meas est, non sine prolixa laudatione die 18. Maji an. 1675. eidem exhibuit.

§. 3.

Qui in carceribus sárváriensi et kapuváriensi detinebantur, praeter Martinum Szendrey, qui Kapuvárini obiit, mense Junio an. 1675. ab aliis militibus ad triremes deducebantur; sed dum insalutatis venetianis mare transiissent, ab iis ultro pergere fuerunt prohibiti. Hinc captivi ministri die 1. Julii Tergestum in Istria, quod imperatori Leopoldo paruit, et post tres menses Bucarim deportati, barbara feritate divexati fuerunt.

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. 1. köt. 36., 37. ll..

Postquam ministri captivi Tergestum advenissent, mercatores venetiani, nulla habita religionis distinctione, cum generali, ut dimittantur, studiosissime egerunt et mille imperiales pro dimissione captivorum obtulerunt. Ille acceptis 500. imperialibus non tantum dimissionem captivorum spopondit: sed etiam unicum ministrum reformatum, Stephanum Beregszászy, pastorem hanvaiensem, obsidis loco Venetias misit. Dum autem generalis Viennam evocatus diutius ibidem moraretur, captivi Bucarim sunt transportati. Ex his duo magna vi pecuniae liberati, tres mortui, quinque ad intercessionem electoris Saxoniae dimissi, reliqui tot tantisque molestiis fracti a sacris suis et religione defecerunt.

Lytro liberatus fuit Jacobus Csúzy, minister ecclesiae losonczіensis.

Mortui: Andreas Szentkirályi, minister ecclesiae sipiensis.
Stephanus Tökölyi, minister ecclesiae dobóczensis.
Georgius Szendrey, minister ecclesiae baloghiensis.

Dimissi: Johannes Rimaszombathy, minister soltóiensis.
Samuel Tatay, pastor ecclesiae tornallyensis.
Stephanus Szentpétery, minister ecclesiae simonyiensis.
Stephanus Ladmóczy, minister ecclesiae serkiensis.

His adde obsidem venetianum, Stephanum Beregszászy, ministrum hanvaiensem. Qui a fide in carcere bucarino defecerunt, alibi adnotati sunt.

§. 4.

Neque ministri XIII. oppidani in Scepusio, quamvis reipublicae polonicae subjecti fuerint, a divexatione, et ea quidem molestissima, liberi esse potuerunt. Nam praeterquam quod M. Daniel Kleschius, olasziensis pastor, 11. Dec. an. 1673. a croatis violenter captus Cassoviae per sex menses in carcere detinebatur: etiam alii ex sententia extraordinarii judicii XIII. oppidorum, Várallyae 30. apr. an. 1674. celebrati, nullius prorsus mali convicti in exilium abire cogebantur.

Judicio huic, quod autoritate principis Stanislai Heraclii Lubomirszky, praesentibus commissariis, quos latine recuperatores adpellamus, Christophoro Szuchodolszky et Gabriele Lazinszky, agitabatur, praeses datus erat Georgius Bársony, praepositus capituli scepusiensis, juratus evangelicorum hostis, de quo in superioribus ad ravim fere di-

ctum fuit. Ex his, quia in exilium consenserant, etsi nemo ad acerbiores illos carceres, quales alii Leopoldopoli, Komaromii, Berencsini, Kapuvárini et alibi tolerare necessum habuerunt, detrusus fuerit, neque ad triremes pervenerit: in tristi tamen exilio juxta cum aliis fata minus propitia experiri cogebantur omnes, qui relicta dulci patria in vicinis provinciis non sine exstanti calamitate delituerunt. Conf. Succincta papisticae in XIII. oppidis an. 1673. institutae deformationis enarratio Christophori Kleschii Jenae in IV. an. 1679. edita.

§. 5.

Rebus ita ad omnem acerbitatem comparatis, alii in carcere, alii in itinere, in exilio et triremibus alii, mille divexationibus liberati ad portum perpetuo duraturae felicitatis pervenerunt, quibus ex sententia poetae:

Post tot sudores, post tot tantosque labores
Fit suprema quies!

Ex augustano-evangelicis, quod scio, in carcere nemo mortuus est, esti M. Thomas Stellerus innocentissimus, propter acerbissima, uti jam dictum est, verbera, quae Leopoldopoli pati necessum habuit, morti fuerit vicinissimus. Ex calvinianis in diversis carceribus XII. obierunt, quorum nomina in superioribus adnotata hic tacere nullum est famae dispendium. In itinere italico ex lutheranis mortuus est rev. Gregorius Illés alias Héli, malomsokiensis ad Rabam fluvium minister, septuagenario major; Michael Goes, kálnóviensis pastor et ven. contubenii neogradiensis decanus, Aversae prope Neapolim exstinctus. In triremibus confertissimis *) adflictionibus fracti vivere desierunt: Daniel Mazsárius, ecclesiae tamásfalvensis pastor, ad Syracusas dominica XII. **) trinitatis an. 1675. contumulatus; Johannes Timkovics, lestensis minister ad Neapolim; Nicolaus Borhiday, S. Andreae pastor, et Michael Paulovics, rector martinopolitanus, in portu neapolitano exstincti, quorum hic fluctibus maris ejectus, per captivos turcas, alligatis pedibus mortui lapidibus, iterum mari injectus fuit. His addi debet Andreas Thuróczy, fülekiensis lutheranus minister, qui jam liberatus in Rhaetia et exilii et vitae finem fecit. In veste ejus post mortem inventa fuit eleganter descripta precatio ***), quam miseri captivi pro august. impe-

*) Doleschal- és Daxnernél: innumeris.

**) Ugyanazoknál: XXII.

***) Daxnernél: oratio.

ratore Leopoldo M. in exilio suo quotidie recitare soliti erant. Haec ita multorum animos commovit, ut vel hoc unico argumento convicti, de captivorum innocentia sponte sua testarentur. Vid., ut alia taceam, Daedalus M. Georgii Lányi et Pretiosa mors in conspectu dei martyris hungarici Danielis Mazsárii ab amicis an. 1675. publicae luci exposita Vitembergae in IV.. Conf., si placet, elegantissimum rectoris et consilii academiae vitembergensis publicum testimonium iis, qui ex triremibus redibant, sub sigillo universitatis anno instauratae salutis MDCLXXVII. datum, in quo venerandae expertaeque constantiae viri adpellantur et diuturni carceris taediis et fame, frigore verberibusque cruentis propemodum exstincti ac omnium ludibriis expositi patientiam nostro aevo inauditam demonstrasse dicuntur. Hinc uti in carceribus et triremibus morte exstinctis ex animo indolebat: ita, qui supererant, omnium judicio dignos esse existimabat, ut humanissime accipiantur et omnibus benevolentiae hospitalitatisque signis in religioso honestoque proposito confirmentur, ut hoc quoque famae atque innocentiae eorum defensae publicum ac luculentum testimonium esse possit. — In tristi exilio multo plures vitam cum morte commutarunt. Nam Joachimus Kalinkius superintendens Zittauiae, Johannes Sinapius Halae, Daniel Remenius Brigae, Esaias Pilárik Levini, M. Eckardus Vratislaviae, David Titius Volaviae, Andreas Urbanovics Vismariae, Johannes Schalakius Vratislaviae, alii alibi mortui sunt, de quibus videri potest: Statua in perennem Mnemosynem exulum Hungariae Hiobi Trusii vetusoliensis an. 1687. edita. His omnibus addi debet ven. Elias Ladiver senior, solnensis pastor, in acerbissimo exilio mortuus. Conf. Mors pretiosa in conspectu dei Danielis Mazsárii sub finem. Conferri potest quoque Threnographia Tarnóczyana, quam tumultuaria penna conscriptam esse vel hinc existimes velim, quod eam non posteritati, sed eo tempore viventibus scripsisse videatur. Praeterquam enim quod summa rei capita omnibus tunc cognita brevibus adtingit, etiam seriem annorum, quae hic vel maxime necessaria erat, prorsus negligit et lacrymis magis, quam penna, socero suo parentat, si quid divinando adsequor, justo dolore et exilii calamitatibus non parum conturbatus.

CAPUT V.

DE

MINISTRORUM PROTESTANTIUM EX CARCERIBUS ET TRIREMIBUS LIBERATIONE.

§. 1.

Quiescente *) divexatione alii ab exilio, a triremibus alii redierunt et mille modis in veritate confirmati puriori coetui evangelico cum exstantissima utilitate moderabantur.

A molestissimo **) exilio redierunt non pauci, ex quibus praecipui erant: M. Martinus Tarnóczy superintendens, in arce blatniczensi apud thuroczienses mortuus; Philippus Heutschius, pastor cassoviensis; Johannes Sextius, carponensis; Johannes Milochovius briznensis, de quibus videri potest Hiob Trusius loc. cit.. A triremibus redierunt ex reformatis XVIII., quorum nomina legi possunt in eleganti Consolatione martyrum Heideggeri, Tiguri an. 1678. edita; ex lutheranis autem VIII., ex quibus praecipui erant: Samuel et Balthasar Nicletius, ille ujbanyensis, hic alsó-sztregoviensis minister; Nicolaus Leporini poltariensis, Stephanus Zedenyi, dörgicsensis, Nicolaus Bugány, sajó-gömöriensis, ministri et M. Thomas Steller, neosoliensis conrector, qui ad an. 1715. Neosolii visu privatus vixit, eruditione et patientia clarus, patria nagy-szlabosiensis, novaturientium maximus osor. Ab exilio non prius redire potuerunt, quam augustissimi regis voluntate an. 1681. in comitiis soproniensibus indultum fuit. Si cujus unquam, illius profecto vel maxime nos meminisse oportet, quod Sulpitius Severus de decennali divexatione, quae imperantibus Diocletiano et Maximino accidit, adnotavit: Nunquam majore triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Id imperante Leopoldo M. sub decem annorum divexatione evangelicis in Hungaria evenisse tam certum est, quam quod certissimum.

§. 2.

Post deum exoptatissimae illius liberationis autor fuit Michael Adrianus Ruyterus, classis hollandicae admiralis, et vices ejus gerens, Johannes de Haen, Georgio Veltz et fratre ejus Phi-

*) Doleschal- és Daxnernél: tandem.

**) Ribaynál: moestissimo.

lippo salutem captivorum non minus liberaliter, quam studiose procurantibus.

Complures erant, qui adflictissimam captivorum sortem in melius commutare nitebantur. De electore Saxoniae, liberationis hujus cupidissimo, actum est in superioribus. Benedictus Oxenstirn, regni Sveciae senator et ad aulam caesaream legatus, prolixo memoriali 26. Febr, an. 1675. augustissimo imperatori exhibito, dimissionem eorum procurare nitebatur, in quem pessima fide injurius est Fragmentorum hist. Hung. compilator, qui pag. 457. scribit: Legatum svecicum patrocinium condemnatorum suscepisse et sua miseris jura, privilegia et templa, per summam injuriam erepta, libero et tantum non impudenti scripto recuperare voluisse. Eum impudentiae accusat, qui nomine et jussu regis sui causam miserorum egit, ipse compilator omnium impudentissimus. Adhaec non tantum boni amici quidam viennenses, captivos bucarenses liberaturi, 1100. imperiales contulerunt, etsi unicus tantum eorum libertati fuerit restitutus: sed etiam in urbe Veneta Nicolaus Zaffius, medicinae doctor, 550. imperiales numeravit, quamvis praeter unum in libertatem nullus potuerit vindicari. Nemo tamen sive melius, sive diligentius rem miserorum captivorum egit, insigni illo ad omnem posteritatem pari fratrum, Georgio et Philippo Veltzio, qui provida sua cura Ruyterum ad liberandos captivos permoverunt et liberatos pro sua benevolentia liberalissime habuerunt, imo et discessuris de rebus ad iter cum commoditate perficiendum necessariis cumulatissime prospexerunt. Hujus benevolentiae apud deum testes habituri sunt *) rev. Tobiam Masnitium et rev. Johannem Simonidem, eorum opera ex carcere capracottensi liberatos. Sex fere abierunt hebdomadae, dum ex carceribus capracottensibus opera Georgii Veltz liberati Neapolim deducerentur. Internuncii, qui liberatos Neapolim transportabant, nullum liberationis aut benevolentiae signum iis commonstrarunt; hinc miseri exules se aut ad triremes, aut ad militiam hispanicam duci opinabantur. Ipso crepusculo, operto curru, Neapolim ad domum Georgii Veltz deportati, postquam aliquantulum quievissent, squalidi, intonsi et sordidi mensae ejus admoventur, cumque fame antehac excruciati non satis moderate propositos sibi cibos adsumerent, prohibebantur, ne contrahant morbos non facile exstingvendos. Post coenam adsumit Georgius Veltz sacrum codicem et de quo intelligi debeat locus 2 Thess. II. 3. sq. sollicitissime

*) Doleschal- és Daxnernél: praeter multos alios.

inquirit. Hi intra spem et metum constituti in genere sententiam expromunt, metuentes non parum, ne liberiore responsione in praesentissimum discrimen se conjiciant. Postea in splendidum conclave deducti, in lectis multo pretiosissimis quiescere jubentur, quod etsi modestissime deprecarentur; tamen postquam in bibliotheca, studio domini procul dubio reserata, libros evangelicos Lutheri, Chemnitii, Lyseri, Gerhardi et aliorum reperissent, actis deo flexis genibus gratiis, depositis laceris vestibus nudos se in lectum componunt et primo mane a sordibus repurgati, in balneo ipsis insciis praeparato novis induuntur. Tandem advenit Veltzius et quis sit? enarrat, de liberatione eorum gratulatur et postquam apud eum commodissime per quinque hebdomadas requievissent, non sine prolixa benevolentiae contestatione, publico evangelicorum testimonio communitos, in pace dimittit. Non parum operae in hanc captivorum liberationem contulerunt juxta cum aliis admiralium concionatores, rev. Theodorus Vesthoffius et Aegydius Viveth, a Lampio, quantum recordor, satis laudati. Dies erat 11. Febr. an. 1676., quo XXVI. viri catenis soluti et ad Haenium primum, dein ad Ruyterum, liberatores suos, deducti, depositis sordidis triremium vestibus, procurante Georgio Veltzio, novis induuntur, postquam psalmos XLVI., CXXIV. et CXXV. non sine voluptate deo immortali in gloriam cecinissent. Chronosticon, quo annus et dies liberationis continetur, ab ipsis martyribus confectum recitat in Narratione captivitatis suae sub finem M. Georgius Lányi in hunc modum:

LVX fVerat LVnae rVtILans VnDena seCVnDae
VInCtVs qVa VICtor soLVItVr ILLe Ioseph.

Deum hanc liberationem per fideles suos procuravisse quisquis non videt, caecus est, quisquis videt nec laudat, ingratus est, quisquis laudanti reluctatur, insanus est, uti alio in casu loquitur Augustinus lib. 1. de Civitate dei cap. VII..

CAPUT IV.

DE
ITERATA EVANGELICORUM POST COMITIA SOPRONIENSIA DIVEXATIONE.

§. 1.

Putavisses omnem divexationem ecclesiarum evangelicarum post comitia soproniensia, an. 1681. celebrata, desituram, cum

omnia, ut hungari loqui amant, articulariter fuerint definita; sed uti in comitiis supplicationi evangelicorum satisfactum non fuit: ita in dies magis atque magis crevit adflictissimorum evangelicorum divexatio.

Quamprimum comitia soproniensia an. 1681. indicta fuerunt, adflictissimi protestantes, tantarum calamitatum pertaesi, 22. Jun. anno eodem ad august. imperatorem Leopoldum cum omni, quae ab ipsis desiderari poterat, humilitate *) recurrerunt et per supplicem libellum Neostadii porrectum se a divexationibus, quas pati cogebantur, ex praescripto legum per viscera misericordiae divinae liberari petierunt et ut negotium hoc tanto felicius **) definiri queat, justam petitionem suam Emerico, episcopo viennensi, principi a Schwartzenberg, marchioni badensi, comiti a Zinzendorf et Paulo Hocher, aulae cancellario, 27. Jun. an. 1681. per Thomam Heritz cum omni submissione commendarunt. Adhaec status evangelici electum proregem, Paulum Eszterházy, cum omni pietate exoraruut, ut adulto et usitato more ministros suae religionis inducere queant, qui apud eos ministerio defungantur. Hic optimus palatinus in hunc modum evangelicis respondit: „Quandoquidem in officio meo palatinali necdum bene stabilitus et confirmatus essem, ob hoc id ipsum propria autoritate facere non possum, ne videar statim in initio suscepti mei officii contra clerum agere: svadeo tamen evangelicis hoc negotium suae majestati sacratissimae praesentare, quod et ipse Neostadium discessurus in aula caesarea promovebo.“ Hoc dum fideliter faceret, august. imperator Leopoldus lubentissime consensit et proregi serio mandavit, ut praedicantem evangelicum sua autoritate tueatur. Huic etsi pro more suo contradicebat cum aliis impotens Szelepcsényius: nostri tamen 1. Jul. devotione sacra an. 1681. confirmarunt august. imperatoris Leopoldi et proregis cessionem. Vide Acta comitiorum sopronienſium p. 6. 7.. Hoc intellecto ven. clerus et quidam magnates romano-catholici prolixum ad august. imperatorem Leopoldum memoriale transmiserunt et miseros evangelicos magna cum acerbitate traduxerunt, quidquid erat seditionum et malorum in Hungaria, innocentissimis protestantibus desperate transscripserunt, praepotentes palatinos et proceres ex Illésházyana, Thurzóiana et Rákóczyana familiis non tantum majorem regni partem possedisse, sed etiam populum sibi subjectum ad amplectenda sacra evangelica compulisse

*) Daxnernél: pietate.

**) Ribay- és Daxnernél: facilius.

audacter magis, quam ex vero criminati, nostros in romano-catholicos barbara crudelitate saeviisse commenti sunt. Quam integra fide egerint vel hinc arbitrari licet, quod scribere ausi sint, in comitatibus scepusiensi, tornensi et gömöriensi nonnisi in dumetis aliisque occultis latebris plebanos delitescere et cum periculo vitae curam fidelium habere. Hoc ita non fuisse et publica documenta edocent et coelum ipsum clamat. Unde facili admodum negotio de reliquis, quae ibidem declamantur, judicium ferri potest et cognosci, nonnisi haec ad conciliandam evangelicis invidiam et calamitatem conficta fuisse. Hoc dum evangelici intellexissent, impetrata 27. Jul. a prorege regni, Paulo Eszterházy, romano-catholicorum, ut dicitur, replica, respondere non neglexerunt et causam suam coram deo et imperatore legibus regni, documentis publicis et diplomatibus regiis egregie tuiti sunt, quae omnia videri possunt in Actis comitiorum pag. 17.--32.. Haec dum fiunt, ablegatus foederati Belgii ordinum generalium extraordinarius, Gerhardus Hamel Bruinynx, et pro evangelicis apud Leopoldum imperatorem nomine foederati Belgii intercessit, quae intercessio Neostadii 12. Aug. imperatori exhibita legi potest in Actis comitiorum pag. 41. sq., et status ordinesque evangelicos religiose commonuit, ut injurias, quas pertulerunt, seponant, praeterita, quae reparari non possunt, condonent, offensas etiam cum tolerabili damno remittant, cum omnibus regni membris pacem inire studeant et eo modo inimicos suos, qui inscio rege Hungariam intoleranda et non excusanda audacia et temeritate opprimendi evangelicam religionem ejusque liberum exercitium turbarunt, turbant et turbare conantur, confundant, de quo consuli possunt Acta comitiorum pag. 44., 45.. Huic magno viro et, ut ipse loquitur *), consorti fidei status et ordines Hungariae evangelici cum omni humanitate responderunt et quantum praeteritis temporibus contra leges et publicas regni constitutiones passi fuerint et patiantur adhuc, integra fide exposuerunt, imo ejus intercessione excitati august. imperatori Leopoldo cum omni pietate supplices facti, a romano-catholicis sibi objecta et nunquam comprobanda felicissime diluerunt et quidem 26. mensis Aug. an. 1681., neque ante complanationem gravaminum religionis ex adulto more ad publica tractanda se immittere voluerunt. Hoc august. imperator Leopoldus male ferre visus est, cum per Johannem Maholányi 29. Aug. statibus Hungariae in haec verba perscripserit: „Inusitatus iste promovendae petitionis modus alte memoratae suae sacratissimae majestati

*) Daxnernél: erat.

merito displicuit, tanquam regiae majestati regnique universi utilitati minime conveniens.“ Sed non est ita, cum hanc regulam veritatis et leges regni et diploma august. imperatoris Leopoldi deposcerent et pertinaces quidam romano-catholici, uti publica fide ad august. imperatorem perscriptum fuit, edicerent: „Etiamsi qualiscunque publica constitutio articularis de praesenti sancita fuerit super occupatis reddendis, nequaquam ea se restituturos.“ Vid. Acta comitiorum pag. 46.. Posteaquam august. imperator Leopoldus Sopronium advenisset, iterum Neostadium rediturus, nostri libertati suae legibus firmatae intenti 8. Sept. an. 1681. august. imperatori supplicarunt et religionis suae, diplomatibus regiis et legibus regni firmatae, confirmationem porro petierunt, imo ipsi status et ordines regni in generalibus, ut loquuntur, gravaminibus august. imperatori Leopoldo die 6. *) Sept. an. 1681. Sopronii agenti in haec verba perscripserunt: „Negotium religionis stante adhuc praesenti diaeta per suam majestatem sacratissimam benigne complanandum censent, siquidem uterque, tam romano-catholicus, quam evangelicus, status se eatenus ad benignam diplomaticam suae majestatis sacratissimae resolutionem provocasset.“ Ad hanc statuum et ordinum regni intercessionem Johannes Maholányi, jubente imperatore Leopoldo, ita respondit: „Siquidem augustanae et helveticae confessioni addicti cum catholicis nullam amicabilem compositionem inivere: sua majestas sacratissima hac in re, juxta benignam suam oblationem, convenienter sese stante adhuc praesenti diaeta determinabit.“ Vid. Acta comitiorum pag. 81. et 100.. Neque alias factum est. Die enim 9. Nov. anni ejusdem sequuta fuit resolutio suae majestatis statibus et ordinibus regni Hungariae impertita, quae legi potest in Actis comitiorum pag. 158. sqq.. Sed quia resolutio exspectationi evangelicorum in diplomate regio et legibus regni fundatae non respondit, iterum cum omni humilitate august. imperatori Leopoldo 8. Dec. an. 1681. supplicarunt et quod ad posteritatem scribi debet, ad august. imperatricem, Eleonoram, Sopronii eodem tempore coronandam, per internuncios suos recurrerunt eidemque adflictissimam suam sortem cum omni religione **) commendarunt. Vid. Acta comitiorum pag. 192. sq.. Hinc, quantum divinando adsequor, factum est, quod august. imperator per proregem regni, Paulum Eszterházy, nostros pro singulari sua clementia bene sperare jusserit; non tamen prius quievit ven. clerus, quam

*) Daxnernél: 27.

**) Ribaynál: humanitate.

haec continuis sollicitationibus omnia fere interverteret adeo, ut adflicti evangelici post decem supplicationes ad august. imperatorem Leopoldum missas, per legem intercedere aut, quod vulgo dicitur, protestari necessum habuerint, ubi inter alia in hunc modum loquuntur: „Quamobrem praementionati protestantes, juribus suis mature prospicere volentes, dum praerepetita sua solenni protestatione hujusmodi articulorum, religionem tangentium, compilationi, confectioni et expost modo praevio subsequutae praesentationi ac iisdem etiam articulis, tanquam citra consensum adtactorum protestantium confectis et subsequutis, juribus eorundem nimis praejudiciosis, contradicunt protestando et protestantur contradicendo.“ Haec per legem intercessio nomine et jussu Leopoldi imperatoris lecta et protestantibus extradata per Stephanum Orbán, suae sacratissimae caesareae regiaeque majestatis personalis praesentiae in judiciis locumtenentem et consiliarium cum consveta sigilli confirmatione legitur sub finem Actorum comitiorum sopronien-sium pag. 212. sq.. Ad hoc audendum permoverant statum evangelicum inexspectatae illae calamitates, in quas injuria temporum, praeter omne suum meritum, contra leges patriae, sanctiones et diplomata regum, solo ulciscendi et opprimendi studio detrusi fuerunt protestantes. Nam etsi augustissimis imperatoribus Leopoldo, Josepho et 3. Jun. an. 1712. Carolo VI. non minus prolixe, quam ex vero cum omni submissione expositum fuerit, religionem evangelicam communi statuum et ordinum regni sententia receptam et non tantum legibus patriae, sed et diplomatibus regiis confirmatam ita adfligi, ut sors ejus judaeorum, anabaptistarum et non unitorum ruthenorum sorte sit deterior, quamvis illi nec recepti, nec confirmati fuerint unquam: tutius tamen et liberius damnata dogmata sua promoveant, et meliori pace in aliena patria perfruantur, quam nos in patria nostra tot august. regum et imperatorum diplomatibus confirmati. Hinc nemo nostrum satis mirari potest, si mirari satis est, quod contra omnem aequitatem in comitiis soproniensibus, in magna statuum et ordinum regni frequentia celebratis, vener. *) clerus in protestantes justo fuerit acerbior. Nam non tantum insciis evangelicis et improbante Leopoldo imperatore articulis comitiorum formulam illam: „Salvo jure dominorum terrestrium“ adjecit; sed etiam occasione commissionis pesthiensis vociferari non erubuit, nos an. 1681. importunis sollicitationibus et a veritate alienis querelis, imploratis exterorum commendationibus et acrioribus comminationibus amplius religio-

*) Ribaynál: universus.

nis exercitium extorsisse. Sed multo aliter fuit, quam clerus Hungariae commentus est. Nam postquam august. imperator Leopoldus propter bonum pacis tranquillitatemque regni publicam in negotio religionis sese quoque benigne resolvere dignatus fuisset: ideo eandem quoque resolutionem articulis status et ordines regni inseruerunt et quidem in haec verba: „Cum liberum religionis exercitium jam antea in anno 1606. vigore pacificationis viennensis concessum, his motibus a parte nonnullorum interturbatum fuisset; ideo confirmato hic loci articulo I. dictae pacificationis, idem exercitium omnibus et ubique per regnum (salvo tamen jure dominorum terrestrium) juxta articulum I. anni 1608. ante coronationem editum, liberum permittitur ac praedicantibus quoque et scholarum magistris, alias vel proscriptis vel propter certas reversales munia suae vocationis exercere non valentibus, liber in regnum reditus liberaque religionis suae professio et exercitium, cassatis eatenus etiam ipsorum reversalibus, conceditur, et nullus regnicolarum in libero religionis suae exercitio a modo inposterum quoquo modo turbetur; sed neque augustanae et helveticae confessioni addicti ad ceremonias confessioni suae contrarias compellantur," Haec, quae hic loci adscripta legis, totidem fere verbis articulo XXV. comitiorum soproniensium, august. regis et statuum ordinumque regni sententia condito et confirmato, definita reperies. Hinc ergo benevolus et veritatis amans lector facile condiscet, clerum regni Hungariae tempore commissionis pesthiensis in miseros evangelicos criminationes ab omni veritate alienas conjecisse; nam primum et ante omnia non est ita, nos protestantes amplius religionis exercitium extorsisse

I. Importunis sollicitationibus.

Lex patriae est, ut omnia, ita a hungaris adpellata, gravamina in diaeta sive comitiis proponantur et definiantur, quod diplomate august. condam imperatoris Ferdinandi III., articulo V. anni 1647. inserto, commonstrari potest. Ita enim puncto IV. sub finem scribitur: „Gravamina futuris quoque temporibus in eodem negotio religionis emergentia, tam catholicorum, quam evangelicae confessionis hominum, quam etiam alia gravamina regnicolarum, tam evangelicorum, quam catholicorum, secundum septemdecim conditiones sua majestas singulis diaetis complanabit, absque injuria evangelicorum." Hinc multis variisque modis pressi protestantes, opportune et cum ratione egerunt, quod in comitiis sopronienſibus gravamina sua proposuerint. Quod igitur ex praescripto

legis fit, importunis sollicitationibus transscribi non debet, siquidem ex sententia Senecae : Quilibet perdere dignus est bona, queis nescit uti.

II. A veritate alienis querelis.

Ab omni veritate aliena sunt, quae dicuntur. Nam postquam protestantes in publicis comitiis an. 1638. questi fuissent, contra jus et aequum, diplomatibus regiis stabilitum, evangelicis complures ecclesias ademptas esse, in publicis comitiis an. 1647. constitutum est articulo VI. ut evangelicis 90. templa, quae ibi constgnantur, sine omni procrastinatione restituantur: sed quia hoc malitia cleri factum non fuit, nonne justa et ad deum clamans fuit querela? Judicet meliore conscientia quicunque potest, num super eo, quod publica regni lege confirmatur et non adimpletur, querulari a veritate sit alienum? Uti enim legem, publica regni autoritate confirmatam, non adimplere summa est iniquitas: ita si ad oppressionem aliorum non adimpleatur, summa est querulandi necessitas. Hinc iniquus fuit clerus Hungariae, quod nos querelis a veritate alienis liberum religionis exercitium extorsisse judicaverit. Nam presso evangelico corpori justa ex lege hungarica quaeri debuit medicina.

III. Imploratis exterorum commendationibus.

Uti toti orbi notum erat, miseros hungaros in negotio religionis nimium premi: ita non male factum fuit, quod quidam fidei consortes intercessionem suam interposuerint. Pro nobis enim, teste Augustino, orare necessitas, pro aliis intercedere caritas est. Multa regna, intestinis motibus concussa, penitus interiissent, nisi aliorum regum intercessiones accessissent. Si hoc regibus in vitium non vertitur, neque religionis evangelicae in offensam verti potest. Procul dubio hoc torsit adversarios, quod nostri non tantum sub initium comitiorum supra nominatis consiliariis caesareo-regiis, sed etiam sub finem principi et marchioni badensi post discessum ejus Sopronio 30. Dec. negotium suum commendarint, uti elucescit ex Actis comitiorum pag. 211.. Morbo praesente medicinam inquirere integrum est *).

IV. Acrioribus comminationibus.

Quis ita perdite malus est, qui vel cogitare audeat, fidelissimos suae majestatis subditos evangelicos suam majestatem caesareo-regiam aut proceres regni acerbius compellasse aut acriter minari voluisse? cum

*) Daxnernél: necessum.

omni, quae in fideles subditos cadit, fidelitate et devotione sacratissimae majestati supplicarunt et ut pressum eorundem statum benigna resolutione regia consolari dignetur, exorarunt, quod uti status et ordines regni diffiteri non possunt: ita clerus importunas sollicitationes, a veritate alienas querelas, imploratas exterorum commendationes et acriores comminationes mala fide evangelicis transscripsit. In comitiis soproniensibus an. 1681. 24. Jun. status et ordines regni Hungariae evangelici in hunc modum august. imperatori supplicarunt: „Ad majestatis vestrae augustissimum thronum demisse denuo confugimus, per viscera misericordiae divinae orantes, dignetur clementissime huic communi nostrae calamitati condignam medelam autoritate regia, stante adhuc diaeta, vi gratiosissimi sui diplomatis adhibere, laesos et damnificatos in integrum restitui facere ac turbatoribus liberi exercitii religionis juxta demerita punitis adflictum statum evangelicum in pristinam ac firmam securitatem, in qua diplomatice et legaliter erat, collocare.“ Videat benevolus lector, num tam devota supplicatio vel ad speciem in partem comminationis trahi possit? Conf. Acta comitiorum soproniensium pag. 10.. Quanta cum religione protestantes statim sub initium excelsam commissionem regiam pesthiensem exoraverint, quo articularia et legalia genuina illa gravamina nostra secundum genuinum articulorum anni 1681. et 1687. sensum revideantur, ubi de commissione pesthiensi agetur, commonstrabo. Quod ad formulam „salvo jure dominorum terrestrium“ per ven. clerum in comitiis soproniensibus an. 1681. articulo XXV. adjectam adtinet, ita eadem praeter omnem aequitatem abusi sunt omnes romano-catholici, inprimis clerus hungaricus, ut molestissimarum divexationum, quas evangelici passi sunt, neque modus, neque finis reperiri potuerit. Ex hac enim unica formula illimitatum jus reformandi et exagitandi evangelicos deducere conabantur. Hinc post comitia anni 1687. et in posterum:

I. Puerperae ante mutationem religionis non introducebantur.

Infame hujus exemplum dedit apud arvenses plebanus trsztenensis in Catharina Szopuch, Matthaei Stephanides conjuge, quae cum religionem evangelicam ejurare noluisset, ad arcem arvensem in carceres detrusa occasione partus, etiam notabili solutione plebano oblata, per integrum septennium non introducta, tanquam captiva domi suae haerere coacta fuit et cum semel curandorum pecorum in stabulum, alia vice

componendi examinis apum causa in hortum egressa fuisset, in domum judicis vi raptata, cippo *) inclusa, per sex dies et totidem noctes detenta non prius dimissa fuit, quam plebano 24. flnos persolvisset et tandem opportunitate nundinarum Teuto-liptscham digressa, posteaquam ibidem quartum jam infantem enixa fuisset, anno octavo per ejusdem loci plebanum introducta, posteaquam domum rediisset, multis variisque modis adflicta fuit, ne quid de sorore, marito **) et patre ejus perceuseam, qui visitandorum liberorum gratia eo delatus ibidemque mortuus non prius in loco infami, pecorum cadaveribus destinato, sepeliri permissus est, quam liberi 14. flnos plebano numeravissent, uti nostri coram excelsa commissione pesthiensi 26. Maji an. 1721. non sine ratione questi sunt, ubi multo plura talia exempla, non Christi, sed Plutonis discipulis digna, percenseri reperies, quae tamen omnia hic adscribere dolor non sinit.

II. Neosponsi ante mutationem religionis non copulabantur.

In oppido Tvrdosin plebanus Samko vocatus praecipuorum civium 12. filios non prius, quam abnegata religione evangelica, copulavit et ut alios plures taceam, nobilis Jacobus Klenovszky non prius ad copulam admissus, quam sacra evangelica invitus deseruisset et mulctae loco imperialem plebano exsolvisset. Hanc convertendi rationem neque servator noster, neque apostoli sequuti sunt. De magnis impensis, quas nostri occasione copularum et ante hac fecerunt et praestare coguntur adhuc, supervacaneum est dicere, cum id non sine exstanti rerum suarum jactura necessum habeant experiri evangelici, cujus exempla et multa sunt et passim obvia.

III. Mortui non sepeliebantur.

Etsi deus ipse Mosem, fidelem servum suum, in terra moabitarum sepeliverit, Deut. 34, 6. et eo ipso exemplo nullum ei servientem honesta sepultura privandum constituerit ***): tamen inventi sunt apud romano-catholicos non pauci, qui a religione sua dissidentes, nulla alia habita ratione, quam quod ad sacra eorum accedere noluerint, honesta sepultura privarunt. Plebanus trsztenensis honestum virum, Johannem

*) Ribaynál: carceri.
**) Ugyanannál: matre.
***) Ugyanannál: censuerit.

Javina per 4. hebdomadas sepeliri non sivit atque demum exsolutis eidem florenis 12. in loco propter cadavera pecorum infami inhumari jussit: imo quod execrandum est et detestabile, nobilem Georgium Trsztyanszky, denegata in loco consveto sepultura, in campo contumulari mandavit, qui depositis primum 5. florenis, absque omni ritu christiano ibidem an. 1719. sepultus est, etsi avita nobilium Trsztyanszky crypta in templo habebatur. Hunc plebanum pecus arcadicum esse oportuit, qui et in demortuos saeviebat, ipse cultiore contumulatione indignus. In oppido Tvrdosin plebanus Samko, homo iniquissimus *), evangelicos in loco sepeliendis mortuis destinato inhumari non permisit et mortua vidua quadam Pernikárka nuncupata a sepultura 40. **) florenos extorsit. Hinc non saluti animarum, sed pecuniae inhiant noctuae asiaticae. Nobilis femina Susanna Raksányi, quod a religione evangelica desciscere noluerit, a plebano divék-ujfalvensi non sepulta in proprio horto inhumari habuit necessum et quod vel referre justus dolor prohibet, Paulus Szedmák, incola bozokiensis in inc. comitatu honthensi, seniculus, de veritate evangelica convictus, quod eam ante obitum abnegare noluerit, vivus adhuc ex propria domo, jussu plebani, extractus et sub patibulum projectus ibidem non sine exquisita lamentatione mortuus et sceleratissimi malefactoris ad instar in eodem loco remotis liberis et amicis propudiose sepultus est. Detestabitur hoc omnis posteritas, cum in mortuorum corpora saevire barbarum sit et a professione christiana multo alienissimum. Hanc insolitam agendi rationem docuerat crudos illos plebanos exemplo suo Johannes Kutasy, archiepiscopus strigoniensis et sub Rudolpho II. regius locumtenens, qui non tantum calviniani dogmatis ministrum Tyrnavia exesse jussit, sed etiam edicto cavit, ne ad privatam vel publicam concionem haereseos patroni verba facerent, neve infantes fonte lustrali abluere adtentarent. Haeresi immortuos, hoc est, lutheranos et calvinianos vetuit sacro loco humari et quod multo est acerbius, corpora talium terrae tradere renuit ***), uti loquitur autor Palatii regni Hungariae palatinorum part. II. pag. 71.; conf. Archiepiscopos strigonienses compendio datos pag. 117.. Miror ego tantum praesulem neque primas illas dei constitutiones ad animum revocasse: In sudore vultus

*) Daxnernél: inquietissimus.

**) Ugyanannál: 14..

***) Ribay- és Daxnernél: vetuit.

tui comedes panem tuum, usque dum revertaris in terram, ex qua desumptus es, Genes. III. 19., conf. Eccles. XII. 7..

IV. Sepulti effodiebantur.

Illustre hujus exemplum est vir ad omnem posteritatem insignis, Johannes Simonides, fidelis veritatis evangelicae confessor, Neosolii procurantibus patribus jesuitis post novennium effossus, de quo in antecedentibus dictum est. Non hic mihi praetereundus est ferocissimus ille plebanus tokajensis, Andreas Domian, qui in eodem oppido circa an. 1701. *) cadavera helveticae confessioni addictorum ex crypta protrahi et extra coemeterium ejecta soli lunaeque obvia ab omnibus calcanda reliquit, uti nostri tempore commissionis pesthiensis luculentissime demonstrarunt. Ita faciebat Domian justo dei judicio domandus **). Hac barbara feritate nihil potest esse tristius, cum ii, quos deus per mortem omnibus vitae hujus injuriis exemptos esse voluit, ne in tumulo quidem quiescere in pace permittantur. Plura cruda hujus crudelitatis exempla, etsi facili admodum opera fieri posset, non adtingo.

V. Liberi invitis parentibus rapiebantur.

Non est necessum superiorum temporum exempla arcessere, cum id nostra etiam aetate illust. libero baroni Mosi de Réva, spectab. condam Emerico Okolicsányi et Alexandro Lehoczky multisque aliis evenisse notius est, quam ut debeat comprobari, quamvis haec et talia non raro funestissimo eventu terminentur. Erat civis tyrnaviensis, Johannes Janovszky, sacris evangelicis addictus, cujus filia cum ibidem violenter ad capessendam religionem romano-catholicam raperetur, perterrita subito in morbum gravem incidit et exspiravit, quod propter impeditam inquisitionem agentes nostri occasione commissionis pesthiensis ex actionali libello et replica per advocatum romano-catholicorum coram sacra sede strigoniensi exhibita demonstrarunt.

VI. Religionem romano-catholicam acceptare nolentes in carceres conjiciebantur.

Ut copiosius inprimis de dominio bozokiensi scribam, non est operae pretium, cum in vulgus notum sit, subditos ejus evangelicos, post exturbationem superintendentis Georgii Zabojnik ex ecclesia bozo-

*) Ribaynál: 1710.

**) Ribaynál: damnandus, Daxnernél: domatus.

kiensi an. 1672. factam, crudelissime divexatos fuisse. Praeterquam enim quod sub poena 40. *) fl. ad recipienda sacra romano-catholica adigebantur, id facere recusantes in carceres includebantur, flagris et fustibus verberabantur et violenter in templum pulsi inter ejulatus et lamenta religionem romano-catholicam profiteri cogebantur. Complures tempestive elapsi, ne vim conscientiae suae inferant, sedes suas vacuas reliquerunt, non sine manifesta aerarii regii jactura et detrimento. In inc. comitatu comaromiensi, possessione Szemere, plebanus Johannes Beregh pastorem ejusdem loci evangelicum primum per triduum catenis vinctum domi suae detinuit, dein carcere in Érsekujvár tamdiu adflixit, donec invitus a religione evangelica desciscceret. Paria in inc. comitatu posoniensi, possessione Nagy Kajal, evenerunt. Rector enim evangelicus captus et per plebanum galanthensem tamdiu in molestis carceribus detentus fuit, usque dum inter lacrymas et suspiria religionem suam commutaret. Ipsi patres jesuitae, qua domini terrestres in Pered, circa an. 1717. subditos suos carceribus, compedibus et aliis infelicibus modis ad acceptandam religionem romano-catholicam coegerunt et qui id facere renuebant, ad molestissimos labores circa calvariam, uti adpellant, posoniensem exantlandos adegerunt. Johannes Ebner in inc. comitatu soproniensi, pago Locsmand, religionis evangelicae causa captus et Günsii in carceres detrusus, non prius liberatus est, quam mulctae loco 40. florenos enumerasset, quod et aliis eodem anno 1702. **) evenisse exploratum est. Procul dubio cum ratione existimabant hi omnes felicem esse jacturam pecuniae, qua redimitur salus animae et libertas conscientiae, uti ex aequo judicabat Samuel Pomarius in eleganti illa praefatione Hexadi disputationum theologicarum de natura peccati originalis praemissa. Patientia me deficeret, si vel percensere vellem omnes, qui solius religionis evangelicae causa carceres tolerare coacti sunt. Num hoc institutioni servatoris nostri respondeat, eruditi vident et hunc agendi modum prudentiores etiam romano-catholici aspernantur,

VII. A frequentatione templorum evangelicorum arcebantur.

Vix aliquis fuit in universo regno Hungariae comitatus, qui divexationi huic non fuisset obnoxius. Solnenses profecto, in inc. comitatu

*) Daxnernél: 4..
**) Ribaynál: 1717..

trenchiniensi, aliunde omni calamitatum genere causa religionis evangelicae pressi, haec experiri habuerunt necesse, cum alii ad audiendos sacros sermones ad Szúlyó vel Bicsam transeuntes capti vestibus spoliabantur, alii majorem in modum mulctabantur aut barbara feritate *) verberibus adficiebantur. Testis horum esse potest nobilis Andreas Lehoczky, qui dum cum conjuge sua ad sacra proficisceretur, ad tricesimam sztrecsnensem per satellites, eo nomine ibi adservatos, cum summo libertatis suae praejudicio gravissime verberatus, vestibus et aliis rebus in via regia privatus, imo multis scloporum ictibus praeter omne meritum suum exceptus fuit. In inc. comitatu liptoviensi harum calamitatum neque finis, neque modus fuit. Nicopoli et Teuto-Lipcsae degentes evangelici ad Nagy Palugyam, locum articularem, audiendi verbi divini gratia profecti, in itinere vestibus exuti et domum redeuntes per rectores romano-catholicos bibliis et aliis libris evangelicis privati, cum frustra querularentur, inter lacrymas et ab animo profecta suspiria ingemiscebant. Eadem prorsus fata experti sunt inc. comitatus arvensis incolae, in oppido Trsztena; plebanus certas personas a participatione sacrae coenae redeuntes in carceres conjecit et alios pro lubitu suo mulctavit, alios ad deserendam religionem suam coegit. In inc. comitatu gömöriensi uti alii, ita inprimis cives rosnavienses sub poena 100. florenorum sacra evangelica adire prohibebantur et cum aliqui religioni et conscientiae suae satisfacturi Berzethinum transire adtentassent, a satellitibus vulnerati fuerunt, uti haec omnia et multo plura agentes nostri excelsae commissioni pesthiensi an. 1721. gravamina sua praesentantes certissimis documentis confirmarunt. Praeterea etsi an. 1681. art. 26. in comitiis soproniensibus constitutum et sacro Leopoldi M. imperatoris diplomate roboratum fuerit, ut omnibus magnatibus et nobilibus in regno degentibus in arcibus et solitis residentiis eorum pro ritu cujusque confessionis oratoria et sacella aedificare et dotare liberum sit: tamen publicam hanc comitiorum constitutionem ven. clerus ita constringebat, ut facultatem illam publica lege regni concessam pro privatis tantum precibus ibi peragendis datam adstruere conaretur ita, ut in talibus locis et oratoriis, prout articulariter omissis, cuivis in domo sua orare, Postilla legere, nullatenus tamen alios vicinos vel proprios subditos, tanto minus praedicantes eo, tanquam ad privatum duntaxat suae domus aut residentiae orationis locum admitti oportere existimaret. Hinc factum fuit, ut tempore commissionis pesthiensis accusarentur

*) Ribaynál: saevitate.

illustr. condam Elisabetha de Réva, liberi baronis Philippi Calisii relicta vidua, omni mea laude superior, quod in Bicsa, liber baro Zay in Podlusány, liber baro Paulus de Réva, fidelissimus rei evangelicae adsertor, in Stiavnicska, spect. dominus Ottlik in Ozorócz, inc. familia Sándor in castello kis-isztriczensi concionatores aulicos intertenere et subditos suos ad audiendos eorum sacros sermones admittere consveverint. Hanc accusationem etsi agentes nostri facili admodum negotio refutaverint, cum exploratum iis fuerit, eam non in lege, sed in explanatione Leopoldina anni 1691. per archiepiscopum Leopoldum a Kolonics et Ladislaum Matyasovszky, inscio imperatore, concinnata fundari: evenit tamen, ut non tantum aulici concionatores per varias citationes exagitarentur, sed etiam aliunde ad sacra venientes mulctarentur, usque dum publicum illud, publica regni lege admissum religionis negotium ad privatum redigeretur. In possessione Kochanócz, post comitia soproniensia, primum quidem inc. familia Ottlik, dein familia Raymanus, in aedes residentiarum suarum ministrum evangelicum induxerunt liberoque religionis exercitio usi, ab ejus continuatione vigore determinationis inc. comitatus inhibiti sunt et dum quadam vice in curia dominae Szentmiklósyanae minister evangelicus legitime vocatus ven. sacramentum administrare vellet, plebanus hricsoviensis curiam illam invadendo congregatosque evangelicos verberibus adficiendo, consecratum panem et vinum pedibus conculcavit et patellam ablatam difficiliter restituit, quod etiam inter gravamina evangelicorum occasione commissionis pesthiensis tanquam certum et omnibus exploratum relatum fuit.

VIII. Templa evangelicis variis modis adimebantur.

Quae cardinalis Leopoldus a Kolonics, archiepiscopus strigoniensis, Matthias Radonay, praesul quinqueecclesiensis, Paulus Eszterházy et alii egerint, dicetur in posterum. Hic mihi vel maxime commemorandum est, quod recuperatores, sive ut vulgo adpellantur, commissarii regii post annum 1687. non parum res evangelicas constrinxerint. Illustr. condam comes Wolfgangus Kohary, qua delegatus, ut loquimur, commissarius regius an. 1688. omnes fere ecclesias evangelicas in inc. comitatu nagy-honthensi ademerat, quas tamen nostri deo propitio ex mente articuli 26. anni 1681. in comitiis soproniensibus consignati iterum occuparunt et dei regumque gratia adhuc tuentur. Comes Georgius Erdödy, commissarius regius, uti alios, ita inprimis trenchinienses evangelicos adflixit, studia ad grammaticam restrinxit et an. 1688.,

quo uno rectore et quatuor companis (studiosos litterarum dicere debuisset) contenti sint, cum autoritate definivit. Novisolienses per tales commissiones regias semel atque iterum ad binarium ministrorum numerum restricti, difficiliter tertium ministrum impetrarunt et quamvis in comitiis soproniensibus art. 26. expresse constitutum fuerit, ut in posterum nullae templorum scholarumque et parochiarum occupationes vel exercitii turbationes ab utrinque sub poena in art. 8. Vladislai decreti VI. expressa fiant: tantum tamen abest, ut publicae huic constitutioni satisfactum sit, ut potius statim post comitia soproniensia Vetusolii, Briznobanyae et Libethae, ubi praeter plebanum et rectorem nemo romano-catholicus reperiebatur, et praeter innumera alia etiam an. 1715. Carponae exercitium religionis sublatum fuerit. Conferri possunt in hanc rem gravamina evangelicorum augustissimo condam imperatori Carolo VI. occasione comitiorum posoniensium an. 1715. per spectab. condam Paulum Okolicsányi oblata, ubi omnia templa protestantibus adempta continua serie recensentur. Post comitia posoniensia an. 1715. celebrata, ad commissionem usque pesthiensem, quae in annum 1721. indicta fuit, atque adeo intra sexennium ultra 140. templa occupata nostri cum exstantissimo dolore intuebantur, uti coram excelsa regia commissione pesthiensi agentes evangelici voce et scripto luculentissime recognoverunt. A tempore benignae resolutionis Carolinae quantam stragem adversarii ediderint, loquuntur ecclesiae transalbanae, quae praeter omne suum meritum, instigante clero, ad unicam pritrzsdiensem restrictae, pristina fata sua deplorant et inter mille suspiria gemebundae dolent. Alias vel percensere labor foret multo difficillimus. Scit hoc nostra aetas, nullum fere esse inc. comitatum, qui non similia in dies patiatur. Ecce an, 1763. in filiali ecclesiae szügyiensis Csasztva*) oratorium solo aequatum est vel eo nomine, quod omnes evangelici praeceptorem seu potius notarium pagi evangelicum intertenuerint, quorum complures perperam tractati et praeter aequitatem adflicti sunt. Deus, rerum sacrarum arbiter, et videt et judicando vindicabit. Nos sanctissimis ejus promissionibus confisi, etsi praeter jus et fas adfligamur, certissime credimus, quod adflictum coetum evangelicum, inter syrtes et scopulos constitutum, dirui non patietur. Evigila domine et ut id, quod tuum est, dissipetur, non patiare!

*) Daxnernél: pastore pro tunc ibi existente Gabriele Balasovicz, ita in Kis Csalomia elaborante Paulo Balassa st..

§. 2.

Auxit divexationem hanc non parum suspicio illa de conjuratione quorundam praenobilium, *) in caput regis adtentata. Hinc non pauci Eperjesinum citati et ex sententia crudelissimi Antonii Caraffae, qui gente italus, patria neapolitanus erat, ad mortem condemnati an. 1687. funestiore fato fungi necessum habuerunt.

Postquam Emericus Tököly desperatis rebus in Turcia haerere debuisset, erant forsan, qui ejus recordati, fata ei magis propitia comprecarentur et cum libero barone Stephano Petróczy aliisque, cum eo Munkácsini et dein in Turcia commorantibus, litteras commutarent. Hinc Eperjesinum citati et sub specie adtentatae conjurationis ad mortem condemnati, iniquiore morte e vivis sublati sunt. Portendebat hoc an. 1685. circa collegium eperjense ingens et inaudita monedularum et graculorum inter tetros clamores ad sangvinis usque profusionem dimicatio. Harum uti plurimae exanimes concidebant: ita infelici forsan nobilium fato praeludere videbantur. Hi enim sunt, quinihil prorsus commeriti post exquisitissimos cruciatus infelicissima fata debuerunt experiri. Quae ex Theatro eperjensi optima fide conscripto, quod et ipse ego possideo, addidici, gratia posteritatis cum omnaequitate adsignabo.

Die 15. mensis Martii ad ferale theatrum illud educti fuerunt:

I. Sigismundus Zimmerman.

Nobilis, senator et collegii statuum evangelicorum inspector, 16. Febr. sive dominica Invocavit ad prandium captus et compedibus vinctus, acerrime stringebatur a crudeli Caraffa et commendante Görtz, ut arcanam illam munkácsiensium conspirationem detegat; sed cum nihil fuerit fassus, 25. Febr. quaestioni subjectus et variis, quae excogitari poterant, tormentis exagitatus, exquisitissimis doloribus victus, reos peragit **) justos scelerisque puros et rursus cessantibus cruciatibus meliore conscientia negat constantissime, quae inter intensissimos dolores fuerat confessus et addit, se malle confiteri, quod patrem et matrem, qui pridem diem supremum obierant, occiderit, quam cruciatus illos pati amplius. Sed nihil valuit innocentia, quia resecta dextra manu capite plectebatur et exangve corpus ejus in quatuor partes divisum ad

*) Doleschal- és Daxnernél: quasi.
**) Ribaynál: detegit.

vias publicas suspendebatur, postquam nec mutatio religionis, sangvineis lacrimis deplorata, nec obtestationes dilectae uxoris, nec torques conjugi Caraffae datus quidpiam valuisset. Exangvis corporis ejus partes post sex hebdomadas ex infami loco desumptae et clam contumulatae fuerunt.

II. Andreas Ketzer de Lipócz et in Peklin.

Vir antiquae nobilitatis, doctus et commodorum patriae ut quam plurimum studiosus, unius filii et quinque filiarum pater, eodem die, quo Zimmerman, comprehensus, 26. Mart. equuleo impositus et revinctis post tergum manibus ultra quinque horas acerbissime excruciatus, omnem crudelitatem, nullius mali sibi conscius, constantissime superavit. Antequam ad ferale theatrum duceretur, vener. Lipóczio, praesentibus patribus jesuitis, ardentissime confessus est, et contra imputata sibi scelera coram deo, sanctis angelis et omnibus mortis suae spectatoribus per legem intercedebat sive, ut vulgo loquimur, solenniter protestabatur. Huic Eperjesinum Carthago, Eperjesino ille Regulus fuit. Cum alter deesset, consors carnificis curam ejus suscepit et antequam mortuus fuisset, ut conjugis tumulo in Peklin inferatur, per internuncios apud Caraffam flagitavit atque demum, cum nihil obtinuisset, commendatis deo et rev. Lipóczio liberis, annos 64. natus exstinctus est.

III. Casparus Rauscher. *)

Zimmermani in exercenda mercatura socius, vir pius et abstinens **). Uti enim coelebs vixit: ita ab omni se potu diligentissime abstinuit et annos 44. natus, mortem forti et christiano animo oppetiit, aliis eo nomine felicior, quod tantis et tam exquisitis cruciatibus subjectus non fuerit.

IV. Franciscus Baranyay,

genere nobilis, munere senator eperjensis et collegii statuum evangelicorum inspector ***), pertinax libertatum defensor et veritatis evangelicae confessor constantissimus. Hic aliis omnibus acerbius divexatus postquam calceos, ut vocantur, hispanicos induere cogeretur, fassus est, quod tum Eperjesini fuerit, cum claustrum franciscanorum fuisset demolitum. Ad ferale illud theatrum eductus, omnibus praesentibus ad judi-

*) Ribay és Daxnernél: Reuscher.
**) Ribaynál: abstemius.
***) Doleschal- és Daxnernél: vir recti pertinax.

cem illum, omnes justissime judicaturum, provocabat et adstante ven. Lipóczio praesentissimo sibi animo finem vivendi fecit.

Hi omnes eodem mortis genere, quo Zimmermanus, interierunt. Insimulabantur, sed absque omni veritate, illius, quod litteras cum munkácsiensibus commutaverint; hinc singulis primum dextra manus, dein caput resecabatur et dissectum in quatuor partes corpus ad totidem vias regias, quarum prima Sárosinum, alia Sebesinum, tertia Leutschoviam, quarta Cassoviam ducit, suspendebatur et capita uncis ferreis adfixa dependebant. Quo posteriorum trium corpora post comitia redacta fuerint, juxta cum ignarissimis scio, cum milites ante comitia, ex mandato infelicis Caraffae, quotidie patibula circumequitarint. Uxores exstinctorum non minus in aula caesarea, quam alibi multis modis querulabantur, maritos suos insontes condemnatos fuisse. Hinc Cassoviae constituti fuerunt judices, qui causam hanc ex vero disputarent, sed ab infami et astuto Caraffa circumventi constituerunt, quemlibet capite diminuendum esse, qui hos insontes interiisse pronunciaverit. Egregios judices a justissimo judice judicandos!

Die 22. mensis Martii in ferali illo theatro interierunt:

I. Gabriel Ketzer,

Andreae filius, annos 30. natus, altero post captum patrem die comprehensus, vir nobilis, comis, promtus et nemini invisus. Praevio examine ex sententia judicum manus tortoris evasit et ante feralem *) sibi diem per rev. Andricium, slavorum pastorem, venerabili epulo refectus inter miserabiles sororum et amicorum planctus, resecto a cervice capite, in Peklin contumulatus fuit, omnium sententia multo longiore vita dignus.

II. Martinus Sárosy,

Sebastianus filius et Andreae Ketzer dilectus gener, annos circiter 26. natus. Scripserat ad patrem suum, qui Munkácsinum profugerat, in rebus privatis epistolam, quae tantam ei conscivit infelicitatem, ut propter vanam hanc suspicionem mori debuerit, non sine terrore, adstante sibi rev. Lipóczio, vita functus.

III. Georgius Fleischhacker,

nobilis, civis eperjensis et mercator, de religione evangelica et scholis

*) Doleschal- és Daxnernél: fatalem.

egregie meritus et cum generalis Scholtz urbem obsedisset, eperjensium judex. Ante fatalem obitum suum rev. Michaeli Gvendelio religiosissime confessus, sacra coena usus est. Huic jesuita Perczhoff, qui Zimmermanum seduxerat, infestus fuit; sed in vanum, dum in dies a vexillifero, vigilias ibidem agente, in veritate religionis evangelicae confirmaretur. Comitabatur eum ad ferale theatrum rev. Gvendelius et uxor, liberi atque nepotes funesta ejus fata deplorabant. Corpus ejus exsangve collectum, domum delatum, ablutum et in pomario Sebesinum versus conditum fuit, postquam de loco sepulturae diu multumque fuisset disputatum.

IV. Samuel Medveczky,

vir doctus, senator et jurisconsultus, die 15. Martii in carceres conjectus. Uxor ejus lubrica a sacris eum evangelicis, sub spe conservandae vitae, avertere laborabat; sed frustra fuerunt omnes ejus destinationes. Nam uti a veritate evangelica se dimoveri non patiebatur: ita in theatro, praeeunte pastore, religiosissime precabatur et postquam dixisset: „Domine *) in manus tuas commendo spiritum meum," resecato unico ictu capite, et loqui et vivere desiit, uti Fleischhackerus in proprio horto **) contumulatus.

V. Georgius Schönleben,

nobilis, civis et senator eperjensis. Hic Viennam in negotio religionis saepe numero exourrebat et res evangelicorum eperjensium saluberrime procurabat. In societatem criminis adtractus, pari cum duobus superius descriptis supplicio adfectus et in horto sepultus est. Locus ei inhumando destinatus ita terrae exaequatus est, ut ne minimum quidem vestigium exstet ***) ad posteritatem.

His adjungi meruisset **Sigismundus Guth**, neosoliensis et Eperjesinum delatus senator et collegii evangelici inspector, nisi spe conservandae vitae inductus sacra immutavisset, vir alioquin judicii magni et consilii plenus. In carceribus a licentioso milite majorem in modum divexabatur. Per annos enim 12. omni prorsus visu destitutus fuit; hinc cibus eidem adlatus per milites consumebatur aut cineribus permistus famelico porrigebatur. Divexabatur arthritide, hinc tormenta

*) Doleschal- és Daxnernél: deus.
**) Ugyanazoknál: in pomario.
***) Ugyanazoknál: exstare possit.

veritus, speciosa quaedam in alios insontes fassus fuit. Ideo *), ut opinor, factum est, quod interprete Michaele Fischer, camerae cassoviensis administratore, qui apud Caraffam multum valuit, liber pronunciatus et propter commutationem sacrorum opibus et honoribus auctus fuerit. Sigismundus iste fuit Danielis Guth, intimi principis Emerici Tököly secretarii, collegii status evangelici inspectoris et urbis bartphensium judicis, an. 1684. beate mortui, frater, cui Jacobus Zabelerus, apud bartphenses pastor, sermonem funebrem, ibidem impressum, dedicavit, nunquam alioquin facturus, si discessionem ejus a religione evangelica praevidere potuisset.

Die 9. mensis Maji ad theatrum proficisci jubebantur :

I. Simon Feldmayer,

Custrini natus, a primis adolescentiae annis militiae deditus, qui et polonis et Tökölyo militabat. In praemium virtutis, quam tempore obsidionis Scholtzianae testatus fuit, splendida domo Melczeriana Eperjesini a Tökölyo donatus, occupato Eperjesino an. 1686. castra imperatoris sequutus fuit et ad Budam fortem se esse militem commonstravit. Eperjesinum veniens, cum nullum metueret periculum, in vincula conjicitur, generalem Caraffam, quo antehac amico usus est, inimicum nactus. Hic clauso firmiter carcere exclamavit: „Miserere mei deus! Non despero, sed ne sim ludibrio hostibus, pereo,“ et infixo cordi suo penicillo interiit. Vigil cum reliquis clamore excitatus fores effringit et eum die 6. Maji exanimem deprehendit. Cadaver eodem die hora secunda post meridiem caudae equi adligatum, ad locum supplicii raptatum et inter infamia loca in quatuor partes dissectum suspensum fuit **).

II. Andreas Székely,

nobilis hungarus, ab audacia commendatus. Altera enim obsidione eperjensi, omnibus vigilibus elusis, litteras urbi importavit. Ejuratis sacris calvinianis pontificius factus, duos filios patribus jesuitis obtulit, in ferali theatro carnificem, ut recte manu uteretur, exosculatus est. Truncus ejus extra urbem sepultus fuit.

III. Georgius Bezegh,

ex inc. comitatu soliensi, nobilis et Tökölyo a consiliis, perpetuus itine-

*) Doleschal- és Daxnernél: indc.

**) Ugyanazoknál: patibulis adfixum fuit.

ris ejus comes et ideo valde carus et acceptus. Filios habuit duos, quorum unus Viennae dum restitutionem bonorum impetrare vellet, per triennium captivus detinebatur et nonnisi mutata religione libertati restitutus fuit, iterum opportuno tempore evangelicis adsociatus. Occupata an. 1686. *) per Capraram **) Cassovia, cum reliquis Tökölyanis certis conditionibus vitam conservavit. Eperjesinum adductus crudelissime torquebatur et post septem hebdomadas pari cum prioribus supplicio adfectus est. Patris cor filius redemit, domui suae intulit, perpetuam sibi et suis dolendi materiam. Eo nomine felicem se existimabat, nec sine ratione, quod ante obitum opera ministri evangelici uti potuerit.

IV. Georgius Radvanszky,

praenobilis hungarus et multarum opum heres, compositus et a ciendis turbis alienus. Hic ita regi suo fidelis erat, ut societatem armorum Tökölyanorum pecunia redemerit. Curru proprio Eperjesinum devectus, mense Februario ademptis omnibus, quae habebat, carceri includitur et ultra, quam quis existimare queat, divexatur, ut adeo ipsa crudelitas omnes in eo vires consumsisse ***) videretur. Corpus ejus tot tantisque tormentis et cruciatibus adflictum et nudo stramini injectum, miserabile fuit omnibus spectaculum. Minister evangelicus non prius ad eum admissus est, quam tantis doloribus victus, sensu fere et integra ratione destitueretur. Hinc post decem exquisitissimorum dolorum dies carceri inclusus vivere desiit. Ignominiam, quae vivo parabatur, corpus ejus exsangve declinare non potuit. Luctuosissimum illud erat spectaculum, dum mortuus impuris carnificum manibus ex carcere protractus, infami currui imponeretur et aliis ad locum supplicii procedentibus, ad infelix illud theatrum deveheretur et resecta primum post mortem dextra manu, cum famuli carnificum corpus exsangve erectum sustinere non possent, reste ad aures demisso caput cingunt, corpus protrahunt et caput mortui decutiunt atque demum corpus in quatuor partes divisum in patibulis suspendunt. Elaboravit quidem spectab. dominus Johannes Radvanszky, Georgii filius, ut divisas illas corporis dilectissimi sui patris partes, contumulare potuisset; sed neque precibus, neque largitionibus efficere potuit quidquam. Tandem †) evenit, ut paucum post tempus in Szinye

*) 1685. Szalay: Magyarország története. V. köt. Pest, 1857. 358. l..

**) Daxnernél, de hibásan: Caraffam.

***) Doleschal- és Daxnernél: exeruisse.

†) Ugyanazoknál: tamen.

clam sepeliretur. Cuneus, quo transfixum fuit caput,*) in perpetuam acerbissimi illius doloris memoriam adhuc adservatur, quem me ipsum vidisse confiteor. Tam atrox et horrendum hoc fuit spectaculum, ut ne carnifex quidem castrensis se ab indignatione cohibere potuerit, sed barbarae illi feritati non sine dolore ingemuerit.

V. Fridericus Weber,

civis, senator et notarius eperjensis, homo levis et inconstans. Hic musicorum more mox apud hunc prandebat, mox coenabat apud alium. Inprimis cum an. 1685. Tököly ad portam inferiorem eperjensem castra collocasset et varii adessent ad vinum spectatores, Weberus quoque saepe castra adibat et vino genium perluebat. Capta a caesareanis urbe rapitur Weberus in custodiam et commutationis litterarum cum munkácsiensibus insimulatur, quod etsi constantissime negaverit: tamen a quodam jesuita Ignatio eo inductus fuit**), ut religionem evangelicam ejuraret et omnes in praesentissimum discrimen conjiceret. Ex hac enim unica scaturigine tanta pernicies prorupisse credebatur. Ad theatrum veniens inter maximos animi cruciatus omnes, quos in discrimen adduxerat, sibi conciliare studet et fratrem suum innocentem maxime demulcet, qui tamen praesente sibi animo respondet: „O canis! cur pauculas sangvinis mei guttulas sitivisti? Ego profecto mihi salutem, tibi vero omnia mala polliceor.“ Adstante patre jesuita Ignatio, nefario homini unus carnifex manum, alter caput, inter maximas ejus vociferationes, amputavit. Hinc procul dubio factum fuit, ut eperjenses etiam commemorationem nominis Weberiani fuerint abominati.

IV. Daniel Weber.

Prioris frater, ex Szolnok, ubi officio fungebatur, catenis vinctus sub custodia militis germanici Eperjesinum adductus est. Cruciatus tormentorum, uti frater, effugit et ne corpus ejus in quatuor partes dissecetur, mutatione religionis impetravit ***).

VII. Johannes Roth,

nobilis hungarus neosoliensis, cui post exquisitissimos cruciatus, quos perpessus est, dies 9. Maji salutem adtulit. Cum enim ad mortem post

*) Doleschal- és Daxnernél: in quodam loco.
**) Ugyanazoknál: multis promissis.
***) Ugyanazoknál: procuravit.

aliquot horas subeundam usu venerabilis sacramenti fuisset praeparatus et Georgium Bezegh, carceris contubernalem, ad ferendum patienter supplicium multis verbis excitavisset, ut loquuntur, gratiam consequutus est. Multis variisque modis curatus fuit, sed tamen in solidum cum valetudine in gratiam redire non potuit. Hic unus omnium de cruciatibus et tormentis eperjensibus optime commentari potuit. Cum ad proxima comitia posoniensia venisset et cruciatus illos, quos sustinuit, enarrasset: non tantum omnes stupebant, sed ablegati Croatiae, cum nudum corpus ejus conspicerent, judicibus illis pessima quaeque precabantur, ut qui nobili et innocente hungarorum sangvine tanquam de lapide emptorum mancipiorum abuterentur. Discedenti domum judices scripto testimonium perhibuerunt, quod post honestum examen innocens fuerit repertus. Honestum plane examen, quod tam intensis cruciatibus fuerat definitum. Si innocens repertus fuit, uti fuit omnino, cur in 10000. imperialium mulctabatur? ex quibus in praemium intensi doloris 5000. ei restituta fuerunt. In proximis comitiis posoniensibus coram Leopoldo imperatore perorabat, crudelitatem tormentorum explicans mulctae restitutionem postulabat et innocentiam suam multis numero argumentis contestabatur, beate tandem deo et regi fidelis in domino mortuus.

VIII. Gabriel Palásthy,

Korosino ex inc. comitatu nitriensi nobilis et sub Tökölyo miles fortis, domi suae a militibus, sub praetextu emendorum equorum venientibus, captus et Eperjesinum, comite famulo, deductus est. In itinere oblatam sibi effugiendi occasionem contempsit, meliori causae suae confisus. Eperjesini carnificibus traditus, ultra quam reris, torquebatur. Resecatis non sine ludibrio comis clavi, soleandis equis procusi, intra pedum ungves incutiebantur et quod vel auditu horrendum est, filamenta, ut vocantur, ferrea membro virili infigebantur. Inauditis his cruciatibus ad confessionem adactus est, sibi aliisque multo perniciosissimam. Nam et se feriis circumcisionis Munkácsini fuisse fatebatur, etsi multi jurejurando confirmarint, eum dicto die sacris evangelicorum in inc. comitatu nitriensi interfuisse; et pecuniam pro munkácsiensibus a Radvánszkyo accepisse adserebat, etsi Radvanszkyum neque noverit, nec in domo ejus unquam fuerit. Cruciatibus solutus Radvanszkyo nunciat, ne id ipsum malitiae ejus, sed intensissimis adflictionibus *) adscribat et quidquid mali admissum est, in meliorem partem interpretetur. Exstinctus est

*) Doleschal-és Daxnernél: tormentis.

eodem mortis genere, quo Zimmermanus. Clavos prioribus digitis incussos extrahere passus non est, sed cum iis pependit, inauditae crudelitatis vestigia posteritati significaturus.

IX. David Féja,

nobilis thurocziensis, *) egregius causarum patronus et dum haec aguntur, judex urbis cassoviensis. Post acerbissimos cruciatus, denegato ei pastore lutherano, ratione et sensibus destitutus in carcere mortuus est. Ad theatrum vectus idem, quod Radvanszky, praebuit spectaculum **). Atrocitate cruciatuum superatus multos cives in periculum conjecerat, qui tamen post aliquot hebdomadarum carceres toleratos dimissi sunt.

X. Johannes Bertók.

Post diuturnos cruciatus eodem infami mortis genere, quo Radvanszky et Palásthy, sublatus est.

XI. Lanio quidam ***) cassoviensis.

Homo pertenuis, ne solus periret judex eorum Féja, sine †) ulterioribus cruciatibus sublatus est. Judices contenti capite a cervice revulso, truncum extra portam civitatis sepeliri curarunt. Hic infelix homo nunquam a judicibus examinatus fuit, etsi ad fallendos alios persaepe ex carcere educeretur. Audita mortis sententia homo optime sibi conscius acerbissime ploravit et uxor ejus per universam civitatem innocentiam viri sui praedicavit. Erat religione calvinianus, cui morituro minister lutheranus adstitit et ante obitum cum eodem precabatur.

Hi erant tristes tantorum virorum exitus, quos pretio conducta meretrix, Elisabetha Ujhelyi, procuravit. Occasio mali fuit ista. Florebat eo tempore Eperjesini collegium evangelicum, cujus rectores et praeceptores, cum ipsi eperjenses non possent, aliorum quoque patronorum liberalitate sustentabantur. Habebant igitur collegii illius inspectores necessum aliorum quoque patronorum liberalitatem implorare et cum alias fieri non posset, per litteras etiam exorare, quo ita 400. fl.

*) Doleschal- és Daxnernél: temporibus Tökölyanis.

**) Ugyanazoknál: tam atrox et horrendum, ut ne carnifex quidem castrensis, viso emortuo Radvanszkyi corpore, se ab indignatione cohibere potuerit, sed barbarae illi feritati non sine dolore ingemuerit.

***) Szalaynál Kovács György a neve. Magyarország története V. köt. Pest, 1857. 554. l.; Tutkónál pedig: Szabad kir. Kassa városának történelmi évkönyve. Kassa, 1861. 162. l.: Lányi Samu.

†) Doleschal- és Daxnernél: tormentis.

congregare et praeceptores collegii exsolvere possent. Haec uti omnibus nota erant; ita infamis femina, Elisabetha Ujhelyi, pretio conducta dejerabat Palásthyum per Radvanszkyum, Bezeghium et Rothium ad munkácsienses pecuniam transmisisse et cum iis litteras commutasse. Hinc illae lacrymae et *) tantorum virorum occasus. Horum autem omnium arbiter erat generalis Antonius Caraffa, homo ad omnem crudelitatem comparatus. Vidit hoc deus et judicabit. Hic 6. Martii an. 1693. Viennae praeter exspectationem moriturus, crudelitatem suam alterius, uti reor, opera, in hunc modum accusavit:

Ketzer, Zimmerman, Rauscher Baranyayusque
Féja et Radvanszky, Bezegh, Palásthyus atque
Székely, Roth torturatus Sztarsinszkyus **) aeque,
Factio de Munkács fuit his quia cognita nunquam
False accusati, fateor, perpende viator!
Proh dolor! hos necuit pretio conducta meretrix
Praeter postremos sunt omnes ense necati
Dissectis dextris ante haec, o crimina! crimen!
Illo quod majus, patienter tormina passi,
False damnati sic sustinuere dolores;
Non ignis candensque chalybs, non verbera passim
Ictibus innumeris laterum ***) scindentia corpus
Carnificisque manus penitus infusa medullis,
Cessavere, (ferum dictu visuque) per artem
Saevitiae extensi, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus, atque omni sangvine rupto
Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.
Ignoscat caesar! Peccavi! Fisce domatrix †)
Reddere pro lacrymis bona confiscata memento!
Insons caesar erit, poenas luet ipse retentor
Astraea namque jubet cunctis jam reddere adempta.
Deprecor o hunni! genitores atque pupillos,
Quosquos offendi, veniam peto, parcite factis;
Reddere non possum, si possem reddere vitam

*) Doleschal- és Daxnernél: infelix.

**) Ugyanazoknál: Sztarniszkyus; Ribaynál: Sztranovszkyus.

***) Doleschalnál: lacerum.

†) Ribaynál: donatrix.

Exstinctis, mallem ipse mori, quo vivere possent.
Discite rite meo exemplo sub sole potentes
Insontes non condemnare et vivere juste,
Si vultis subsistere judicis ante tribunal.
Ita lugebat feritatem suam
in colonellatu malus,
in generalatu pejor
in commissariatu pessimus
Antonius Caraffa, crudelissimum satanae instrumentum.

§. 3.

Equidem augustissimum imperatorem Leopoldum nemo facile accusaverit, in evangelicos *) subditos suos satis aequum; ferus tamen et inclemens Kolonicsius cum quibusdam ex ven. clero sub finem superioris et initia hujus seculi XVIII. ita saeviebat, ut feritatis ejus adhuc cum dolore recordentur evangelici.

Quod ad gloriosissimum condam imperatorem Leopoldum M. attinet, eum jure et merito **) satis excusavit autor Historiae diplomaticae pag. 122., cum is pro augustali sua clementia et citatos an. 1674. ministros dimittere voluerit, ut testatur M. Georgius Lányi in Narratione captivitatis suae: Kolonicsius tamen magno studio obstitit et coram professus est, etsi imperator millies pro captivis aliquid decreverit, se millies immutaturum. Dum archiepiscopus strigoniensis constitueretur. a priore consvetudine sua non descivit ***), sed ferocior factus est. Nam uti an. 1672. posoniense templum eripuit lutheranis, ita an. 1700. †) missis ad inc. comitatus circularibus litteris omnes romano-catholicae religioni addictos ad divexandos evangelicos excitavit et post biennium, 8. Jul. an. 1702., datis Vienna ad plebanos litteris talia consilia de exstirpandis a religione romano-catholica dissidentibus subministravit, quae lictores magis, quam archiepiscopum ††) decuissent. De his prolixius enarrare opus non est, cum autor Historiae diplomaticae et alii illius temporis viri ad posteritatem perscripserint. Hoc inde derivaveris, quod Kolonicsius ex Martis alumno factus, ut romano-catholici loqui amant, religiosus primis statim

*) Doleschal- és Daxnernél: fideles.
**) Ugyanazoknál: prolixe.
***) Ugyanazoknál: destitit.
†) Ugyanazoknál: 2. Jan..
††) Ugyanazoknál: theologum.

annis ad omnem crudelitatem fuerit praeparatus. Hujus consiliis et autoritate excitati non pauci, evangelicos ut quam plurimum adfligebant. Matthias Radonay, praesul quinqueecclesiensis, acerbissime a religione sua dissidentes divexavit. Abbas s. Martini de s. Monte pannonio verbi divini ministros e territorio suo penitus eliminavit. Jesuitae oppidum solnense cum comite Georgio Erdödy perturbarunt et Paulus Eszterházy evangelicos ex suis ditionibus exstirpavit, quem multi quoque alii magnates sequuti sunt. Horum infelici exemplo et autoritate Kolonicsiana incitatus Petrus Paulus Gabriel Zablaszky, eques de Tuleschitz, plebanus visnovicensis, an. 1702. mense Aug. ad ven. condam Samuelem Michaelidem, eo tempore ministrum trenchiniensem, tam contumeliosam exaravit epistolam, ut omnem, quae nobis innata est, humanitatem exuisse fuerit visus. In dicta enim epistola, quae in Historia diplomatica pag. 143. sq. legi potest, ven. condam Michaelides praedicans sceleratissimus, nebulo, impostor, infernalis furcifer, draco tartareus, stolo, monstrum, membrum abscissum et mortuum, sacrilegus, idololatra et quid non fuit adpellatus eo tantum nomine, quod visnovicenses evangelici Trenchinium sacrorum causa transire consveverint.

§. 4.

Dum an. 1703. per Franciscum Rákóczyum turbaretur Hungaria et complures urbes a foederatis interciperentur, religio evangelica undiquaque pristinae libertati restituta fuit: sed mortuo an. 1711. augustissimo imperatore Josepho I., qui 12. Dec. an. 1709. liberum religionis exercitium peculiari diplomate confirmaverat, ac compositis belli tumultibus, rursus evangelici a possessione ecclesiarum fuerunt deturbati.

Dum infestis et infelicibus Rákóczyi armis adfligeretur Hungaria et religio protestantium in compluribus locis pristinae libertati restitueretur: nonnisi festivi plausus et gaudia oriebantur, infelici fato terminanda *). Dum infelix ille militum Rákóczyanorum dux, Urbanus Czelder, militaturus in campum prodire vellet, ex Rákóczyi et colonelli ejus Czelderi arbitrio Daniel Krmann, pastor solnensis et superintendens, 8. Mart. an. 1708. octo praestantissima vexilla consecrabat. Ingressus est colonellus cum regimine cathedrale templum solnense et vexillis non procul ab altari ordine dispositis, post solennem cantum superintendens ex psalmo LX. 3.—7. perorabat et „Sub novis vexillis, verbo et prece san-

*) Daxnernél: terminata.

ctificandis militare ex hybernisque in campum prodire volentium officia“ explicabat, quae consistebant in eo, ut:

1. Peccatum in quartiriis relinquant.
2. Vexillum sibi datum adsumant.
3. Officia vexilliferi faciant *).

Hoc finito recitabatur precatio pro felici successu armorum hungaricorum et rev. Matthias Gerhard minister castrensis **), insignia vexillorum culto sermone germanico ***) exponebat et universum hunc actum precatione per Rákóczyum concepta et in castris ejus familiari concludebat. Vide, si placet, Actum inaugurationis vexillorum, qui prodiit Solnae an. 1707. typis Dadanianis in IV. †). Post sedatos tumultus bellicos et reconciliatam Hungariae augustissimam domum austriacam solenni edicto regio constitutum fuit, ut religionis exercitium in statu, quo proxime ante motus erat, ubique maneat. Verba augustissimi condam imperatoris et regis Josephi. I. in mandato haec sunt: „Uti omnia ad priorem statum, in quo nempe ante modernos tumultus fuerunt, reponi et restitui clementer et absolute volumus: ita omnem ulteriorem pariter adversus augustanae et helveticae confessionis ministros et praedicantes privatim quorumlibet vim et violentiam, aut eorundem persecutionem, vel templorum, scholarum et parochiarum ipsis competentium occupationem, contra genuinum articulorum soproniensium et posoniensium novissimarum diaetarum sensum ac tenorem quovis modo adtentandam, serio et districtim inhibemus, imo liberum religionis suae exercitium ad mentem praecitatorum articulorum pro iisdem augustanae et helveticae confessioni addictis permanere et neutiquam eos eatenus debere turbari volumus et jubemus.“ Haec, uti dictum est, 12. mensis Dec. an. 1709. Viennae extradata et augustissimi imperatoris et regis Josephi I., comitis Nicolai Illésházy et Ladislai Hunyady nomine confirmata prodierunt: sed cives evangelici breve illud gaudium longo admodum moerore expiare necessum habuerunt. Vix enim coetus suos in ordinem reduxerant, per clerum Hungariae ††) non tantum ab ecclesiis, quas tempore comitiorum soproniensium possede-

*) Ribay jegyzete: Concio haec slavice dicta et impressa fuit in forma IV. Solnae 1707..

**) Ribaynál: cassoviensis.

***) Daxnernél: hungarico.

†) Ribaynál a szélen: slavice.

††) Doleschal- és Daxnernél: jussu regio.

rant, sed etiam quae iis publico nomine per recuperatores adtributae fuerant, non sine maximo animarum dispendio et facultatum suarum jactura depulsi, nunquam eas amplius post augustissimi regis Josephi I. obitum recuperare potuerunt.

§. 5.

Inter complures alios luculentissimus horum omnium testis esse potest comes Georgius Erdödy, fratre Gabriele, episcopo agriensi, in adfligendis evangelicis non facile inferior.

Quantum hic rei evangelicae circa an. 1711. nocuerit, praeter multos alios oppidum solnense, celebris condam evangelicorum sedes, evidentissimo documento esse potest. Quamprimum enim Solnam potestati suae adseruisset, in eo pertinacissime elaborabat, ut omnes, qui sacris evangelicis adhaerebant, nulla habita ratione ex oppido propulset et conscientiis miserorum civium jacturam adferat nullis mediis facile redintegrandam. Primum enim et ante omnia a primoribus oppidi orsus constituit, ne quis in posterum a sacris romano-catholicis alienus in senatum cooptetur; dein puncta numero XI. ad eliminandos evangelicos*) directa conscripsit et non minus judici, quam bonorum suorum inspectori studiosissime observanda commendavit. Adscripsissem ea omnia, uti in Historia vitae Gabrielis Erdödy episcopi agriensis pag. 61. sq. recitantur, nisi me barbara loquendi ratio, litteratis hungaris invisa, avocavisset. Summa barbarae illius latinitatis**) huc redit:

1. Evangelici sacro, quod missaticum adpellant, et concioni, nisi puniri velint, diligenter interesse jubebantur.

2. A coemendis bonis, qualicunque demum nomine veniant, sub poena 100. fl. arcebantur.

3. Nulli evangelico jus civitatis in oppido, aut tempus commorationis vel sub nomine inquilini admittebatur.

4. Bibliopolae a venditione librorum evangelicorum opportunitate nundinarum sub poena omnium perdendorum arceri jubebantur.

5. Evangelici ediscendi alicujus opificii causa Solnam venire ibidemque commorari cupientes non admittebantur.

6. Servi cujuscunque nominis, nisi sacra commutaverint, tolerari prohibebantur.

---

*) Daxnernél: ministros evangelicos.

**) Ribaynál: locutionis.

7. Solnenses addiscendarum lingvarum vel opificiorum causa ad urbes evangelicas transire ibidemque commorari non permittebantur.

8. Opifices ad comparanda vexilla et frequentandas processiones, in specie feriis Corporis Christi adigebantur.

9. Sacris evangelicis, quae in Bicsicza celebrari solebant, quempiam operari severissime interdicebatur.

10. Qui ex evangelicis vel minimum deliquerunt, in sede, ut vocatur, dominali ab inspectore et judice pontificio severe puniebantur,

11. Copula novorum conjugum non alibi, quam in templo parochiali permittebatur, qua opportunitate miseri evangelici majorem in modum divexabantur et ad invisam sibi commutationem sacrorum etiam inviti adigebantur.

His infelicibus crudelitatis instrumentis hoc effecit Erdődyus, ut multi, relicta Solna, alibi tutiora vitae quaererent praesidia, in quorum locum collocati pontificii ita oppidum compleverunt, ut residuos etiam evangelicos mille divexationibus opprimerent et in suam redigerent potestatem. Dolendum unius sangvinolenti homiuis crudelitate tam celebrem evangelicorum sedem ita oppressam esse, ut ne vestigium rei evangelicae supersit amplius. Eliminatis enim viris prudentibus, qui nomine magistratus oppido praeerant, successit incondita turba, ad stivam magis, quam dirigendum oppidum nata; unde factum est, ut oppidum quoque pristinam illam amitteret celebritatem.

§. 6.

Sub augustissimo Caroli VI. imperio etsi spem omnes concipiebant, fore, ut placidioribus fatis perfruantur evangelici, cum compositionem illam szathmáriensem an. 1712. haud invitus confirmaverit: ven. clerus tamen in eo studiosissime elaboravit, ut fundatae in legibus patriae evangelicorum libertates in dies magis constringerentur, quod in comitiis posoniensibus an. 1715. celebratis factum esse nemo prudens inficiabitur.

Compositionem szathmáriensem augustissimus imperator Carolus VI. an. 1712. ratam esse voluit et puncto III. in favorem a religione romano-catholica dissidentium sanctissime promisit: „In religionis negotio receptas regni constitutiones manutenebimus, nec non exercitium ejusdem secundum easdem leges et constitutiones ac articulos regni tam in Hungaria, quam Transylvania, cum beneficiis eorsum de jure spectantibus, clementer concedimus, nemini praeclusa via apud nos et regiam majestatem vel coram diaeta ratione gravaminum sese insinuandi.“

Sed in comitiis posoniensibus an. 1715. art. 30. non tantum communi nomine ad suam majestatem recurrere vetitum fuit, sed etiam adjectum, quod sua majestas caesareo-regia articulos an. 1681. et 1687. in genuino suo sensu hactenus declarato adhuc censuit conservandos. Quae particula „adhuc“ uti gravis est: ita legibus et libertati evangelicae ut quamplurimum praejudiciosa. Hoc ne ipsi romano-catholici diffiteri possunt. Hinc otiosus ille medicus Báchmegyey in Otiis suis pag. 711. et seq. licenter insultat evangelicis, nos propter quinque litteras ADHUC, non tam ad leges, quam ad gratiam regiam oculos levare debere et adjicit: „ADHUC toleramini! ADHUC vobis permittitur liberum religionis exercitium! Sed quousque? ADHUC ad tempus; nimirum usque, quo secundum antiquas et adprobatas consvetudines ecclesiae dei in pristinum statum restituantur putatitiaque jura vestra cassentur.“ Sed illa est divina bonitas, quod insanis medici praedictionibus ADHUC non responderit eventus. Impostor ille a religione evangelica devius pridem interiit et religio evangelica adversus omnes malevolorum insultus et perdurat ADHUC et, uti certissime speramus, perdurabit in posterum, neque eam deus dirui patietur. Confudit hunc intemperantem medicum et otiosa ejus Otia excellent. condam comes Leopoldus de Nádasd, regni Hungariae cancellarius, qui etsi magnus fuerit religionis romano-catholicae adsertor: tamen in conventu 21. Aug. an. 1747. Pesthini instituto adversus patres jesuitas ex Actis regni evicit, protestantes in Hungaria non tantum tolerari, sed edictis regum confirmatos sacris operari, uti notat autor Supplementorum in quaestiones historicas, genealogicas et geographicas Johannis Hübneri ad an. 1747. tom. X. pag. 1031. sq.. Quod priorem constitutionem adtinet, ne communi nomine ad suam majestatem evangelici recurrere audeant, etsi sub conditione decreta fuerit, si videlicet prius omnia gravamina evangelicos sive in communi, sive in privato prementia fuerint complanata *): tamen porro hoc illud est miseros evangelicos ad incitas redigendi compendium, cum neque querulari, neque remedium adflictis rebus apud summum magistratum**) implorare liceat. Quotuscunque enim est coetus evangelicus, qui dum adfligitur, ad suam majestatem recurrere, aut propriis impensis iter et quae huc pertinent, conficere possit? Noverat hoc ven. clerus, hinc in

*) Doleschal- és Daxnernél folytatólag: neque eorum complanatio unquam in effectum deducta fuerit.

**) Ugyanazoknál: communi nomine.

hujus articuli consignationem lubens consensit, ut eo liberius in adflictas ecclesias protestantium grassari possit. Augustissimus imperator Carolus VI. et qui meliorum erant partium, hoc articulo 30. id tantum definire volebant, ut reductis ad ordinem rebus, si quis privatorum in persona vel causa religionis se laesum existimaverit, suo privato nomine ad suam majestatem recurrat, ex natura vero mutui elucescit, ut ubi sunt communes adflictiones, etiam communi nomine remedia quaeri possint*), cum communia illa protestantium gravamina nunquam ex aequo fuerint complanata, sed in dies magis atque magis aucta. Nam etsi in comitiis soproniensibus an. 1681. art. 26. definitum fuerit, ut nullae amplius templorum, scholarumque et parochiarum occupationes vel exercitii turbationes ab utrinque sub poena art. 8. Vladislai decreti VI. definita fiant: tamen his omnibus neglectis misere post comitia adfligebantur evangelici. Ut alios complures taceam, exemplo sunt in inc. comitatu gömöriensi jolsvenses, qui juxta cum aliis, qui in valle murányensi sacris evangelicis operabantur, post comitia soproniensia a possessione templorum deturbati fuerunt. Nam etsi tempore Francisci Veselényi, proregis Hungariae, templum majus possederunt, et ipse conservandae pacis gratia minus templum pro aulicis suis romano-catholicis Jolsvae exstrui curaverit: tamen statim, ac bona ejus in fiscum regium devoluta fuissent, per recuperatores sive, ut vulgo adpellantur, commissarios regios, in arce murányensi existentes, ministris evangelicis exilium definitum fuit. Hóc cum confestim, qui arci murányensi cum potestate praeerant, exequuti non fuissent, a recuperatoribus acerbius habiti, non sine commotione animi scriptam accipiunt epistolam, in qua sub finem haec leguntur:

„Harum serie vobis serio committimus, ut mentionatos praedicantes ex praeadtacto dominio Murány et bonis derencsiensibus excedere et abire jubeatis, in casu vero renitentiae eorundem ipsos, non exspectata ulteriori commissione nostra, medio praesidiariorum germanorum murányensium capi et ad arcem Murány indilate ad carceres perduci curare desuperque relationem suam nobis submittere debeatis, nec secus sub infallibili animadversione nostra facere praesumatis. Eperjesini 30. Mart. an. 1689.

Sigism. Christoph. Breiner m. p..
Paulus Mednyanszky m. p..“

*) Doleschal- és Daxnernél: debeant.

Qui arci praeerant, ne indignationem regis incurrisse videantur, sine longiore mora mandata exequuntur et ad ministros evangelicos vallis murányensis sequentem exarant epistolam :

„Admodum reverendi, nobis colendissimi!

Salutem et servitiorum nostrorum paratissimam commendationem. Quandoquidem inc. camerae scepusiensis et excelsae commissionis valde strictum et serium supervenerit mandatum, ut Reverentiae vestrae amplius in bonis fiscalibus nullo modo inhabitare permittantur, imo si exire noluerint, in casu renitentiae, statim et immediate vestras Reverentias ad carceres devolvi curemus. Igitur autoritate excelsae commissionis simulque inc. camerae scepusiensis Admodum Rever. vestris injungendum duximus, ut ad 26. Aprilis sine omni dilatione ex his bonis murányensibus, sacratissimae suae majestatis haereditariis, cum omnibus suis reculis exire studeant, nam in posterum infallibiliter per praesidiarios arcis murányensis ad carceres rapientur. Datum, Murány die 23. April, an. 1689..

Georg. Varnay m. p..
Johann. Miskovicz m. p.."

Haec dum agerentur, praeter triste exilium optimis viris nihil superfuit amplius. Restituti quidem fuerunt sub initium seculi hujus XVIII. ecclesiis, sed sedatis tumultibus Rákóczianis an. 1711. omnes a stationibus suis deturbati fuerunt iterum et quamvis august. condam imperator Josephus I. in benigna resolutione sua privatum in talibus ecclesiis exercitium indulserit, quali jolsvenses in capella lignea extra oppidum aedificata, consentiente etiam camera scepusiensi, usi sunt: non tamen prius quievit plebanus jolsvensis, vir uti astutus, ita crudelis, Johannes Baczko, quam illustr. condam comitem Stephanum Kohary eo induceret, ut exile hoc et privatum exercitium ejus autoritate tolleretur. Illa occasione ecclesiae in valle murányensi Murányalja *), Hosszúrét, Vizesrét, Chisne, Süvete, Nagy-Rőcze, et in districtu ratkoviensi Rákos, sublatae sunt, neque unquam ad pristinos possessores redierunt amplius. Eadem fata experiri habuerunt necessum rosnavienses. Nam etsi templum vetus ad eos pertinuerit, tamen cum Rosnaviam patres societatis Jesu iuducerentur, etsi evangelici propriis sumptibus iis templum aedificaverint, ut ex mutua eo tempore inita pactione ab ipso Georgio Lippay, archiepiscopo strigoniensi et rosnaviensium domino terrestri, confirmata suum retinere possint, evenit, ut non tantum an. 1671. Ja-

*) Daxnernél: Murányfalva.

cobus Regius, hungarorum, et Paulus Zarevuczius, germanorum, pastor d. 27. Maji in exilium mitterentur, sed etiam post comitia sopronienses ecclesiae restituti, iterum per Georgium Széchenyi, archiepiscopum strigoniensem, 27. Febr. an. 1681. ministri evangelici, Jacobus Regius et Melchior Birnstein, cum rectoribus scholae exturbarentur. Dum in priore exilio eum auditores comitarentur, ad Rudnik substitit atque e regione oppidi sub arbore quadam ultimum vale dicturus, verba Davidis fugientis 2. Sam. XV. 25. adsignata explicuit. Neque fefellit eum divinatio, dum semel atque iterum Rosnaviam evocaretur; sed non fuit diuturna ejus et collegarum ibidem commoratio. Annus fuit 1711., quo evangelici Rosnavia penitus exturbati, Berzethini in variis diversisque locis sacris operari necessum habuerunt, non sine frequentissimis divexationibus. Nam etsi ministri ad annum 1714. hospitia sua intra oppidum habuerunt, tamen eodem anno oppido exturbati, Berzethini sedes suas collocare debuerunt. Adhaec rosnavienses, qui Berzethinum sacrorum causa commeare soliti fuerunt, sub poena 100. fl. prohibebantur, vestibus exuebantur et multis aliis modis adfligebantur, uti jam alibi ex vero adnotatum est. Haec et infinita alia, ut loquuntur, gravamina quamvis evangelici statibus et ordinibus regni, imo ipsi quoque imperatori Carolo VI. ante coronationem an. 1712. et tempore comitiorum posoniensium an. 1715. cum omni humilitate cernui exhibuerint: nihil tamen obtinuerunt aliud, quam quod excelsa commissio regia Pesthini haec disputatura fuerit ordinata, intra quod tempus complures ecclesiae protestantium malitia adversariorum periere. Quam perfide egerint romano-catholici, inprimis ven. clerus, in comitiis posoniensibus an. 1715. sub Carolo VI. imperatore celebratis, ostensum est lucidissime sect. III. cap. IV. de mandatorum regiorum contemptu et interpolatione.

CAPUT VII.

DE

EXCELSA COMMISSIONE REGIA PESTHIENSI.

§. 1.

Malo, quod evangelicis impendebat, pro augustali sua clementia occurrere cupiens Carolus VI. ex consensu statuum regni in comitiis posoniensibus an. 1715. commissionem, ut dicitur, or-

dinavit, quae Pesthini negotia religionis cum omni aequitate definiret. Proceres regni, idem praestituri, non minus ex parte august. imperatoris, quam statuum regni denominati, leguntur art. 30. an. 1715..

Cum pauci admodum sint, qui cognoverint, quomodo excelsa haec commissio pesthiensis decurrerit, ut sciant posteri, qui futuri sunt, pleniorem ejus descriptionem optima fide percensebo hoc ordine: Commissio pesthiensis in comitiis posoniensibus an. 1715. art. 30. definita et 23. Mart. an. 1721. a constituto praeside, illustr. condam comite Stephano Koháry de Csábrágh et in Szitna, indicta fuit eo nomine, ut siquidem sua majestas Carolus VI. imperator gloriosissimus in negotio religionis articulos anni 1681. et 1687. in genuino sensu adhuc conservandos, adeoque pro renovatis et confirmatis habendos constituisset: commissarii regii, in quantum medio tempore ineffectuati vel per abusus et contraventiones ab utrinque violati fuissent, intra trimestre temporis spatium examinent atque demum ad august. imperatorem referant, quo omnia ad articularem statum et genuinum eorundem sensum secundum explanationes regias reponantur. Confluxerunt Pesthinum praeter commissarios, Posonii per status et ordines regni constitutos, permulti causam religionis magna animi contentione acturi. Nostri cum helv. confessioni addictis, sub initium statim, non tantum august. imperatori demississime supplicabant, sed etiam excelsam commissionem per immensam dei misericordiam, per leges publicas, propter bonum pacis et tranquillitatis conditas, sacrisque diplomatibus regiis firmatas, et per publicam fidem exorabant, quo legalia gravamina nostra secundum articulorum anni 1681. et 1687. genuinum sensum gratiose revidere et examinare atque adeo vigore articulorum nos, qui vitam et fortunas in fidelitatem suae sacratissimae majestatis devovimus, efficaciter consolari dignetur; et inprimis postulabant nostri, ut cum post ordinatam in comitiis posoniensibus commissionem omnia in statu quo manere debuissent, intra breve illud tempus 140. templa protestantibus adempta restituantur. Hoc cum excelsa commissio non esse in potestate sua diceret et clerus Hungariae vehementer protestaretur: nostri rem ad augustissimum imperatorem Carolum VI. detulerunt et missis ad majestatem ejus dominis, de ecclesia optime meritis, Paulo Prileszky, Francisco Aszalay, Paulo Jeszenák, Johanne Izdenczy et Samuele Ottlik, die 19. Maji an. 1721. in arce Laxenburg universum negotium in personali, ut loquimur, audientia proposuerunt et demissum memoriale manibus imperatoris optimi resignarunt, hanc benignam resolutionem consequuti: „Suam majesta-

tem instantiam nostram per ministros suos examinari curaturam, neque permissuram, ut nobis injuria inferatur." Disputatum interea fuit non sine maxima animorum commotione, quid pro fundamento commissionis adsumendum sit? articulusne comitiorum posoniensium 30. cum ibidem citatis, vel explanationes regiae, inprimis Leopoldina illa an. 1691., eidem vix unquam visa, de qua agetur in posterum? Nostri non sine ratione articulos, ven. clerus autem explanationem Leopoldinam pro fundamento adsumendam urgebant. Haec dum aguntur, protestantes gravamina generalia et quaedam specialia excelsae commissioni regiae praesentarunt, quod cum intellexisset ven. clerus, advenit post duos menses et quod excurrit, reverendissimus Johannes Kiss, electus episcopus ansariensis, et Franciscus Barbacsy, generalis vicarius colocensis, et nomine status catholici exhibuit excelsae commissioni scripto contradictionem in protestantes admodum injuriam. Non suffecit infamia haereticorum, violentorum, tumultuosorum, temerariorum, apostatarum, seductorum nomina tribuisse; sed adjecit porro, nos semper ex intestinis bellis argumentum sumsisse, spem et fiduciam in bellis posuisse, articulos in favorem religionis nostrae armatis precibus extorsisse, in ottomanica potentia plurimum refugium collocasse, titulo precario nos in Hungaria degere et clementia regia indignos aestimari, atque adeo non solum priores, sed posteriores etiam et consequenter omnes sancitos de libero religionis exercitio articulos abolendos et acatholicos cum evangelico patrefamilias ad convivium h. e. ecclesiam vi compellendos ac juxta Bernhardum gladio coercendos esse. Ad hanc ven. cleri contradictionem non minus docte, quam magna cum ejus confusione responderunt protestantes, quod dum resciscerent augustissimus imperator, dato ad excelsam commissionem 20. Mart. an. 1722. mandato diligenter inquisivit, quaenam partium dogmaticis et scommaticis atque extravagantibus disceptationibus ansam dederit? quod nostri, dato prolixo ad augustissimum imperatorem memoriali, clerum fecisse evidentissime demonstrarunt, cum evicerent, protestationem cleri Hungariae 21. Maji an. 1721. excelsae commissioni traditam tum publicis in negotio religionis conditis patriae legibus, tum supremae autoritati regiae, tum positivae sacratissimae majestatis voluntati adversari et vel eo nomine nullam censeri debere, quod 26. Jun. an. 1721. factum esse acta commissionis regiae pesthiensis loquuntur. Omnes cleri hungarici protestationes et nostrorum responsiones vel percensere labor foret operosus magis, quam utilis, cum certum sit et exploratum, ad an. 1647. nullam publicam in

tercessisse contradictionem et quae dicto anno per ven. clerum exhibita fuit, in iisdem comitiis anni 1647. art. 5. sublata est. Nitebatur equidem magna contentione ven. clerus occasione commissionis pesthiensis protestationem anni 1606. constabilire, hinc et originale ejus 30. Jan. an. 1722. cum nostris quodammodo communicavit; sed idem genuinum non fuisse luculentissime a nostris eodem statim tempore demonstratum est, siquidem

1. Putatitium illud originale contradictionis contra dictamen tituli XVII. partis II. decret. tripartiti, ut loqui amant, dato diei, anni et loci destituitur.

2. Sigilla ibidem subscriptorum, Petri Radovics, episcopi vaciensis, Ladislai Maithényi, veteris Budae praepositi, Nicolai Balásfy *) et Matthiae Submontani adpressa non habentur, sed cera tantum papyro contecta ostenditur.

3. Subscripsit eidem protestationi Franciscus Forgács qua cardinalis strigoniensis, cum tamen an. 1606. cardinalis non fuerit; hinc et pacificationi viennensi, eodem anno initae, qua episcopus nitriensis et cancellarius nomen suum adjecit et nonnisi an. 1607. precibus Rudolphi II. imperatoris a Paulo V. pontifice purpuratis illis patribus adscriptus est, uti Martinus Szentiványi in Dissertatione sua paralipomenica pag. 65. num. 45. adsignavit. Vid., si placet, Archiepiscopi strigonienses compendio dati et festis honoribus archiepiscopi comitis Nicolai Csáky an. 1752. dicati, pag. 118., ubi id ipsum autoritate Istvánfyi et Eggsii **) confirmatur.

4. Paulus V. pontifex datis ad clerum Hungariae die 8. Maji an. 1609. litteris praecepit, ut contra latum in negotio religionis articulum protestetur, quod non erat facturus, si contradictio praecessisset. Accedit praeterea

5. Nullum testimonium protestationis hujus produci posse, cum tamen id in jure patrio requiratur et absque eo protestatio consistere non possit.

Hinc nulla prorsus ratione doceri potest, aliquam contradictionem an. 1606. intercessisse aut originale protestationis tempore commissionis pesthiensis an. 1722. cum nostris communicatum genuinum esse, cum pacificationis viennensis articulos spontaneo et animo bene deliberato suscipere iisdemque subscribere et uno eodemque tempore

*) Ribaynál: Balassa.

**) Daxnernél: Egyesii.

iis contradicere ita contraria sint, ut nullo modo conciliari queant. Conf. in hanc rem Lineamenta Rotaridae pagina 114. sq.. Huic protestationi similem esse praetensam illam Leopoldi M. imperatoris anni 1691. explanationem, quam clerus Hungariae tempore commissionis pesthiensis pro fundamento agendorum excelsae commissioni omni conatu obtrudebat, nostri dato prolixo ad august. imperatorem Carolum VI. memoriali non sine argumentis eam genuinam non esse evicerunt, siquidem explanatio illa anni 1691.

1. Non ab august. imperatore Leopoldo profecta, sed a cardinali Leopoldo a Kolonics, qui eodem tempore commissioni in negotio religionis institutae, praesidebat, et a reverendiss. condam Ladislao Mattyasovszky, cancellario aulico, concinnata agentibusque nostris invitis et reluctantibus obtrusa fuit. Uti enim uterque horum rebus protestantium ut quamplurimum infensus erat: ita promptissime religioni nostrae, ubi se dabat occasio, exitium procurabat, quod ex actis eorum temporum clarissime elucescit. Kolonicsius enim quoties quidpiam in perniciem nostram facere meditabatur, mandato hoc modo subscribebat: „Leopoldus," quod eo nomine faciebat, ut incautos nomine august. imperatoris deciperet, cum et ipse Leopoldus adpellaretur.

2. Omnes resolutiones manus regiae subscriptione confirmantur, quod in hac explanatione factum fuisse nemo probavit unquam, etsi ab antiquissimis temporibus invaluerit, ne cancellaria regio-aulica sine confirmatione regis quidpiam expediat.

3. Nunquam cum statibus et ordinibus regni, uti in comitiis usu venire solet, communicata aut publicata fuit.

4. Postquam agentes nostri per iteratos supplices libellos et orationes ad august. imperatorem habitas, explanationem hanc articulis soproniensibus contrariam esse ostendissent, ipse gloriosissimus imperator Leopoldus M. dicasterialem hanc resolutionem, nomine suo expeditam, publica explanatione sustulit, dum virtute benigni sui decreti 20. Junii *) an. 1704. dati et ad archiepiscopum colocensem Paulum Széchenyi missi, eo fine, ut per universum regnum publicetur, his expressis verbis mentem suam declaravit: „se libertati et securitati trium religionum in regno Hungariae receptarum, juxta genuinum articulorum semproniensium et posoniensium sensum, provisurum, neque ut domini terrestres jure suo abutantur vel a quocunque cujuslibet conscientiae ulla vis inferatur, permissurum, sed regia manu impediturum. Hanc expla-

*) Daxnernél: Januarii.

nationem et august. condam imperator Josephus I. et ipse Carolus VI. sub initium regiminis sui confirmavit, cum illius resolutionis anni 1691. nulla in publicis regni constitutionibus fiat mentio, quia nec manu regia subscripta, nec per regnum publicata, nec in comitiis producta fuit: evenit tamen, ut praeter omnem exspectationem protestantium explanationem illam Leopoldinam anni 1691. cum mandato 3. Aug. an. 1720. dato, fine informationis august. condam imperator Carolus VI. ad excelsam commissionem praevie miserit et quod nobis triste est et peracerbum, fundamentum libertatis evangelicae in resolutione sua post commissionem pesthiensem die 6. April. an. 1731. in negotio religionis data, ad articulos sempronienses anni 1681. et posonienses anni 1687. explanationemque Leopoldinam anni 1691., supposititi am illam, retulerit. Dememinit optimus ille imperator, eo tempore, confirmatae manu sua compositionis szathmariensis, de qua in antecedentibus dictum fuit, quod satis est.

Procurabant quidem res nostras tempore excelsae commissionis regiae pesthiensis viri de sanctiore republica longe meritissimi, quos, ut sciant posteri, non sine prolixa honoris praefatione hic adsignabo.

Ex parte augustanae confessionis:
Joh. Godofr. liber baro de Hellenbach.
Andreas Zay liber baro de Csömör.
Thomas Szirmay de Szirma-Bessenyő.
Stephanus Török de Telekes.
Franciscus Radványi.

Ex parte helveticae confessionis:
Ladislaus Vay de Vaja.
Paulus Ráday de Ráda.
Georgius Mikeházy.
Stephanus Kenessey.
Samuel Patay.

Hi omnes prolixo illi memoriali et demissae relationi Pesthino ad august. imperatorem Carolum VI. missae hoc modo subscripserunt: „Sacratissimae caesareo-regiae majestatis ex parte augustanae et helveticae confessioni addictorum in negotio religionis articulariter denominati et in locum demortuorum per sacratissimam majestatem surrogati commissarii, humillimi perpetuoque fideles servi et subditi.“ Mortui enim erant interea temporis per status et ordines regni in comitiis posoniensibus an. 1715. art. 30. nominati commissarii: Paulus Okolicsányi,

Nicolaus Szirmay et Stephanus Poor, et ex parte helveticae confessioni addictorum: Stephanus Kántor.

Optimis nostrorum destinationibus praeter statum secularem adversabatur ut quamplurimum clerus, quod vel ex unica protestatione, 20. Maji an. 1721. excelsae commissioni submissa, elucescit, cui praelatorum, cleri et suo nomine subscripserunt:

Jacobus Rauscher, canonicus strigoniensis, ex parte archidioecesis strigoniensis.

Johannes Kiss, electus episcopus ansariensis, episcopi agriensis et nitriensis plenipotentiarius.

Michael Kebel, nomine dioecesis varadiensis qua vicarius.

Andreas Berkes, praepositus vaciensis et praepositus de Hatvan, nomine dioecesis vaciensis.

Franciscus Barbacsy, abbas b. virginis Mariae, ex parte dioecesis colocensis, qua vicarius.

Stephanus Kontor, nomine dioecesis jaurinensis, qua vicarius generalis.

Adamus Győry, canonicus nitriensis et dioecesis plenipotentiarius.

Michael Zádory, praepositus et generalis vicarius, sede vacante, veszprimiensis.

Uti quod rapido torrenti obvium est, subsistere non potest: ita in commissione pesthiensi constitutae erant res nostrae. Nam neque leges patriae, neque constitutiones regni, neque sacra diplomata regia, per nostros prolixe et cum fundamento allegata, proficere potuerunt quidpiam. Hinc august. imperator Carolus VI. multis variisque opplorationibus *) ven. cleri victus, benignam resolutionem suam, de qua in posterum erit dicendi locus, post annos fere octo publici juris fecit et res libertatesque protestantium legibus firmatas, quod dolemus, si dolere satis est, non parum restrinxit.

§. 2.

Tempore excelsae commissionis pesthiensis ven. clerus hoc magna animi contentione agebat, ut comitatus neoaquistici omni prorsus libero religionis exercitio exuantur.

Neoaquistici comitatus apud hungaros vocantur, qui a jugo turcico, cui subjecti erant, victricibus Leopoldi M. armis recuperati, pristino legitimo regi adserebantur. Exploratum enim est, an. 1663. turcam

*) Ribaynál a szélen: obtestationibus.

complures in Hungaria comitatus possedisse, exsolvendo tributo obnoxios, sed postquam anno sequente ad Fanum S. Gotthardi profligatus fuisset, pristinae libertati vindicabantur. Ex his omnibus clerus Hungariae religionem protestantium exturbare nitebatur, eo inprimis nomine, quod e potestate turcarum armis Leopoldi M. fuerint recuperati. Sed uti jus recuperationis universali per regnum Hungariae concessae religionis libertati nihil derogat: ita neque in recuperatis comitatibus degentes evangelici in libero religionis exercitio jure turbari possunt. Scimus enim articulo I. pacificationis viennensis deliberatum fuisse, quod sacratissima sua majestas intra ambitum regni Hungariae liberum religionis exercitium nusquam et nunquam turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Hinc quia comitatus felicibus Leopoldi M. armis gloriose recuperati intra, non extra ambitum regni Hungariae reperiantur, vi hujus legis nusquam et nunquam jure turbari possunt, ne quid de articulo 25. anni 1681. adjiciam, qui liberum religionis exercitium omnibus et ubique per regnum concedit, nec quenquam regnicolarum quoquo modo turbandum admittit. Adhaec nulla superest aequitatis ratio, cur ii, qui sub jugo infidelium libertate religionis et tranquillitate conscientiarum fruebantur, jam nunc sub victricibus august. domus austriacae alis et clementissimo optimorum regum regimine deterioris esse debeant conditionis, cum libertas religionis, omnium sententia, omnibus civilibus libertatibus praeferatur. Hinc omni procul dubio provida dei cura factum est, cum romano-catholici occasione comitiorum Posonii an. 1715. supplicassent, ne tenor articulorum soproniensium ad partes armis suae majestatis recuperatas extendatur, august. condam imperatorem Carolum VI. in explanatione regia clementissime resolvisse, quod trium religionum in regno Hungariae receptarum libertati et securitati ita providebit, ne contra articulos sopronienses vel domini terrestres jure suo abutantur, vel cuicunque praemissarum religionum conscientiae vis inferatur. Hinc uti vocula „cuicunque“ generalis est; ita etiam ad comitatus recuperatos extendi debet. Accedit, quod articulo 26. anni 1681. addatur „Posthac vero nullae templorum, scholarum et parochiarum fiant occupationes“ Omnis ergo ulterior liberi exercitii turbatio ita clare prohibetur, ut nemo cum ratione negare queat, nisi vocem „nullae“ contra genuinam ejus significationem in „quaedam“ transformare velit. Hinc satis mirari non poterant evangelici, quod ven. clerus occasione commissionis pesthiensis in inc. comitatibus nagy et kis-honthensi, comaromiensi, tornensi, neogradiensi et gömöriensi, universa

templa, scholas et quae huc pertinent, romano-catholicis adsignari et praedictarum confessionum publicum exercitium cum omnibus earundem ministris in universum abrogari et simpliciter tolli postularet, cum tamen omnes nominati comitatus in comitiis soproniensibus art. 26. in libero religionis exercitio relicti et in possessione omnium ecclesiarum, quas possederunt, confirmati fuerint. Sed ita fit, ubi *) vis imperat legibus et veritati. Praecipuum enim est axioma archiducum Austriae, quo uti solitus est, quoties ex vero querulabantur miseri protestantes, august. condam imperator et rex Hungariae Carolus VI.: „ego sum rex catholicus," uti adnotavit autor de oppressis evangelicis in commentatione sua an. 1756. sub finem.

§. 3.

Vix commissio haec pesthiensis, Posonium translata, finem sortita fuit: sequebatur an. 1723. tam acerba romano-catholicorum oppositio, ut diplomate regio, quod mandatum protectionale exequutivum dicebatur, opus fuerit.

Furebat tum vel maxime Gabriel Antonius Erdődy, praesul agriensis, juratus protestantium in Hungaria inimicus et ab assentatoribus suis „malleus haereticorum" dictus. Videatur Historia vitae ejus, quae prodiit Cassoviae an. 1745. in 8. pag. 33.. Hic peculiari scripto inducere nitebatur status romano-catholicos, protestantes aut ad sacra romana cogendos, aut penitus exstirpandos esse. Hunc desperatum hominis impotentis furorem august. imperator Carolus VI. severissimo rescripto correxit, quo omnia in statu eodem relinqui jubebantur et libertas conscientiarum permittebatur. Hoc mandatum 13. Jun. an. 1723. publici juris factum etsi clerus et romano-catholici **) publicari noluerint, legitur tamen in Unschuldigen Nachrichten anni 1723. part. IV. num. 30. pag. 601. sq. et in Antonii Fabri Europaeischen Staats- Cantzelley part. XLIII. cap. II. num. 6. pag. 98. sq.; conf. Krantzii Historia ecclesiastica seculi XVIII. cap. I. pag. 935.. Titulus sangvinolenti scripti Erdődyani, Tyrnaviae typis academicis per Fridericum Gall an. 1721. impressi hic fuit: Opusculum theologicum, in quo quaeritur: An et qualiter possit princeps magistratus, dominus catholicus, in ditione sua retinere haereticos, vel contra poe-

*) Daxnernél: ut.

**) Doleschal- és Daxnernél: interposita protestatione.

nis eos aut exilio ad fidem catholicam amplectendam cogere? Illustrissimi ac reverendissimi domini, domini comitis Antonii Erdődy de Monyorókerék, episcopi agriensis, Montis Claudii et comitatuum varadiensis perpetui, hevesiensis vero et exterioris Szolnok supremi comitis, abbatis S. Georgii militis et martyris de Jaak, s. caesareae regiaeque majestatis consilarii etc. sumptibus in lucem editum atque excelsae regiae ac inclytae regni Hungariae in negotio religionis articulari commissioni ab eodem oblatum. Hic labor non erat ipsius episcopi, sed uti ipse in dedicatione confitetur, unius sanctarum doctrinarum tractatoris, qui exstirpandam esse haeresim, sive lutheranos et calvinianos, cap. III. pag. opusculi 6. et sq. tribus argumentis probare nititur. Sangvinolenta verba ejus, fumos rogosque spirantia, haec sunt:

Primo: quia obligatus est, quicunque gladium portat dominusque christianus est, ad arcendos et eliminandos fures, adulteros, homicidas e ditione sua: ergo multo magis haereticos.

Secundo: ad purgandam eam liberandamque a gentilibus eorumque impia superstitione: ergo multo magis ab haeresi.

Tertio: ad compescendos et exstingvendos, si qui sunt, rebelles pacisque publicae ac unionis turbatores: ergo magis ad haereticos exstirpandos.

Sed cruda haec et desperata impotentis hominis consilia uti illustrissimi Hungariae proceres sequuti non sunt: ita augustissimus condam imperator Carolus VI. non sine ratione improbavit. Adsequebantur enim facile, nihil eum prorsus adtulisse, quod non a pia antiquitate et moderatioribus romano-catholicis rejectum fuerit. Dememinit enim illius, quod Tertullianus ad Scapulam cap. II. scribit: Religionis non est cogere ad religionem, quae sponte suscipi debet, non vi. Nam ex sententia Lactantii: nihil tam voluntarium est, quam religio, in qua si animus aversus sit, jam sublata, jam nulla est. Videantur Divinae ejus institutiones lib. V. cap. XX.. Optime igitur judicabat nunquam satis laudatus imperator Maximilianus II., nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quam conscientiis dominari velle; et Stephanus Báthory, rex Poloniae, saepe saepius dicebat: deum sibi tria reservasse, aliquid ex nihilo facere, futura praevidere et dominari conscientiis. Reliqua, quibus evangelicis haeresim mala fide adscribit, a nostris etiam

millies sunt refutata, quod ex Johannis Gerhardi Confessione catholica, Martini Chemnitzii Examine concilii tridentini, Nicolai Hunnii Apostasia ecclesiae romanae et pelle ovina eidem detracta evidentissime commonstrari potest et praeter hos immortali nomine triumviros complures alii solidissime demonstrarunt. Tum augustano-evangelicos haereseos convincent romano-catholici, quando Ararim parthus bibet aut Germania Tigrim. Quod nemo hungarorum sangvinolento huic scripto se opposuerit, adflictae res evangelicae impediverunt. Magna enim est calamitas, si id, quod velles, dicere non liceat *). Augustissimum imperatorem desperata haec consilia nulla ratione probavisse vel hinc patet, quod eum Viennam arcessitum pro rei gravitate acerbius adpellaverit, uti confitentur Rhetores cassovienses in Vita ejus pag. 40.. Rationes instituti et consilii sui caesari ita probavisse **), ut eum cum laude dimiserit, quod loc. cit. additur, nemo ingenuus credidit unquam, alias august. imperator mandatum illud protectionale conscribi et benignam resolutionem suam publicari nunquam permisisset, neque eum acerbius adpellavisset. Nam acerbius aliquem interpellare et cum laude dimittere, conciliari non possunt. Opusculum illud sanctarum doctrinarum tractatoris ita crudum, acerbum et a veritate alienum est, ut sangvinolentus ille tractator, omni posteritati exosus, ne nomen quidem crudo illi suo oleri adscribere fuerit ausus. Fures, adulteros, homicidas, rebelles pacisque publicae et unionis turbatores puniri debere, ex praescripto legis divinae et praeceptis religionis nostrae admittimus et ut quamplurimum urgemus: sed nos cum talibus comparari aut haereseos convinci posse Plutonis ille alumnus neque confirmavit, neque confirmabit unquam, cum juxta fidem catholicam, in symbolo Athanasii praescriptam, deum in trinitate unum et in unitate trinum veneremur, a verbo ejus sancto ne latum, ut dicitur, ungvem recedamus, sanctos dei homines cum omni pietate imitemur et reverenter colamus, nullum fidei articulum doctrina evertamus, ex praescripto verbi divini vivamus et diffisi operibus nostris in solo sospitatore generis humani et ejus meritis omnem spem fiduciamque collocemus. Abi jam sangvinolente sacrarum doctrinarum tractator et tractes in aeternitate cum deo, quod in tempore tractare non didicisti, visurus in quam partem sacrarum doctrinarum declinaverit veritas. —

*) Ribaynál: non audes.

**) Daxnernél: probatas fuisse.

His temporibus ecclesiam szirma-bessenyensem a Maria Butkay *), domina religiosissima pie fundatam, illustr. comes Thomas Szirmay, per rev. Petsenium **), Jeszenszkyum et infelicem Michaelem Gretzmacherum administratam, post pia optimae matris fata an. 1733. per Josephum Juliani, provisorem, hominem astutum magis, quam doctum, violenter ademit et rev. Johannem Beráts ***) ab ejus possessione deturbavit atque ut minoritae miskolczenses sacra in eadem ecclesia faciant, propria autoritate demandavit, quod non illustr. comitis voluntate, sed infelicis Juliani et infelicibus minoritarum suggestionibus factum fuisse, omnes scimus.

CAPUT VIII.

DE

BENIGNA RESOLUTIONE CAROLINA.

Post innumeras ven. cleri et protestantium supplicationes sequuta fuit august. imperatoris Caroli VI. an. 1731. d. 6. April. in negotio religionis benigna, ut dicitur, resolutio, cui Philippus †) Michael ab Althan, praesul vaciensis, sententiam imperatoris reprobaturus, publicam opposuit protestationem, non sine jactura rerum ejus ab august. imperatore rejectam.

Quod ad benignam resolutionem Carolinam adtinet, haec praecipua momenta complectitur:

1. Fundamentum libertatis evangelicae ad legem soproniensem anni 1681. posoniensemque anni 1687. et explanationem Leopoldinam anni 1691. referatur.

2. Exercitium religionis ad loca articularia restringatur.

3. Cultus privatus in aedibus evangelicorum permittatur, sed vicini non admittantur.

4. Domini terrestres juribus suis circa libertatem evangelicorum non abutantur, neque eam absque indultu regio opprimant.

---

*) Ribaynál: Rutkay.

**) Ribaynál: Petsium, Daxnernél: Petitium.

***) Daxnernél: Beráth.

†) Fridericus, helyesebben. L. Schematismus cleri dioecesis vaciensis pro anno aerae communis 1854. 11. l..

5. Superintendentes consensu regio eligantur; visitatio ecclesiarum evangelicarum quoad baptismum episcopis romano-catholicis concedatur; ministri evangelici a jurisdictione sacrae sedis eximantur et subortae inter evangelicos causae matrimoniales juxta principia articulorum augustanae et helveticae confessionis in sacra sede examinentur.

6. In apostatas, qui ad protestantes defecerunt, arbitraria poena dictetur.

7. Disparis religionis sponsi a sacerdote catholico copulentur.

8. Feriae decretales a protestantibus celebrentur et eorum artifices sacris obambulationibus intersint.

9. Jusjurandum ab iis, qui dignitatem vel munus anhelant, exclusis testibus, ritu pontificio dicatur.

Etsi itaque prisca evangelicorum libertas hac quoque resolutione multum constricta sit: non puduit tamen impudentem illum episcopum vaciensem ipsi imperatori contradicere, quo ita motus fuit Carolus VI., ut ei beneficia episcopalia ad certum tempus subtraxerit. De explanatione Leopoldina, dum in superioribus describerentur acta commissionis pesthiensis, dictum, quod satis est.

CAPUT IX.

DE

FATIS EVANGELICORUM POST BENIGNAM RESOLUTIONEM CAROLINAM.

§. 1.

Post publicatam benignam resolutionem Carolinam nihilo melioribus fatis usi sunt evangelici. Nam templa adimebantur; ad jusjurandum ritu pontificio dicendum stringebantur et cum id facere nollent, ab officiis removebantur; oratoria nobilium praecludebantur; templa et turres ruinae proximae reparari prohibebantur et studia in scholis ad subsellia grammaticorum reducebantur.

De his omnibus fere cum lacrymis questi sunt protestantes coram august. regina Maria Theresia 1. Aug. an. 1744.. Nam in comitatu castriferrei an. 1732. circiter 41. templa, sublato religionis exercitio, adempta sunt. In comitatu nitriensi eodem anno, praeter duo templa evangelicis relicta, reliqua sex: in Brezó, Varbócz, Turaluka, Krajnae, Bottfalvae et Assa-Kürth, elaborante comite Georgio Erdődy, plebanis

adsignata fuerunt et in Kis-Próna familiae Bossányi, in Divék-Ujfalu familiae Ujfalusy et in Krencs familiae Gosztonyi, in castellis eorum antiquo usu confirmatum religionis exercitium penitus sublatum est. A tempore publicationis benignae resolutionis Carolinae ad an. 1744. ultra centum templa protestantibus violenter adempta esse, evidentissime commonstrarunt evangelici in supplici libello, quem dicto anno august. reginae Mariae Theresiae per spectab. dominum Andream Ottlik et Stephanum Gyürky in Schönbrunn exhibuerunt. — Quod ad reparationem templorum adtinet, sub praetextu innovationis, quae prohibita est, detorta termini hujus interpretatione, omnem templorum, turrium, scholarum, parochiarum aliorumque ecclesiasticorum aedificiorum renovationes impeditas fuisse, exploratum est. An. 1733. in inc. comitatu veszprimiensi, pago Öskü, dum oratorium ex indultu comitis Emerici Zichy ampliatum fuisset, comitis Johannis Zichy conjux demoliri curavit et in pago Palota incolas, porticum oratorii renovare volentes, comes Johannes Zichy in carceres conjici et restauratum aedificium disjici jussit, imo, quod majus est, miseros incolas pecunia mulctavit, ne quidquam de oratorio et parochia levensi, impensis reformatorum excitata et an. 1740. prorsus solo aequata adjiciam. Alibi templorum sub hoc praetextu intentata demolitio redimi debebat, uti an. 1744. in comitatu pesthiensi incolae pagi Monostor, cum oratorium ex indulgentia domini terrestris innovassent, archidiacono, ne illud disjici curet, florenos 50. solvere et sic quietem pecuniis redimere necessum habuerunt, uti questi sunt coram clementissima regina an. 1744. protestantes. — In causa non depositi juramenti decretalis spect. dominus Gregorius Horváth- Stansith de Grádecz, ecclesiarum evangelicarum in inc. districtu cis- et transtibiscano supremus inspector, non sine exquisitissimo omnium dolore ipsis feriis Parasceves an. 1766. sive 28. Martii beate mortuus et 13. April. sive dominica Misericordias solenni funere tumulo illatus, uti in superioribus jam dictum fuit, an. 1742. inter assessores tabulae inc. comitatus scepusiensis admissus non fuit *). Perillustris dominus Daniel Kubinyi, communi sententia in judicem nobilium apud kis-honthenses electus, dum decretalem jurandi formulam recitare nollet, officio defungi non potuit, ne quid hac vice percenseam de evangelicis gömöriensibus, qui dum restauraretur magistratus, omnes, qui per sanctos jurare recusabant, ab officiis remoti, neque adhuc admissi sunt.

*) A következő pont: Doleschal-és Daxnernél e két szóval kezdődik: Eodem anno.

— Scholarum jactura notior est, quam ut hic loci *) debeat explicari. Quis enim est, cui ignotum sit, schemnicienses, neosolienses, bartphenses, cibinienses **) et alios ita constrictos teneri, ut ultra grammaticam altiora studia proponere non permittantur.

§. 2.

Nescio, quo desiturum erat malum, nisi august. condam imperator Carolus VI., multorum intercessione permotus, an. 1732. licentiam divexandi evangelicos rescripto ***) regio cohibuisset.

Praeter protestantes, qui saepe saepius questi sunt, ablegati Angliae, Sveciae, Daniae, Hollandiae et hannoveranus, hoc intercessione sua apud august. imperatorem Carolum VI. effecerunt, ut mandato, quod 12. Jul. an. 1732. publicatum fuit, non tantum dominis terrestribus, sed etiam inc. comitatuum officialibus omnem templorum occupationem, absque scitu et consensu caesareo-regiae majestatis, interdixerit et simul anno sequente 1733. indulserit, subticere jurantibus verba, quae religioni eorum contraria viderentur. Conf. potest: Kurze und zuverlässige Nachricht von dem Zustande der protestantichen Kirche in dem Königreich Ungarn; prodiit an. 1746.

§. 3.

Sub glorioso Mariae Theresiae imperio spem, quam post deum in bonitate clementissimae reginae collocabant evangelici, ven. clerus et consilium regium locumtenentiale exstinxit. Ejus enim obtestationibus factum est, quod clementissima regina in explanatione benignae resolutionis Carolinae, quae 24. Dec. an. 1742. prodiit, ad decretalem jurisjurandi formulam omnes adstrinxerit et anno statim sequente 1743. protestantium juvenes, melioribus studiis deditos, ad universitates exterorum, anno vero 1752. ministros ad ecclesias filiales transire prohibuerit, ne quid de eo percenseam, quod an. 1748. intimato consilii regii locumtenentialis superintendentibus evangelicis consvetam visitationem ecclesiarum interdixerit et in explanatione sua opifices novos articulos sive privilegia comparare et processiones, statis apud romano-catholicos diebus, frequentare jusserit.

*) Ribaynál: cum dolore.

**) Doleschal- és Daxnernél: trenchinienses.

***) Ugyanazoknál: mandato.

De Maria Theresia, regina optima, neque questus est quispiam, neque querulari potest unquam, cum ad omnem clementiam in fideles suos subditos sit comparata; sed quia praeter scitum consensumque ejus multa aguntur, fieri non potest, quin sub glorioso ejus imperio adfligantur protestantes*). Quomodo sub primordiis imperii ejus exstincta sit per ven. clerum spes evangelicorum, adnotavit autor libelli: Kurze und zuverlässige Nachricht etc. an. 1746. editi. — De prohibitione adeundi exteros jam in superioribus actum est. — Quod filiales ecclesias concernit, dum singulari dei munere, indultu optimorum regum et communi ordinum Hungariae consensu, liceret omnibus ex tribus receptis in regno religionibus, quamcunque sponte acceptaverit, libere profiteri, fiebat persaepe, ut integri coetus filiales, nemine cogente, matribus ecclesiis evangelicis cum voluptate accederent. Jam dum injuria temporum, furente clero et connivente Ferdinando III. rege, inclinare viderentur res protestantium, filialis rekenyensis, quae Berzethini calvinianis adhaesit, an. 1648. ecclesiae evangelicae csetnekiensi sponte accessit et in publica ven. contubernii congregatione, Alnoviae feria quarta pentecostes celebrata, multis verbis se recipi petiit et acceptatis propositis sibi conditionibus, communi omnium rev. fratrum et inc. patronatus confirmatione recepta est. Perdurabat, quamvis non sine divexationibus, ad haec usque tempora cum csetnekiensibus; nunc jesuitae rosnavienses magno hiatu eam sibi vindicare volunt, quo cum eventu? tempus docebit. Nostris his temporibus primum an. 1752. **) nomine clementissimae reginae ad zemplinienses, dein sequente anno consilii regii locumtenentialis ad neogradienses rescriptum perlatum fuit, quo ministri et scholarum rectores ab adeundis filialibus prohibebantur. Nos gömörienses a frequentatione filialium et peragendo ibidem ministerio per judices nobilium et juratos inc. comitatus semel iterumque, atque tertio voce et scripto an. 1756. ***) arcebamur; sed quia nulla lege impediebamur et intimati consilii regii locumtenentialis anni 1749. punctum quartum, quod obvertebant, ad nos non pertinere sciebamus, nemo nostrum erat unus, qui ab usu, tot tantisque temporibus confirmato, recedere voluisset. Intimatum enim excelsi consilii regii locum-

*) Ugyanazoknál: evangelici.

**) Daxnernél a szélen: imo jam an. 1749. ad honthensem et prius ad trenchiniensem comitatum scriptum fuit ab excelso consilio regio locumtenentiali.

***) Ribaynál: 1758.

tenentialis ad zemplinienses et abaujvarienses eo nomine missum fuit, quod ministri quidam evangelici etiam ad filiales, jurisdictioni plebanorum subjectas, cum administratione ven. sacramenti altaris, ubi evangelici complures reperiebantur, excurrere consveverint. Quod etsi apud nos gömörienses nunquam factum fuerit, neque adhuc est, cum nostris filialibus contenti, in aliorum jurisdictionem involare nolumus: tamen erecta fiscali, ut loquuntur, actione, omnes, quotquot sumus, Rosnaviam ad diem 10. Jan. anni 1757. citabamur, ibidem coram exc. supremo comite, Paulo Balassa de Gyarmath, examen subituri. Formula citationis haec erat:

Clarissime domine!

Expositum mihi est nomine et in persona egregii Antonii Steinicher de Sankfalva, qua inc. comitatus hujus gömöriensis ordinarii fiscalis et A., qualiter suprafata dominatio vestra spretis cunctis clementissimis ordinationibus regiis, medio exc. consilii regii locumtenentialis in anno 1749. et 1755. intimatis, post reiteratas ternarias etiam judiciarias inhibitiones, praesumptuose e loco mansionis suae ad filiales excurrere ibidemque ministerium suum, in manifestum dispositionum regiarum vilipendium, exercere minime verita fuerit. Cum autem temerarii hi ausus tam legibus patriis, ubi e re fuerit, in medium inducendis quam et clementissimis ordinationibus regiis, sub gravissima animadversione, interdicti habeantur delinquentesque debitae poenae subjiciendos ordinarent: proinde pro recipiendo condigno judicio, ad instantiam fati fiscalis, dominationem vestram pro sede judiciaria inc. comitatus hujus gömöriensis die 10. et subsequentibus mensis Januarii an. 1757. in oppido Rosnyó-Bánya, fato comitatui adjacente, celebranda, ad personaliter comparendum seseque defendendum, medio praesentium cito et certifico, persistendo claritatis vestrae ad officia paratissimus Ladislaus Szabó m. p. inc. comitatus gömöriensis substitutus vicecomes. Datum Harkács 19. Dec. an. 1756..

Singularis illa fuit divina providentia, quod his nihil territi ad abeundum Rosnaviam et reddendam rationem parati fuerimus omnes: sed praeter omnem exspectationem nostram publicis inc. comitatus litteris domi manere jubebamur in hunc modum:

Salutem quam plurimam!

Quamvis ad instantiam fisci magistratualis dominatio vestra pro die 10. mensis Januarii anni currentis 1757. ad oppidum hocce Rosnyó-Bánya, inc. comitatui ingremiatum, intuitu praevaricationis regia-

rum dispositionum evocata fuerit: ardua nihilominus et publica inc. comitatus hujus negotia dilationem termini ejusdem necessario exposcant; ideo eandem dum tempestive notam redderem, maneo Rosnyó-Bányae 3. Jan. an. 1757. Ladislaus Szabó m. p. vicecomes.

Ne tamen nihil fecisse videantur, praeposteri terroris causa ex nostris duos, rev. Andream Sztehlo, derencsiensem, et Michaelem Ursinyi, kobellarensem *), et duos calvinianos ministros venire jubent, qui dum praesto essent, tantum abest, ut fuerint in publicum admissi, ut ne supremum quidem comitem viderint, aut vel unico verbo in hoc negotio fuerint compellati; nihil ergo praeter fatigia fuit amplius. Opinabamur omnes, negotium hoc filialium nunquam resuscitatum iri in posterum, sed nihil mali metuentibus evenit, ut rev. Johannes Simonides, ecclesiae padariensis minister et ven. contubernii consenior, propter frequentationem filialium ad inc. comitatum citatus, in 100. fl. rh. mulctaretur. Quod cum excelsum consilium regium locumtenentiale sua sententia adprobasset, ut loquuntur, mediante executione, per judicem nobilium facta, ad deponendam mulctam coactus est. Existimabat ille, post depositionem mulctae liberum sibi fore in posterum, exigente ita necessitate, ut vocationi et conscientiae satis sit, adire filiales: sed cum id facere adtentasset, ab inc. comitatu 20. Jun. an. 1763. in 200. rh. fl. convictus est, quos ex arbitrio excelsi consilii regii locumtenentialis et mandato inc. comitatus Antonius Steinicher, judex nobilium, mense Junio an. 1764. ab eodem extorsit. Post hunc talibus difficultatibus involvebatur ven. Michael Schramko, ecclesiae köviniensis pastor et ven. contubernii nostri gömöriensis notarius, et rector ejus, jam minister bisztrensis, Michael Hegedüs, quorum prior, quod adulto more ad filialem Nandrás excurrerit, in 100. rh. fl., alter in 50. ab inc. comitatu convictus fuit. Hoc singulare est dei beneficium, quod uterque ad hoc usque tempus liber sit et quietus, neque ad depositionem mulctae adstringatur **). Erit forte, ut speramus, in posterum melius. Quorsum enim destinationes nos a filialibus arcendi pertineant, nemo prudens non intelligit, ut ea ratione ad paucitatem redacti facilius opprimamur. — Superintendentibus protestantium ministrorum sibi subjectorum moribus invigilari ipsa benigna resolutio Carolina indulsit; sed quia praevidebat, sine inspectione et visitatione ecclesiarum id commode fieri non

*) Doleschal-és Daxnernél: feketepatakiensem.

**) Ribánál ellenkezően: quos (t. i. filnos) deponere jam coacti sunt.

posse, visitationem non prohibuit, sed hoc tantum cavit, ne populo per hoc novum onus accedat. Sunt mihi ad manus paria resolutionis regiae a perillustri domino Matthia Bodo de eadem in hoc negotio Viennae elaboratae extracta, quibus subscripsit ex consilio regio hungarico aulico Viennae 21. Oct. an. 1734. Elias Vanyeczy et alter in hunc modum confirmavit: „Quod praesens copia indorsationi instantiae aug. et helv. confessioni addictorum superinscriptae in omnibus conformis sit, praesentibus recognosco. Viennae 27. Jan. 1735. Michael Bodok *) excelsae cancellariae regiae hungarico-aulicae expeditor et concipista," quam recognitionem suam et sigillo publico confirmavit. In hac resolutione regia quamvis neque vestigium sit interdictionis: evenit tamen, ut imperante clementissima regina Maria Theresia, consilium regium locumtenentiale omnem ecclesiarum visitationem superintendentibus protestantium interdixerit, etsi vivente gloriosissimo condam imperatore Carolo VI. et sub initium gloriose regnantis Mariae Theresiaa impune eam peregerint, cujus ego ipse testis sum, qui cum ven. condam superintendente Ambrosio inc. districtus cistibiscani ecclesias an. 1741. et 1742. visitavi, officio notarii in sacro hoc negotio defunctus. An. 1747. ven. condam superintendens Samuel Hruskovicz, pastor neosoliensis, propter peractam in inc. comitatu neogradiensi adulto more visitationem, absque omni ejus merito, ad dandam coram excelso consilio regio locumtenentiali rationem citatus et ab utroque officio suspensus fuit, uti intimatum ad ipsum per inc. comitatum soliensem missum testatur, quod hic posteritatis gratia optima fide adscribitur

„Sacrae caesareae regiaeque majestatis consilii regii locumtenentialis hungarici nomine Samueli Hruskovicz, praedicanti neosoliensi, qua in eodem districtu augustanae confessioni addictorum superintendenti hisce intimandum: Respectu praetensae visitationis suae canonicae in comitatu neogradiensi, ad aemulationem excell. episcopi vaciensis, qua ordinarii dioecesani, modo sane insolito et nuspiam in regno usitato adtentatae et institutae, summefatam suam caesareo-regiam majestatem clementer resolvisse ac demandasse, ut medio deputationis e gremio consilii hujus regii locumtenentialis constituendae, excessus ejusdem summarie revideantur et interea idem ab officio tam praedicantis, quam superintendentis instantanee suspendatur ac pro certo eatenus praefigendo termino huc Posonium, in praesentiam videlicet consilii hujus regii locumtenentialis personaliter citetur.

*) Ribaynál: Bobock, Daxnernél: Böbök.

Quo in passu de benigna sacratissimae caesareo-regiae majestatis ordinatione ac resolutione eidem praesentibus intimari et committi, quatenus mox, acceptis praesentibus, ab omni tam praedicantis, quam superintendentis officio illico abstinere et pro die 2. affuturi mensis Octobris anni currentis in liberam regiamque civitatem Posonium comparere semetque coram ordinanda, ut praemissum est, deputatione personaliter sistere noverit, nec intermittat, super interrogatis de attentato et excessu suo coram declarandis responsurus.

Ex consilio regio locumtenentiali hungarico Posonii 25. Aug. an. 1747.

Michael Sidó m. p.."

Nescio cum quantis difficultatibus abiisset hoc malum, nisi utrumque hunc virum, et Ambrosium et Hruskoviczium, malis, quae eos operiebantur, fatis mors tempestive subduxisset. Praematurum tantorum virorum obitum dolebant omnes, sed nunc providam dei curam cum omni religione admirantur, quod innocentes illas animas per beatam felicemque mortem in tuto collocaverit. Hruskoviczius quidem anno statim sequente ab impacto sibi crimine absolutus fuit, metu tamen malorum, quae eidem impendebant, ita concutiebatur miser, ut ei mori necessum fuerit. — In violenta templorum ademptione, regnante Maria Theresia, comites Eszterházyi, Merczii, comes Paulus Balassa, Leopoldus de Nádasd cancellarius et alii inclaruerunt, uti scribit anonymus in Commentatione de oppressis evangelicis an. 1756. edita. Neque melioribus fatis circa haec tempora usi sunt XIII. oppidani in Scepusio, ad coronam Poloniae pertinentes, qui etsi cum omni pietate gravamina sua Mariae Josephae, reginae Poloniae, cui suberant, proposuerint et cum omni submissione petierint. ut more adulto libere ministrum vocare aut morbido alium ad tempus substituere, oratoria et sedes ministrorum reparare, a juramento per sanctos liberari, promiscue cum romano-catholicis ad officia publica promoveri et scholas privatas pro instituendis liberis suis erigere possint: nihil tamen consequuti sunt amplius, quam quod augustanae confessioni addictos, quamdiu tolerantia durabit, si fidelium subditorum officia praestiterint, neque expellere, neque injustis divexationibus opprimere velit. Datum est hoc edictum Dresdae die 2. Apr. an. 1748. et ad XIII. oppidanos missum Dresda per administratorem cum hac insriptione :

„Haec decisio sacratissimae reginae, dominae meae clementissi-

mae, ut publicetur in XIII. oppidis, committo comiti XIII, oppidorum et in majorem fidem me subscribo.

Andreas de Moszenúr Moszczenszky, Cujaviae etc. capitaneus, sacrmae regiae majestatis camerarius et capitaneatus scepusiensis administrator privilegiatus m. p.“

Uti Maria Josepha, regina Poloniae, archidux Austriae et electrix Saxoniae, ita nominatus etiam administrator evangelicis erant multo infensissimi; hinc nihil ab iis sperari poterat solatii. Jam singulari dei providentia, immutato regimine, magis quietis utuntur fatis XIII. oppidani.

§. 4.

De Martini Birónis, episcopi veszprimiensis, stultis non minus, quam impiis adversus evangelicos consiliis, non habeo dicere, cum liber ejus, quo continebantur, omnibus prudentioribus romanocatholicis ita exosus fuerit, ut eum clementissima regina Maria Theresia, tanquam seditiosum pro sua prudentia proscripserit; ne quid de Caroli Péterfyi, S. J., Sacris conciliis ecclesiae romano-catholicae percenseam. Hic quia didicit modicum latinisare, ideo vellet omnes superdisputare, uti Balthasarus Schuppius de quodam antagonista suo loquutus est.

Martinus Biró Padanus, episcopus veszprimiensis, conscripsit an. 1750. Enchiridion de fide, haeresiarchis et eorum asseclis, de apostatis in genere deque constitutionibus atque decretis imperatorum ac regum contra dissipatores ecclesiae catholicae editis, diotrephis seu acatholicis in Hungaria commorantibus, ad sacratissimam majestatem regiam, Mariam Theresiam, anno 1749. communi nomine recurrentibus, responsionis loco exhibitum. Prodiit in lucem hoc, ut loquitur poeta Persius, durum olus et populi cribro decussa farina, Jaurini an. 1750. in IV. typis Gregorii Johannis Streibig. In eodem profecto praeter impias scripturae sacrae detorsiones, mille mendacia, seditiosa consilia et invisam puriori latinitati barbariem nihil est amplius. Dolendum, quod deus barbaro huic homini florentissimo hoc seculo vitam concesserit. Hinc crimen adsentationis declinare non potest P. Constantinus a passione domini, piarista, vir in poesi promptus *) et clarus,

*) Doleschal- és Daxnernél: facilis.

qui in dedicatione Apologorum moralium, Tyrnaviae an. 1747. in IV. impressorum, Birónem Julio Caesari comparare et Ciceronem Hungariae adpellare veritus non fuit. Tristi oblivione pridem sepeliendus erat Cicero, si barbaro Birónis ore fuisset loquutus. Dic mihi Constantine! ubi Cicero dixit: naufragare, falsificare, annullare, variabilitati obnoxiari, pennati spiritus, timorati catholici? etc., qualium tamen plenum est Enchiridion Birónis; vide pag. 22., 28., 48., 98., 104., 108.. Apage igitur cum ficto Julio et barbaro Cicerone tuo, Constantine, et te ab infami adulatione in posterum abstine! Animadverterunt hoc prudentiores romano-catholici; hinc unicus eorum, illustr. Josephus liber baro de Réva, consiliarius regius, pro sua in poesi promptitudine, elegans non minus, quam peracutum in eum epigramma concinnavit, dignum profecto, quod legat posteritas:

Anne Bironus eris, qui stirpe Padanus haberis,
Is Gothaldus erat, qui talem te putat, errat.
Hinc
Biró tace! quid bella paras libraria? quare
Utere reginae nomine? Biró tace!
Biró tace! regina vetat te bella parare,
Haec vult, tollantur scandala, Biró tace!
Biró tace! si vis certam contra Hectora pugnam,
Fortia quaere alibi brachia, Biró tace!
Biró tace! tibi sufficient tua brachia nunquam,
Fortior est hostis robore, Biró tace!
Biró tace! vel subsidium tibi porrigat alter,
Qui te sit major robore, Biró tace!
Biró tace! non vis, jussit regina tacere,
Maxima sunt cujus brachia, Biró tace!

Fecit id omnium adseveratione clementissima regina religiosissime, quod quisquilias illas Birónis perpetuis tenebris adjudicaverit, nunquam sine infami vituperio nominandas. Nam omnium, qui meliorum sunt partium et rem ex vero aestimare didicerunt, sententia haec est:

Projicit ampullas et sesquipedalia verba

praetereaque nihil! — Huic merito addi potest Epistola pastoralis ad archiepiscopatus strigoniensis clerum et populum a Francisco e comitibus Barkóczy, jam primate regni et archiepiscopo ex Valle auxilii, delicioso loco: Fuor contrasti adpellato, an. 1761. die

30. mensis Aug. data, quae prodiit litteris Caroli Josephi Bauer. In hac uti religiones protestantium novellas et per leges iniquis temporibus aegre admissas adpellat: ita inter alia de vanitate quorundam dogmatum loquutus exclamat: „Huc velim patres, huc praesides, huc rectores, huc judices terrae oculos advertite, in filios et caeteros subjectos virgam, in pestifera haec semina flammam incendite," pag. 13., 14.. De loco illo delicioso, quod jam in stabula fere abiit, unde haec epistola scripta fuit, quidam eruditus canonicus agriensis eo deductus, postquam multo elegantissimam ejus structuram collaudasset, discessurus in haec verba loquutus est:

Fuor contrasti, Fuor contrasti!
Quid fecisti?
Devorasti panem Christi!

Huic praecurrit Paulus Abstemius, alias Bornemisza dictus, episcopatus nitriensis, arbitrio Ferdinandi I. imperatoris, administrator, homo in protestantes perdite injurius, quem eo nomine non tantum Pius V. pontifex, data ad eum 11. Aug. an. 1568. epistola, collaudavit; sed etiam cel. Péterfyus in Sacris conciliis part. I. pag. 260. inter primos religionis romano-catholicae propugnatores collocavit, cum scribit: „Si quis, ille certe pro viribus haeresi ad viscera Hungariae penetranti se opposuit." Sciunt hoc protestantes, sed et hoc exploratum iis est, eum rerum divinarum ignarum nonnisi desperatis cavillationibus et mendaciis res evangelicas contaminare voluisse. Homo enim impotentis animi, cum Statuta synodalia ecclesiae nitriensis an. 1494. *) tandem an. 1560. edidisset, in praefatione actis illis praemissa ecclesias lutheranas synagogas satanae, imaginem inferni et cathedram pestilentiae, ministros autem ejus haereticos et vicarios satanae, novos, suppositicios et inventiosos **) evangelistas, infelicissimos et miserandos homines, illius seculi pseudoapostolos et Antichristi praecursores barbaro ore adpellat; Lutherum, Melanchthonem et Urbanum Regium ex nostris, Zvinglium, Carolostadium, Oecolampadium et alios ex calvinianis deo mortuos esse, diabolo misere vivere, ipse inferni candidatus, perdite vociferatur. Hunc Abstemium illustr. Péterfyus virum magni in historia nominis nominavit. Egregium mihi historicum, qui neque nomina theologorum, adversus quos imprudens ***) debachatur, cognita

*) Daxnernél: 1554..
**) Ribaynál: invectivos.
***) Ugyanannál: impudens.

habuit. Fürsterum nemo novit et Stammarus nullus unquam fuit. Si quid divinando adsequor, Försterum, theologum vitembergensem, et Stanckarum, qui iis temporibus tumultuabatur, nominare volebat homo rerum ecclesiasticarum ignarissimus. Summam hic coram erudito orbe prodidit et Abstemius et editor Conciliorum ignorantiam. De his omnibus videri possunt Concilia sacra Péterfyi part. I. pag. 260. sq.. Non suffecit Péterfyo ad calumniandum hungarus, hinc italum conduxit et Concilia sua sacra mendaci Parenaesi ejus contaminavit. Petrus Illicinus ille fuit, qui relicta Italia per varias mundi plagas jactatus Tyrnaviam venit et ab archiepiscopo strigoniensi Olaho regendae academiae quinqueecclesiensi admotus est. Scripsit circa an. 1553. Ad inc. regni Hungariae proceres et nobiles ac cives de antiqua fide servanda divinisque flagellis parenaesim, qui etsi jurisconsultus fuit: tamen juris et omnis aequitatis oblitus, ita innocentissimos evangelicos flagellavit, ut ipse ad ultimam usque cutem flagellari commeruerit. Non satis ei erat evangelicos primogenitos satanae adpellare, etiam profano ore mendaciter vociferatur, lutheranos ecclesiam sacramentis et eorum virtute spoliasse, libidinem et carnis licentiam nomine libertatis praedicasse, ecclesias deformasse, imo omnem religionis cultum abrogavisse et quod Hungaria divinis flagellis adfligatur, solos lutheranos et calvinianos causam esse. Rudem hunc oportuit esse italum et rerum hungaricarum juxta cum ignarissimis ignarum, qui nulla habita vetustiorum patriae historicorum ratione ita profuse calumniari non erubescit. Neque auditum fuit de Luthero aut puriore doctrina ejus, cum totius christianitatis propugnaculum, Hungaria, multo majoribus difficultatibus involveretur, quod facili admodum opera luce meridiana clarius demostrarem, nisi liberale mihi fecisset otium vir et post fata venerandus, M. Daniel Lányi, in dedicatione partis specialis Igneae veritatis columnae, Lipsiae an. 1660. impressae. Qui haec et talia in nos comminiscuntur, recordentur perfidi illius cardinalis Juliani, qui nisi ex sententia Eugenii IV. pontificis romani an. 1444. Vladislao I. regi Hungariae sublesta *) fide persvasisset, ut datam imperatori turcarum Amurathi fidem violet,

Non ferret scithicum Pannonis ora jugum.

Hoc me perturbat non parum, quod celeb. Péterfyus causam calumniatoris itali suscipiat et eum in scribendo libertate ingenii et veritatis

*) Daxnernél: scelesta.

usum esse adserat. Periisset omnis in orbe veritas, si tam desperatae cavillationes vices veritatis obiissent. Crudus ille sit et ab omni veritate alienus, qui sibi persvaderi patiatur, principes evangelicorum, quos nomine haereticorum insignit, fuisse „apostatas, seditiosissimos, maledicentissimos, libidinibus aestuantes, incestuosos, stupratores, ebriosos, homicidiorum, rapinarum incendiorumque ac ruinarum suscitatores;" vid. Péterfyi conciliorum part. I. pag. 340.. Increpet te et post infelicem obitum deus, mendacissime itale!, qui profano tuo ore in coelum mentiri non erubescis. Ego nihil magis miror, si mirari satis est, quam quod Péterfyus Sacra romano-catholica concilia stolida illa Parenaesi contaminaverit. Illa enim Illicinii Parenaesis et stercus olet et ne stercore quidem digna est. Addit enim mendacissimus italus, a quo hussitarum et lutheranorum penetravit haeresis, semper regnum Hungariae in deteriorem venisse conditionem, imo ex una lutheranorum haeresi et turcarum immanitatem invasisse, et seditionibus permisceri coepisse omnia, hinc ne cibum quidem cum lutheranis sumendum esse vociferatur. Procul dubio voracissimus italus solus vorare consveverat. Vid. pars I. Conciliorum Péterfyi pag. 334., 349. sq.. Vide, qui prudens es, et mendacem italum cum omni posteritate detestare. — Quae de Conciliis Caroli Péterfyi an. 1741. Viennae et Posonii in fol. editis dici possent, clar. condam Michael Rotarides in Prolegomenis lineamentorum historiae Hungariae litterariae pag. 86. et sq. non male exequutus est adeo, ut mihi liberalissimum otium fecisse videatur. Mea sententia cel. Péterfyus magni et celebris viri nomen apud posteros meruisset, nisi Sacris illis conciliis profana miscuisset, in miseros cives protestantes sine omni ratione ut quamplurimum injurius. — In conventu pesthiensi an. 1747. 24. Aug. sub praesidio comitis Francisci Eszterházy non religionis, sed regionis causa instituto, comitem Leopoldum de Nádasd, regni cancellarium, protestantes adversus patres jesuitas strenue defendisse et eos non tolerari tantum, sed privilegiis regum confirmatos in regno Hungariae sacris suis defungi, ex actis regni publice ostendisse, uti in Supplementis ad quaestiones historicas Johannis Hübneri tom. X. ad an. 1747. pag. 1031. sq. scribitur, etsi certum sit: tamen nullam ex eo tempore in protestantes exinde utilitatem redundasse omnes sciunt, quod non clementissimae reginae, sed excelsi consilii regii locumtenentialis arbitrio factum est. Hoc enim ex sapientissima august. condam imperatoris Caroli VI. constitutione, in negotio religio-

nis contra positivas regni leges nihil definire deberet, cum id ex lege patriae ad solum regem ejusque arbitrium pertineat: id tamen saepe saepius factum esse, non sine exquisitissimo dolore deplorant, si plorare satis est, protestantes. — Quae Andreas Spangar, S. J., in Continuatione Gregorii Pethő Chronici hungarici an. 1734. Cassoviae in IV. editi, in protestantes evomuit, clar. Rotarides in Lineamentis suis historiae litterariae Hungariae pag. 84. sq. egregie profligavit. Ille enim, expilator Pázmáni, Timonis et inprimis Szentiványi, praeter criminationes in protestantes nihil addit amplius, homo non ad meliores litteras, sed ad stivam et prostituendos *) homines natus, ipse et post tristem obitum optimo jure proscindendus.

SECTIO IV.

DE

ADMIRANDA RELIGIONIS EVANGELICAE IN HUNGARIA CONSERVATIONE.

§. 1.

Promissiones divinas certas esse et indubitatas, omnibus exploratum est. Hinc uti puriori coetui suo perpetuo se adfuturum **) promisit, Matth. XXVIII. 20.: ita eum inter fatales rerum conversiones adversus mille malevorum insultus potenter tuitus est.

§. 2.

Certe adversarii religionem evangelicam insectando firmiorem eam reddiderunt et martyrium triumphis non parum auxerunt. Nam

Velut in sylvis decussa repullat arbor
Et multi ex uno veniunt radice nepotes:
Sic quoque surgebant uno de funere centum,

uti non sine ratione de primaevis christianis cecinit poeta. Eleganter in hanc rem Lutherus noster: „Fideles, dum occiduntur, crescunt; dum minuuntur, multiplicantur, dum subjiciuntur, superant; dum expelluntur, intrant; vincunt, cum vincuntur"; vid. tom. II. latinus pag. 6. Divinabat quidem, sed admodum stolide, Otiorum Báchmegyey-

*) Ribay- és Daxnernél: proscindendos.
**) Ribaynál: Jesus Christus.

anorum autor, protestantes hoc seculo ruere coepisse et ruituros, usque dum ad nihilum redigantur: sed nos singulari dei providentia et augustissimorum regum gratia supersumus, ille autem, qui mendacissime divinabat, inglorius interiit. Vide Otia Báchmegyeyana pag. 642. et mendacem illum, uti meruit, ride. Quod nos in veritate evangelica perstemus, soli immortali deo ejusque providentiae transscribimus.

Nam Fidentes nescit deseruisse deus.

Hinc praefidenter adfirmat autor Hellebori subscriptionistarum sectione I. nota XIII., in ecclesia lutherano-evangelica spiritum sanctum etiam satana furente et frendente perpetuo sacrum ministerium conservasse, imo donis necessariis administrantibus ecclesiae doctores instruxisse. Vid. Gassitii Clypeus veritatis, cui hic Helleborus insertus est, pag. 56.. Hoc pro immensa sapientia sua praestitit, dum non tantum conatus hostium interverteret, sed etiam adsertores veritatis evangelicae ad invidiam usque hostium protegeret; hinc demonstrandum est, id eum fecisse:

CAPUT I.

CONATUS HOSTIUM INTERVERTENDO.

Membrum I.

PER BELLA.

§. 1.

Non sum equidem is, qui credam, religionem armis propagari *) debere, cum id neque institutioni divinae, neque verae religionis indoli respondeat, et vel eo nomine absurdum non minus, quam periniquum censeatur: certum tamen mihi est, deum, quo puriorem coetum suum propitius conservaret, iniquos hostium conatus bellis haud raro intervertisse.

Religionem armis propagari *) non debere, jam pridem evicerunt theologi. Vid. D. Joh. Affelmannus in Disputatione de haereticis ferendis, non auferendis et D. Danhauerus in Gamaliele ebraeo-teutone. Religio enim est opus prorsus divinum et res conscientiae, in quam nullius, nisi solius dei imperium esse potest, et nihil tam voluntarium esse debet, quam religio, uti sapienter judicavit libro 5. cap. 19. Institutionum Lactantius. Jus enim

*) Ribaynál: propugnari.

religionis non inter hominem et hominem, sed inter deum et hominem est et uti ob diversam religionem jus hominum non violatur: ita neque bellum causa religionis inferendum est, uti solidissime existimavit Zieglerus de Jure majestatis libr. I. cap. 33. pag. 372.. Hinc uti servator *) noster internuntios suos, quos apostolos vocamus, ad praedicandum evangelium inermes misit: ita illi nuspiam leguntur vim adhibuisse, cum potestatem docendi, non cogendi acceperint. Quae Luc. XIV. 23. in parabola de cogendis convivis leguntur, id non de coactione violenta, sed morali, qualis invitationi ad convivium competit, intelligi debet. Praecepit enim servator: sinite crescere zizania usque ad messem, Matth. XIII. 30.. Hinc facile est arbitrari, quam degeneres facti sint optimi **) Jesu discipuli et ut vocari cupiunt, socii jesuitae, qui in comitiis augustanis an. 1582. talia suppeditabant consilia:

Qua ratione queat Germania salva manere,
Suscipe consilium lector amice meum.
Utere jure tuo caesar servosque Lutheri
Ense, rota, Ponto, funibus, igne neca.

Hos quoque imitati sunt quidam Calvini discipuli, dum Heidelbergae defuncto piissimo electore Ludovico et fatiscente jam purioris religionis exercitio, ducem Casimirum, archipalatinatus administratorem, tali prorsus ratione hortarentur:

O Casimire potens! servos expelle Lutheri etc..

Quod carmen ad permovendum ducis animum non tantum arci electorali, sed etiam templo adfigi curarunt, quod non sine dolore percenset beatus Hutterus in Irenico pag. 39.. Imo monachus quidam Augustae Vindelicorum publice pro concione dixit: „Non existimet imperator se fortunatum futurum, nisi prius omnes lutheranos gladio deleverit et in sangvine eorum brachia sua abluerit“, uti notavit M. Johannes Pomarius in Postillis suis magnis Lipsiae an. 1593. in fol. editis part. I. pag. 486.. Hoc didicerunt a pontifice suo, Clemente VII., qui universum fere orbem adversus lutheranos concitavit et inito Barcellonae cum imperatore Carolo V. foedere, haec, quae sequuntur, inter reliqua sanxit: „Lutheranos ad veterem persvasionem caesar Ferdinandusque reducunto, sin minus id a pertinacibus obtinere poterunt, armis cogunto.“ Haec totidem verbis adnotavit Belearius, rerum gallicarum scriptor, libr. 20. nro 23.. Jacobus Hochstratus, inquisitor do-

*) Doleschal- és Daxnernél: salvator.

**) Ugyanazoknál: opinativi.

minicanus dum adversus Lutherum scriberet, pontificem romanum exhortabatur, ut non alio remedio, quam ferro et igne adversus eum uteretur mundumque ab homine hoc pessimo liberaret, ut confitetur ipse Ludovicus Meinburgius, S. J., natione gallus, in Historia lutheranismi in tomo I. ad an. 1518. pag. 27.. Hoc et sanioribus romanocatholicis displicuisse vel hinc condiscas, quod Petrus Castellanus, episcopus romanus, in responsione ad certum cardinalem gallicanum perscripserit: cardinalem illum, quod veri carnificis esset, ab episcopis exigere, quia ad immania supplicia regem incenderent et eos carnifices potius, quam pontifices vocandos esse, uti Galadinus in Vita Castellani a Balusio Parisiis an. 1674. edita testatur; vid. Ernestus Salom. Cyprianus in Tractatu de origine et incremento papatus in versione bohemica pag. 549.. Num in alios sine ratione saevire spiritum Jesu redoleat, aliis definiendum relinquo. Hoc certum est, deum non raro bella immisisse, dum coetum suum tueri et impias hostium destinationes intervertere decrevisset, quod et apud nos factum fuisse, paucis ex historia Hungariae demonstrandum est. Nam

Si quae terra capit laudes et Martis et artis
Sub sole ingenuas, hungara terra capit,

uti M. Elias Ursinus, paedagogii pragensis ad salvatorem rector, de cognita sibi gente, Stephano Omaszta, trenchiniensi, an. 1615. Iglaviae sub M. Paulo Müllero feliciter disputanti gratulatus, ex vero judicabat. Hinc et Coelius Rhodiginus in Antiquit. lection. libr. 28. cap. 21. memoriae prodidit, Hungariam laudaturus: Extra Pannoniam non est vita, aut si est, tamen non est ita.

§. 2.

Postquam rex Hungariae Ludovicus II., consiliis cleri circumventus, omnes Lutheri adseclas an. 1523. ferro, et post biennium igne delere decrevisset: singulari providentia divina bello turcico, anno 1526. in campis mohácsiensibus gesto, impeditus est.

Cladem mohácsiensem copiose non minus, quam ex vero descripsit ejusdem periculi socius, Stephanus Broderith, regni Hungariae procancellarius. Legi potest haec descriptio in Bonfinii Appendice, a Johanne Sambuco, tyrnaviense, procurata, editionis basileensis an. 1568. pag. 752. et seqq.. In hac ille Ludovicum regem descripturus pag. 769. sequentia adnotavit:

In medio ordinis regii stabat rex,
Ingenio, specie virtuteque numinis instar,

Spes patriae regumque decus, si fata tulissent.

Hinc notante Johanne Conrado Barthio in Sermone de victoria Leopoldi a turcis reportata pag. 142. in nummo aureo post tristem Ludovici II. occasum haec adscripta reperiuntur:

Buda potens et pannonii gens martia regni,
Quae fuit, esset, si viveret iste puer.

Funestam fuisse Hungariae cladem vel hinc arbitreris, quod supra 18.*) millia militum occubuerint et in his ex antistitibus ecclesiarum et proceribus regni praecipui, sed sacris lutherano-evangelicis ut quamplurimum infensi, quos enumerat Johannes Sigismundus Podlusányi De rebus gestis regum Hungariae pag. 493. sq. et comes Petrus de Réva in Centuriis de monarchia et sacra corona regni Hungariae, editionis francofurtanae in fol. pag. 60.. De hoc infelici proelio quidam hungarorum ita questus est:

Christicolas miseros! instructos, igne calentes
Exstinxit sangvis, rex Ludovice, rogos
Infelix Mohács, cujus sub cespite tristi
Pro patria proceres cum patriaque jacent.
Esztergom praesul, colocensis, nobilium flos
In campo Mohács defloruit misere!

Ubi per praesulem Esztergom archiepiscopus Ladislaus Szalkanus, per colocensem Paulus Tomoreus, infelix dux belli, significatur, de quibus plura in posterum. Id culpa cleri factum esse nemo unus est, qui ex vero negare audeat. Ille enim neglecta regis autoritate, ex arbitrio suo omnia disponebat et Ludovico II. praeter nomen regis nihil relinquebat, uti testatur comes Petrus de Réva loc. cit. pag. 67..

§. 3.

Sub initium seculi superioris XVII. omnia ad exitium evangelicorum videbantur comparata. Nam et religio majorum revocari jubebatur, et ne in publicis regni comitiis negotium religionis disputetur**) amplius, lege cautum fuit. Hinc pro lubitu suo in evangelicos grassati fuissent adversarii, nisi deus bello Bocskayano obicem iis posuisset.

Causam belli hujus genuini hungari ipsi Rudolpho II. regi transcribebant, qui jurisjurandi et legum patriae oblitus, consilio hungaro-

*) Ribaynál: 20..

**) Ugyanannál: discutiatur.

rum usus non est, litteras ex cancellaria hungarica non expediebat, hungaros consiliarios suos non creabat, neque negotia hungarica cum hungaris tractabat, cum tamen ex praescripto legis ita esse debuisset, cum in decreto passim legatur:

Pannona discutiat turbata negotia tellus,
Praeside, judicio, consule, lege, grege.

An non in camera hungarica posoniensi germanici consiliarii, qui antehac scribarum officio functi sunt, substituebantur? An non Viennae et Pragae negotia hungarica cum exteris consiliariis, rerum hungaricarum ignarissimis, definiebantur? Unde tot tantaque mala et periculosa consilia promanabant. Nam

Nescit alemannus peregrino judice fungi,
Optima sub patrio nascitur unda solo.

Praeterea ussit*) non parum hungaros, quod sua majestas praecipua bona non in hungaros, sed contra evidentissimas regni leges, in peregrinos derivaverit. Nam arcem Vigles contulit germano, Liptscham polono, Hoszúth italo, Trenchinium rustico Henckelio et multa alia bona peregrinis, uti in congregatione regnicolarum d. 24. Nov. an. 1605. Carponae celebrata coram legato caesareo hungari cum dolore questi sunt. Accedit, quod proprio arbitrio jesuitas reduxerit, illis arces et oppida contulerit et tanquam ignem in straminibus foverit, cum tamen ex vero pronuntiavit quidam poeta hungarus:

Grex jesuitarum, foetens rosa dulceque virus,
Te decet hungarici juris habere nihil.

Inter reliqua hoc vel maxime torsit hungaros, quod exteri milites, inprimis duces exercitus caesarei, Barbianus et Basta, inaudita tyrannide, connivente Rudolpho rege, grassarentur in hungaros et eo ipso bellum Bocskayanum procurarunt. Nam

Arguit eversam laxata licentia legem,
Rex et grex et lex stantque caduntque simul.

Hinc Stephanus Bocskay de Kismaria talia fieri videns, prius deprecabatur, dein cum Barbianus castrum ejus, S. Jobus dictum, diripuisset, Praga velocissimo itinere redux, collectis hinc inde errantibus hajdonibus, castra germanorum 15. Oct. an. 1604. dissipavit et hungaricis copiis auctus cum duce caesareo-regio Basta, qui ei cum 15. millibus occurrerat, non satis felici Marte pugnavit. Nam Basta, qui teste Parschitio in Tabell. pag. 138. victoriis elatus templa et aras, humana

*) Ribaynál: torsit.

atque divina jura violabat, exercitum hajdonum Bocskayanorum ad Osgyaninum fudit et ducem eorum, Blasium Németh, cum ex castello osgyanensi fugere vellet, capite plecti jussit. Tandem non paucos ad Szenderoviam et Cassoviam mense Decembri an. 1604. prostravit, de qua triplici hajdonum strage eleganter ad posteritatem scribebat quidam hungaricus poeta :

Hoc fractum hajdonum germano milite robur
Pannoniae et fusum Rudolphi exercitus armis,
Dum fortes aquilas invictus Basta moveret.

Anno sequente 1605. Basta ad Moschoviam, oppidum thurocziense, cum hungaris conflixit, qui eodem proelio superiores facti tandem circa Tyrnaviam omnem fere exercitum caesareum deleverunt et a mense Majo ad autumnum usque, nemine fere resistente, in finibus Austriae et Moraviae militarunt. Accesserunt enim Bocskayo, praeter Homonnayum, Blasius Lippay, Nicolaus Dersffy, Franciscus Magócsy, Georgius Széchenyi et alii hungarici proceres; conf. Parschitium l. cit. pag. 146. sq. et Hieron. Oertelii augustani Des Hung. Krieg-Wesens part. IV. ad an. 1604. pag. 40. sq.. Eo tempore, ut perscripsit non nemo ad posteritatem,

Quidquid atrox, quidquid truculentum, immane, nefandum,
Committi in nostra vidimus Hungaria.

Nam praeter Barbianum, de quo in superioribus dictum est, alter exercitus caesarei dux, Basta, postquam Transylvaniam immanissime vastavisset, in Hungariam delatus in feram bestiam degeneravit. Eo enim duce non tantum colonis non parcebatur, sed et domus nobilium diripiebantur, caedes et violenta stupra in conspectu maritorum, barbara feritate, peragebantur, puellis 7. annorum vis inferebatur, non sexui non ordini, non praegnantibus, non infantibus in cunis parcebatur. Quis praeterea numerabit, quot pagi exusti? quot oppida, direptis primum crudelissime fortunis, in cineres redacta? quot caedes patratae? quot familiae exstinctae? Imo eo jam feritatis processerant, ut iniquissimi illi duces palam profiteri non dubitarint, decretum esse a coeptis non desistendum, donec hungarorum semen penitus exstingvatur, exscindatur et nomen eorum de terra deleatur. O scelus! O terra! O coelum! quod totidem fere verbis consignatum leges in disputatione cujusdam civis hungari et malorum illorum socii an. 1604. conscripta sub titulo: Theses de moderno statu Hungariae et insurrectio-

nis tumultu ejusque vera causa. Vide thesim 27.—30. et nefanda crimina bestialis Bastae detestare.

Haec dum fiunt, proceres Hungariae apud Bocskayum id obtinuerunt, ut non tantum 15. Dec. an. 1605. de conditionibus pacis Carponae deliberaret, sed etiam dominica Jubilate, quae in diem 16. Apr. an. 1606. inciderat, Cassoviae comitia celebraret. His uti pacificationi viennensi praelusit, ita post ejus confirmationem religionem evangelicam desideratae dudum restituit*) libertati. Eo tempore evangelici et calviniani in omnibus templis religiosissime deprecabantur deum et non sine profusa laetitia ubique ingeminabant :

Post varios casus, post tot discrimina rerum**)
Pace frui nobis laetitiaque licet.

De pacificatione viennensi et quae hanc consequuta sunt, actum fuit in praecedentibus. Confer, si placet, Antonii Reiseri augustani, pastoris condam posoniensis et contubernii illius decani Letzten Abschieds-Brief an die hinterlassene evangelische Gemeinde pag. 150.. De obitu Bocskayi Kippingius in Supplementis ad historiam Johannis Pappii pag. 64. sequentia adnotavit: „Anno 1606. Bocskayus, Transylvaniae princeps, obiit, magni vir animi et religionis evangelicae adsertor strenuus, inevitabili veneno, quod monachi confecerant, et Kátayo, secretario perfido, multa et amplissima polliciti, serio commendaverant, infectus.“ Hieronymus Oertelius augustanus in Chronicis suis part. IV. pag. 189. sq. obitum Stephani Bocskay copiosius describit. Postquam enim Michael Kátay, non secretarius, sed cancellarius principis, in coena, quam ei paraverat, venenum principi suo propinasset***), magnos ei in latere ulcus venenatum dolores conciliavit adeo, ut 5. hora matutina 20. Dec. an. 1606. in domino beate obierit, postquam biennium, duos menses et 22. dies principatui Transylvaniae et reliquis adtributis sibi partibus cum dignitate praefuisset. Dedit infamis Kátay promeritas perfidiae poenas. Nam 13. Jan. an. 1607. hora 5. matutina per 6. apparitores sive milites hajdones dictos ad furcam protractus et in media parte corporis in frusta concisus, infame†) praebuit omnibus praesentibus spectaculum. Illa aetate, ut omnium horum memoria supersit, scriptum fuit :

*) Doleschal- és Daxnernél : adseruit.
**) Ugyanazoknál: rursus.
***) Daxnernél: procurasset.
†) Doleschal- és Daxnernél: magnum.

BoCskaIo KátaI trVX toXICa poCVLa praebet,
BoCskaIVs MorItVr, KátaI In frVsta seCatVr.

Exsangve Boeskayi corpus 2. Febr. an. 1607. templo cassoviensi illatum et erecto castro doloris non sine solennitate tumbae impositum fuit, cui superimposita erat corona, multis impensis a principe comparata, ensis principis et sceptrum, ultra quam reris, pretiosum. Sequente statim die magno cum comitatu in Transylvaniam vectum atque Claudiopoli in templo cathedrali, funere principe digno, tumulo illatum fuit. Comitati eum sunt ex hungaris cum omni solennitate Valentinus et Georgius Homonnay, Gabriel Báthory, Franciscus Magócsy, Paulus Nyáry, Michael Czobor et Christophorus Thurzó, uti Hieronymus Oertelius parte IV. Chronicorum suorum pag. 192. adnotavit. Super tumulo ejus suspensum est, veteri hungarorum more, vexillum, cui ad sequuturam posteritatem, aureis litteris, sequens adscriptum fuit epitaphium :

Ille ego magnanimis *) heros virtutibus ortus,
Inclyta Pannoniae Christe corona tuae.
Fida tuo postquam pro nomine proelia gessi
Armaque pro patriae digna salute tuli:
Te duce jam victor patriamque tuentibus armis,
Suspendi adversis tristia bella manus.
Nam victus valido non Marte, sed arte feroci,
Pro patria victor, vincor ab arte soli.
Christe mihi, mihi Christe salus mea, Christe voluptas,
Cujus eram unius munere, quicquid eram:
Da, dare namque potes, dum molliter ipse quiesco,
Succedat laudi fida corona tuae
Qua duce pannonicas tua gloria sancta per oras
Crescat in immensum multiplicata decus.

§. 4.

Irreparabilem jacturam, quam clerus romanus et nonnulli Hungariae proceres, imperante Ferdinando II., evangelicis conciliaverant, Gabriel Bethlen, princeps Transylvaniae, bello feliciter gesto, antevertit.

**) Adflicto evangelicorum statu excitatus Gabriel Bethlen, an.

*) Ribaynál: magnanimus.

**) E pontot Doleschal és Daxner e két szóval kezdik: Inter alia.

1619. cum 18. millibus Hungariam invasit et tantum non omnem occupavit atque demum an. 1620., non sine utilitate evangelicorum, cum imperatore Ferdinando II. inducias pactus est, si spem, quam de sedandis motibus fecerat, explevisset. Ferdinandus enim imperator, dato 16. Jan. an. 1620. Viennae diplomate, ita constituit:

„Bethlenius sacri romani imperii et Hungariae princeps nuncupator, Oppoliae et Ratiboriae ducatus titulosque perpetuo jure accipito, comitatus Szabolcs, Szathmár, Beregh et Ugocsa Transylvaniae adjiciuntor, novem comitatibus aliis, scepusiensi, abaujvariensi, de Ungh, borsodiensi, tornensi, hevesiensi, gömöriensi et arvensi, superstes dum fuerit, perfruitor.“

Sed vix annus post inducias abierat, a bohemis, qui adfligebantur, in societatem belli vocatus, ad arma provolavit et fatigato non parum imperatore, ab auxiliariis copiis desertus an. 1624. pacem iniit, inter reliqua ea cum conditione, ut liberum religionis exercitium in universa Hungaria relinquatur, quod anno sequente 1625. in publicis regni comitiis art. 22. confirmatum fuit in hunc modum: „In negotio religionis ut articulus I. anni 1608. ante coronationem editus et conditio sexta in suo vigore maneat, statutum est.“ Tandem Bethlenius, varia fortuna exagitatus Ferdinandoque imperatori semper molestus, an. 1629. d. 5. Nov. non malo articulari, quod podagricum adpellant, cui accesserit ignis sacer, ut vult Parschitius in Tabell. pag. 165., sed aqua intercute exstinctus est, annos natus quinquaginta et quinque.

§. 5.

Cum Ferdinandus III. imperator et ven. clerus confessionem evangelicam et omnes protestantes eradicare articulosque super libero religionis exercitio editos, nec non XVII. conditiones abrogare intendisset: destinationes eorum bellum Rákóczyanum impedivit.

Haec, quae adjiciuntur, ipse princeps Transylvaniae, Georgius Rákóczyus, in epistola ad Ferdinandum III. imperatorem data, confitetur. Legi potest perelegans et ab animo profecta epistola in Responsione ad manifestum Ferdinandi imperatoris contra Georgium Rákóczyum Viennae promulgatum, quae impressa fuit Cassoviae 29. mensis Martii an. 1644.. Cum enim mille modis fatigati evangelici frustra apud Ferdinandum III. quererentur et tot tantisque molestiis tolerandis pares non essent; hungari

Cassoviae *) congregati principem Transylvaniae, Georgium Rákóczyum, evocant omnesque ei adflictiones exponunt. Hic missis ad Ferdinandum III. internuntiis nihil obtinet, adeoque rem bello experiri decernit, postquam justas belli causas an. 1644. exposuisset. Hinc eodem anno inito cum regibus svecorum et gallorum foedere, cum 70. armatorum millibus in Hungariam penetrat et eam ex majori parte occupat rebusque ex animi sententia gestis an. 1645. pacem religioni evangelicae procurat. Nam praeterquam quod 90 templa evangelicis restitui jubebantur, etiam puncta pacis illius in publicis regni comitiis an. 1647. fuerunt confirmata. Vid. Christ. Parschitius in Tab. Hung. pag. 173. et Nadányi in Floro hungarico pag. 379..

§. 6.

Divexationes protestantium, quae ante et post comitia soproniensia, anno 1681. celebrata, exarserant, bellum Tökölyanum interstinxit.

Annus erat 1677. inter hungaros et exercitum Leopoldi multis cladibus insignis. Nam hungari gallico et polonico milite aucti germanis et pares erant, et eos non parum adfligebant. Hoc ita torsit ducem militiae Leopoldi M. imperatoris, Koppium, ut hungaris, data ad eos epistola, extrema quaeque minaretur, ad quam ejus epistolam feroces eo tempore hungari, quae sequuntur, responderunt: „Si tibi, Koppe aliisque cruce in fures, palo in latrones animadvertendum ducis, fac, ut ex infami trabe quam prius pendeas, aut e palo praetereuntibus spectrum sis.“ Vid. autor Fragmentorum cassoviensium ad an. 1677. pag. 601.. De bello Tökölyano, si placet, consuli possunt complures scriptores historiarum hungarici. Mihi ad scopum satis est, si commonuero, victricibus ejus armis non pauca templa protestantibus fuisse restituta. Vid. Parschitius in Tab. regni Hungariae pag. 199.. Bello Tökölyano templum majus cassoviense evangelicis redditum est et ministerio ven. senis, Nicolai Lipóczy, peculiari sermone sacro, qui prostat, praesente ipso Tökölyo, inauguratum fuit. Hinc non sine ratione Elias Ladiver in Natali victoriarum praesagio, Leutschoviae an. 1683. edito, confitetur: „Emericum Tökölyum exuli religioni templa, patriae servienti libertatem et abditis litteris lucem reddidisse et in ipsis castris collegium eperjense e ruderibus prodire jussisse et imperasse.“ Fuit enim religionis evangelicae non minus, ac pater

*) Dolenschal- és Daxnernél: Cassoviam.

ejus Stephanus, multo amantissimus et quod ad laudem tanti herois satis est, etiam in exilio suo perpetuus ejus confessor, ut adeo non parum deerret reverendissimus Michael Ambrosovszky canonicus agriensis et abbas de Egres etc., qui in libello Agriae an. 1759. in 8. impresso, cui titulus:

IMago orbIs ab orbe ConDIto per seCVLa repartIta,

part. II. pag. 178. audacter magis, quam ex vero scribit: Emericum Tököly in Hungaria religioni romano-catholicae accesisse. Sed neque est, neque fuit ita. Etsi enim sedatis patriae rebus in Hungariam redire voluerit: propter defessam tamen aetatem suam in Turcia mori habuit necessum, neque rediit ex iis, qui in Turciam eum comitati sunt, quod sciam, quispiam, praeter magnificum condam Stephanum Petróczy, aeque evangelicum, in templo neczpalensi apud thuroczienses tumulo illatum. Ne caput ejus post obitum a cervice rescindatur, multis precibus et impensis per magnificam dominam Elisabetham de Réva, fidelissimam conjugem ejus, omni praedicatione mea longe majorem, in augustissima domo imperatoria impetratum fuit. Ex vetusto more hungarorum lapidi sepulcrali marmoreo superimpositum est vexillum cum eleganti epitaphio, aureis litteris pendenti vexillo inscripto, cujus hoc est initium:

Stephanus hic jaceo ex illustri stirpe Petróczy,
Virtutum decus et religionis honos etc..

In inferiori *) parte vexilli adparent verba Jacobi, cum in conspectu Pharaonis consisteret, ex Geneseos 47, 9. desumpta: „Dies peregrinationis meae pauci fuerunt et mali et non pervenerunt ad dies patrum, quibus peregrinati sunt.“ — Accedit, conjugem Emerici Tököly, Francisci I. Rákóczy relictam et Petri Zrinyi filiam, postquam de veritate religionis evangelicae plene informata fuisset, relicta religione romano-catholica, sponte, libere et cum profusisssimo gaudio evangelicis accessisse. Videatur in hanc rem: Original Bildnüss sive Lebens Beschreibung des gebornen ungarischen Grafen Emerici Thökelyi pag. 5. et 6.; prodiit an. 1683. in IV.. Laudavit hunc comitem, et quidem ex vero, uti alibi, ita inprimis in oratione praesentatoria, cum Andreae Szántó, publico praeceptori, instruendus 24. Jan. an. 1668. commendaretur, D. Samuel Pomarius, gymnasii eperjensis supremus director, ubi eum nobile coeli depositum et pretiosum totius regni pignus adpellavit. Vid. Oratio Pomarii au-

*) Daxnernél: interiori.

spicialis in solenni inauguratione illustris gymnasii inc. statuum regni Hungariae aug. evangelicorum Eperjesini erecti 18. Oct. an. 1667. instituta et Vitenbergae an. 1669. edita, pag. 55.. — De causis excitati belli, postquam divexationes evangelicorum perdurarent et ejus *) supplicationes in aula august. imperatoris Leopoldi spernerentur, ipse Tököly prolixe exposuit, ut videri potest in dicto libello: Original Bildnüs, sub finem **).

§. 7.

Quae an. 1703. protestantibus in Hungaria facta fuerit accessio, tanto parcius perscribendum existimavi, quanto certius est, Franciscum Rákóczyum non tam bellum, quam tumultus excitavisse, tristi admodum catastrophe terminatos; quamvis ejus quoque armis divexationes evangelicorum non parum fuerint impeditae.

Franciscus Rákóczyus an. 1701. ex custodia neostadiensi opera Godofredi Lehmanni liberatus, postquam an. 1703. causas suscepti belli exposuisset, optimatum nobiliumque accessione auctus, insignem de caesareanis victoriam in agro veterosoliensi reportavit et suo confoederatorumque arbitrio diffusis longe lateque copiis religionem evangelicam undiquaque pristinae libertati restituit et templa post comitia soproniensia anni 1681. evangelicis adempta per recuperatores, quos commissarios vocant, in inc. comitatibus restitui curavit. Profecto anno statim sequente, praeter complures ludos litterarios, collegium quoque eperjense, evangelicis redditum, non parum efforuit, usquedum an. 1710. cum omnibus templis, quae indultu confoederatorum evangelicis concessa fuerunt, edicto caesareo adimeretur. Nostri, priusquam haec fierent, intercessionem potentissimi condam Caroli XII., regis Sveciae, per spectab. condam Nicolaum Szirmay et Michaelem Melczer implorabant, qui uti eos clementissime acceperat, ita per secretarium suum Carolum Piper, in hunc modum responderat:

„Sacra regia majestas non sine ingenti animi moerore comperit adflictam eorum sortem in Hungaria, qui religionis causa graves horrendasque pontificiorum persequutiones experiri hactenus sunt coacti. Et quemadmodum pacificatio vestphalica sacrae regiaeque majestati jus facultatemque praebet pro consortibus suae fidei, qui caesareas incolunt

*) Daxnernél: eorum.

**) Ugyanannál még: imo et in ejus Manifesto.

provincias, intercedendi eorumque causam debito modo suscipiendi agendique: ita ministro suo, qui aulam degit viennensem, in mandatis dedit, ut negotium hoc plenius ibi exponeret postularetque, ut sacra caesarea majestas id sibi verae amicitiae in periclitantibus ob religionem hungaris clementis aequique animi documentum daret et coercita sacerdotum romanensium licentia, ab iis omnem vexationem in posterum prohiberet templaque, scholas, bona et religiosa loca pristino usui ac juri restitueret. Quam intercessionem sacra regia majestas non sperat effectu carituram et, si opus fuerit, iterari eam non gravabitur. Et cum exstruendo in juventutis usum collegio eperjensi se occupatos audiat, neque hac in parte eorum necesitatibus se subtrahere constituit dispicietque rationes, cum tempora permiserint, quibus hoc eorum inceptum sublevari queat. Quae praeterea ad eorum, quos religionis communio et verus dei cultus sibi conjunxerat, solatium ac salutem pertinere intellexerit, ea quavis occasione ac tempore commendatissima sibi habebit. Datum Ravisii in superiore Polonia d. 28. Jul. 1705..

Ad mandatum sacrae regiaeque majestatis Sveciae
Carolus Piper, senator et secretarius m. p.."

Sed quia eodem anno die 5. Maji august. imperator Leopoldus diem supremum obierat, intercessio haec in effectum deduci non potuit. Eadem opportunitate potentissimus ille Carolus XII. rex Sveciae, qui an. 1718. Marti devotus finem vivendi fecit, singularem in hungaros benevolentiam hac munificentia contestatus est, quod continenter quatuor juvenes hungaros in universitate Pomeraniae griphisvaldensi alere promiserit. Superest scriptum ejus per Carolum Piper senatorem et secretarium ad ejus mandatum conscriptum in hunc modum:

„Cum sacra regia majestas intelligit augustanae confessioni addictos hungaros in animum induxisse juvenes aliquot ad academiam mittere griphisvaldensem in Pomeraniam, qui domi orthodoxae fidei principiis imbuti, incepta studia theologica ibi tractent ulterius ac prosequantur: hinc eorum instituto favere cupiens, clementer curatoribus ejusdem academiae in mandatis dat, ut quatuor nationis hungaricae studiosos in numerum alumnorum regiorum recipiant eosque totidem stipendiis annuis in posterum, quamdiu studiorum causa commorantur, frui sinant. Datum Ravisii in superiori Polonia d. 30. Jul. an. 1705.

Ad mandatum sacrae regiaeque majestatis Sveciae
Carolus Piper, senator et secretarius m. p.."

Dum universitas illa floreret, multi ad eandem confluebant hungari,

studiis operaturi, magni illius Joh. Friderici Majeri, procancellarii, eruditione invitati, quales erant, praeter illustr. colonellum Thomam Szirmay, Samuel Matthaeides, ex Roma et Geneva etc. irreconciliabili erudito orbi notus, pastor slavorum eperjensis: Joh. Sextius, pastor cremniciensis germanicus; Georgius Buchholz, rector gymnasii kesmarkiensis; Simon Gál *), rector topschensis, Geczelfalvae qua minister fatis functus, viri laude mea majores. Adhuc singulari dei providentia et profusa regum Sveciae indulgentia perdurat hoc beneficium, quamvis his temporibus, propter imminutam universitatis existimationem, pauci admodum eo digrediantur hungari: sunt tamen et hac nostra aetate, qui ibidem studiis melioribus operabantur, inter quos clar. Heinseli et clar. Zieger refero. Conservet hoc beneficium hungaris, potentissimorum regum Sveciae gratia, deus immortalis in posterum pro sua bonitate.

Quomodo exequuti fuerint officia sua recuperatores, sive commissarii vulgo dicti, minimum unico exemplo commonstrabo. Dum restitutum fuisset templum solnense, hoc iis exhibuerunt publico nomine testimonium:

„Nos infrascripti commissarii damus pro memoria, quibus expedit, universis et singulis, posteaquam pro exequenda in negotio templorum, parochiarum et scholarum earumque appertinentiarum, proventuum et redituum in inc. comitatu trenchiniensi habitorum, occasione nuperi inc. regni Hungariae confoederatorum statuum conventus inita amicabili compositione et gratiosa sereniss. sacri romani imperii ac Transylvaniae principis ac praelibatorum regni Hungariae statuum ducis commissione, anno salutis 1705. d. 22. mensis Novembris comparentes in oppidum privilegiatum Solna, in inc. comitatu trenchiniensi habitum, in praecitato templorum, parochiarum et scholarum assignationis negotio cum ibidem secundum conventionem, in inc. regni Hungariae confoederatorum statuum conventu generali factam et in eadem conventione fundatam instructionem ad communem rationem deventum fuisset, observata et qualitatis et numeri reflexione compertum fuisset, longe et multum superare communitatem evangelicam catholicos, quam quidem connumerationem ex utriusque status parte nobis praesentassent, stringeretque et obligaret praeattacta instructio commissariorum sub juramento, quo ingressi fuissent inclytorum regni Hungariae statuum confoederationem, ad fideliter et diligenter exequenda, sibi ipsis extradata puncta instructionalia et vero in iis-

*) Daxnernél: Galli.

dem specifice respectu inclyti comitatus trenchiniensis expressum declaratumque haberetur, in negotio secundum connumerationem assignandorum templorum ejus debere esse templum, qui status numero superaret alium et ubi duo forent templa, pluralitatis foret majus. Ideo nos humillime et obsequentissime satisfacturi juratae nostrae obligationi in praemissa instructione fundatae, anno praenotato d. 25. Nov. templum, parochiam et scholam, in dicto oppido existentem, cum suis universis appertinentiis, statui evangelico assignavimus, templum vero extra oppidum Stephano regi dicatum cum suis appertinentiis statui catholico, calicibus casulis et omnibus fere rebus sacris, templi usibus deservientibus ac in templo repertis, fideliter comportatis ac perlustratis, indeque, prout quamque religionem concernerent, potissimum pro catholicis relictis et assignatis. Super qua praemissa assignatione statui et communitati evangelicorum antelati oppidi, ad petitionem ejusdem has sub sigillis nostris usitatis, manuum nostrarum subscriptione, dedimus testimoniales. Actum anno et die supra notatis,

Suae serenitatis principalis ad restitutionem templorum, parochiarum et scholarum in inc. comitatibus thurocziensi et trenchiniensi existentium deputati commissarii

Josephus Huszár L. S..
Franciscus Bohus L. S..
Johannes Sipos L. S.“

Addunt praeterea recuperatores isti sequentia: „Post restitutionem templi solnensis deprehendimus supra januam templi inscriptionem, per jesuitas calce oblitam eamque curavimus renovari per pictorem, erat vero talis: „Num quid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum, in oculis vestris? Ego ego sum, ego vidi, dicit dominus Jer. VII.?“ Adparuerunt etiam litterae vetustiores, continentes nomina senatorum, qui templum illud reformaverant.“

Ad alios inc. comitatus alii missi erant recuperatores, ad inc. comitatum liptoviensem et arvensem Melchior Rakovszky, Franciscus Gyürky et Christophorus Okolicsányi; ad nitriensem et posoniensem Stephanus Béber, Stephanus Szigyártó junior et Nicolaus Gosztonyi; sed omnium horum operosa industria frustra fuit. Postquam enim Rákóczyus, inclinatis rebus suis, in Poloniam profugisset et comes Johannes Pálfy, plenipotentiarius august. regis Josephi I., ejus arbitrio tumultuantes adhuc hungaros, innocenti sangvini parsurus, in ordinem revocasset, omnia, quae recuperatores arbitrio et indultu

confoederatorum adsignaverant evangelicis, iterum mandato regio adempta sunt, quod etiam jussu Caroli VI., antequam rex Hungariae fuisset *), in conciliandis sibi hungarorum animis magnus heros Pálfyus diligentissime, etsi cum exstanti jactura ecclesiarum nostrarum exequutus est. In hanc rem merito conferri meretur scriptum perelegans: Gloriosa in servitiorum domus austriacae et negotiorum totius gentis hungaricae emolumentum per excell. comitem Johannem Pálfy de Erdőd etc. facta pacificationis seu conventionis szathmariensis exoperatio. Scriptum uti rarius, ita ad hanc rem, propter diversas diversorum litteras, magni momenti, quod tamen hic percensere prolixius opus non est, cum majori ex parte res civiles complectatur.

§. 8.

Etsi multi sint, qui bellum Rákóczyanum aequitati non respondisse arbitrentur, cum cives et subditi summis imperantibus non debeant resistere, Rom. XIII. 2.: pertinet tamen hoc ad officium principis christiani, civium suorum libertatem conscientiarum tueri, cum absque illa civitas tranquilla esse non possit, uti ex vero judicavit D. Adamus Rechenbergius in Dissertationibus historico-politicis part. II. dissert. XV. et XXI. pag. 406., 657..

Regnum Hungariae liberum ad an. 1687. libere eligebat regem. Primus hoc anno rex hereditarius Josephus I. a Georgio Széchenyi, archiepiscopo strigoniensi, sacro diademate insigniebatur. Uti igitur hungari libere eligebant regem, ita rex jurejurando spondebat, se omnia jura et libertates, sive regionis sive religionis, sancte et inviolate servaturum. Hoc cum observatum non fuisset, sed libertates regionis non minus, quam religionis violari permitterentur: fieri non potuit, quin post multa, frustra quaesita remedia immedicabile vulnus esse rescindendum esse existimaretur. Hoc quidem privati et mere subditi facere non debent, ne ordinationi divinae resistere videantur, Rom. XIII. 3.; sed si sint, qui in partem curarum veniant, ut status imperii et principes regnorum, et jus suum violari advertant, exemplo Machabaeorum 1. Mach. I. et III. jus suum armis tueri possunt, uti censet Königius Casuum catecheticorum part. I. pag. 44.. Hinc uti bella defensiva, conservandae libertatis causa mota, omnium gentium consensu licita

*) Daxnernél: fieret.

sunt: ita quod principes nostri avitas libertates suas, publica regni lege et diplomatibus regiis firmatas, cum alias sine periculo animarum fieri non posset, tuiti sint, hoc iis in offensam verti non potest, neque iis aut religioni evangelicae transscribi, quod aliqui occasione talium intestinorum motuum ex rev. patribus romano-catholicis verberati, divexati aut capite diminuti, uti in comitatu liptoviensi an 1673. Ambrosius Baskovius, Thomas Kovalovszky bodensis, Thomas Tranoscius alsó-kubiniensis, Georgius Galgóczy bodensis, Martinus Török, Georgius Csepelinyi, Joh. Simonides socius Jesu, liszkensis plebanus, et alii fuerint, qualium quiritationum uti alibi, ita inprimis coram excelsa commissione pesthiensi an. 1721. neque modus fuit, neque finis. Hoc uti non probamus, neque probare possumus, cum principiis religionis nostrae adversetur: ita dolemus ex animo, quod illis tumultibus *) nostris quoque ex utroque statu paria evenerint. Illa enim erant tempora, quibus nec statui ecclesiastico, nec nobilitati, nec miserae plebi quidem parcebatur, nulla prorsus habita religioni suae addictorum ratione. Ita in inc. comitatu thurocziensi, sub infelicibus motibus Rákóczyanis, quidam Maszelnik, non lutheranus, sed romano-catholicus, nullo habito religionis suae respectu, residentiam patrum jesuitarum in oppido Znio-Várallya perfregit, aliquot ex patribus comprehendit, duos plebanos interemit et abductos secum jesuitas ad deponendam mulctam pecuniariam adegit. Accedit, quod Daniel et Johannes Justh de Neczpál, praenobiles, per asseclas Tökölyanos, Gabriel Raksányi, Johannes Valovicz, et Emericus Zathureczky per Rákóczyanos, propter conservatam optimo regi fidelitatem, omnibus fere bonis exuti vitam amittere necessum habuerint, ne quid de Christophoro Okolicsányi, de quo in Syllabo litteratorum meorum thurocziensium prolixius egi, percenseam. Hinc uti ven. clerus romano-catholicos tumultuantibus immixtos, nulla ratione excusare, ita protestantes ex aequo et cum ratione incusare non potest. Gladius enim in tantis tumultibus, quem invenit, occupat. Ecce tempore obsidionis arcis Bozók, praepositus Stephanus Dobis et ejus in spiritualibus adjutor, Nicolaus Szevetenyei **), jussu obsidentis condam baronis Emerici Balassa, romano-catholici, trucidati sunt, nulla religionis habita ratione, quod cum omnibus exploratum et a nostris tempore excelsae commissionis pesthiensis probatum sit, neque ipsi romano-catho-

*) Daxnernél: temporibus.

**) Ugyanannál: Sveteny.

lici negare audent. Quanta feritate in ministros grassati sint plebani Jósa et Hirko, in sequente §. ostendetur. Utinam

Excidat illa dies aevo, nec postera credant
Secula, nos certe taceamus et obruta multa
Nocte tegi propriae patiamur crimina gentis,

uti eleganter quondam loquutus fuit poeta Statius.

Membrum II.

PER

FATALEM ADVERSARIORUM OBITUM.

§. 1.

De Ludovico II. rege ejusque infelici interitu prolixius recognoscere opus non est. Postquam enim an. 1525. consilio cleri romani omnes penitus evangelicos exstingvere decrevisset, ipse praeter omnem exspectationem anno sequente cum praecipuis consultoribus suis exstinctus fuit, de quo in antecedentibus dictum fuit, quod satis est.

Idem Ludovico II. evenit, quod Uladislao I. regi Hungariae ex monumentis historiarum evenisse meminimus. Hic enim consiliis Juliani Caesarini cardinalis circumventus, fidem hosti barbaro datam perfide violavit et an. 1444. ad Varnam, Bulgariae oppidum caesus est, cardinale, perfidiae consiliario, tribus sagittis confosso. Vid. Aeneae Sylvii Commentar. libr. XII. pag. 325.. Hoc ne ipsi rom.-catholici negare audent. Sigismundus Podlusányi De rebus gestis Hungariae regum etsi Eugenium pontificem excuset, Julianum tamen cardinalem excusare ausus non est, cum dicto loco pag. 521. scribat: „Julianus quidem non tunc consultus fuerat, regi tamen et vultu et animo adsentiebatur, cumque ejus animum, quasi ominantis malum, trepidatio conscientiae aegritudine adficeret, ad confirmandum regis animum sustinuit pro suggestu exclamare, nullum in pannonum mores nefas inferri, si barbaris fidem negavissent.“ Hinc enatum est vetustissimum illud carmen, nomine Vladislai regis scriptum:

Romulidae Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi pontifices jussissent frangere foedus,
Non ferret scythicum Pannonis ora jugum.

Uti enim Cannae, vicus Apuliae, eo nomine clarus est, quod Hannibal 50. millia romanorum ibidem interemerit: ita Varna oppidum Bulgariae,

quod optimus rex Vladislaus, a pessimo cardinale Juliano Caesarini ad frangendum foedus inductus, cum multis suorum ibidem misere interierit. In Ludovico omnia, quod ex historicis scimus, praecocia fuerunt. Nam

Sine cute natus,
Post annum rex salutatus,
Novennis sponsus factus,
Post decennium gubernando regno admotus,
Anno aetatis 15. canus et barbatus,
Infelici morte interiit vix 20. annos natus.

Si omnes alii historici negligantur, conferri in hanc rem meretur Stephani Broderici Narratio de proelio ad Mohacsinum an. 1526., quo Ludovicus Hungariae rex periit. Vide editionem anni 1688. in 8.. Ita praecocia consilia optimum regem perdiderunt. Nam a Ladislao Szalkáno, archiepiscopo strigoniensi, et aliis praesulibus ad exstingvendos evangelicos inductus, in proelio mohácsiensi an. 1526. misere interiit. Ab iis autem inductum fuisse ne ipsi quidem patres societatis Jesu negant, cum in Archiepiscopis an. 1752. compendio datis pag. 99. disertis verbis adfirment, metropolita autore aliisque episcopis Hungariae in Lutheri asseclas feralem illam legem latam esse: „Lutherani omnes de regno exstirpentur et ubicunque reperti fuerint, non solum per ecclesiasticas, verum etiam seculares personas libere capiantur et comburantur.“ Vid. Ludovici regis Decretum VI. art. IV. §. 4. Quomodo cesserint clero romano intempestiva haec consilia, ipsi patres societatis Jesu loc. cit. confitentur, dum scribunt: „Cum Szalkáno eodem proelio caesi sunt: Paulus Tomoreus, archiepiscopus colocensis, Franciscus Perényius, varadiensis, Philippus Moreus, quinqueecclesiensis, Blasius Paksyus, jaurinensis, Franciscus Csaholius, chanadiensis, Georgius Palineus, bosnensis, antistites.“ Neque mirum est. Deus enim antistitibus ecclesiarum non praecepit bellare, sed praedicare. Marc. 16, 15.. Hinc qui gladium assumserunt, a gladio perierunt. Matth. 26, 52..

Erat romano-catholicis plebanis in more, relictis aris discurrere in cornu et vitae fidelium verbi divini ministrorum insidiari, ut exemplo patris Jósa et Hirko, qui novem pastores, exceptis ministris regiis, occiderunt, demonstrari potest. Vid. Jobi Krestyanszky aus Freyberg Kurtze Nachricht etc. pag. 28.. Pater Jósa, plebanus tályensis, collecto tumultuario milite, majorem in modum praedabatur et non tantum Hungariam, sed Bohemiam quoque percurrebat et cum multis

spoliis in patriam redux, ad Patakinum a civibus (*) caesus est, a suis demum, etiam cum plebano **) Hirko in numerum martyrum relatus. Vid. Jobi Krestyanszky Ausführliche Antwort auf die verlarvte Wahrheit etc. pag. 79.. Egregios mihi martyres, sterquilinio et patibulo magis dignos, praedones iniquissimos! In Ludovicum II. regem Hungariae non parum injurius est ven. clerus, cum adserere non vereatur, eum non propterea infeliciter bellasse et occubuisse, quod sangvinolentos articulos in evangelicos condiderit, sed quod Mariani regni caput, ut rex sufficiens, non sufficienter vigilaverit et peregrinam ac catholicae fidei contrariam professionem statim in herba non suppresserit, uti occasione commissionis pesthiensis. an. 1721. adversus omnem veritatem palam scribere non erubuit. Nonne Georgius Szakmárius, Lutherum ex omnibus cathedris proscribendo, et Ladislaus Szalkánus, uterque archiepiscopus strigoniensis, evangelicorum sangvinem sitiendo, sufficienter vigilaverint? Sed profana fuerunt omnia consilia ad evertendam***) veritatem evangelicam malo illo genio instigante composita. Utinam Ludovicus non cleri, sed aliorum monitiones fuisset sequutus! Lipsius enim et Leundanus tradunt, eum ab ignoto monitum fuisse homine, ne se et Hungariam in praesentissimum periculum conjiceret, sed cum omnis adeundi regem ei denegata fuisset potestas et quidam juvenis ex cohorte nobilium, veste splendida indutus neque regi dissimilis, ipso crepusculo eum accessisset, dixit: „Non idem es, quem te esse simulas;“ ad regis caput pertinere, neque alterius fidei se committere posse, quae haberet, „cui, si venire nolit, mortis proximae nuntium perfer.“ His dictis, evanuit. Conf. Podlusányium l. cit. pag. 491. sq.. Similia evenisse Jacobo IV., Scotiae regi, memoriae prodiderunt historici. Cum enim ad exercitum proficisceretur, Limnuchi †) in templo ab ignoto sene, monitus fuit in haec verba: „Rex! ego ad te missus sum, ut te admoneam, ne coeptum iter prosequaris, alias et tibi et tuis nociturus es.“ His dictis disparuit, nec inveniri poterat amplius. Hinc ob spretas juvenili stoliditate salutares monitiones, se ipsum cum potiore parte nobilitatis Scotiae perdidit. Vid. Buchananus De rebus scoticis libr. XIII..

---

*) Doleschal- és Daxnernél: suis.
**) Ugyanazoknál: patre.
***) Daxnernél: avertendam.
†) Ugyanannál: Limünchi.

§. 2.

Idem paucum post tempus Georgio Martinusio, Johanni Statilio, episcopo albensi, et ejus vicario, Francisco, evenisse clarius est, quam ut exquisitis argumentis debeat confirmari.

Georgius Martinusius, alias Utisinovicsius dictus, non raro in historiis simpliciter monachus adpellatur, siquidem ex vilissimis culinae officiis, quibus se in aula magni illius herois Johannis Corvini, bani Croatiae, ipse croata, addixerat, ad altiora eluctatus, monasticen inter eremitas s. Pauli professus fuit atque benevolentia Johannis de Zápolya varadiensium episcopus an. 1534. constitutus, tandem Ferdinandi I. imperatoris, ad quem defecerat, commendatione, a Julio III. pontifice purpuratorum patrum collegio adscriptus est. Hic varadiensem aedilem *), qui mulieri statuam in templo adoranti alapam impegerat, comburi et Urbanum Battyányi, qui negotium reformationis non parum adjuverat, etsi summum fere locum apud Isabellam reginam tenuerit, in basilica albensi jussu regio sepultum, effodi et in fimum sepeliri jussit. Hoc exitium furiosus ille et impotens monachus omnibus purioris doctrinae confessoribus intentabat, nisi Urbanus Battyányi, judice Jovio historico, celebris reginae consiliarius, Michael Csáky, itidem reginae a consiliis, funestas juxta cum aliis impedivissent destinationes. Omnes enim lutheranae religionis doctores rogo imponere et cremare postulabat, uti testis hujus est Hanerus in Historia ecclesiarum transylvanicarum pag. 200., 209.. Homo enim fuit varius et inconstans, neque Isabellae reginae, neque Johanni Sigismundo, cujus tutor erat constitutus, neque Ferdinando I., ad quem defecerat, fidus et acceptus. Praeterea a culina ad tantum fastigium evectus, coquus ille avarus erat, ambitiosus et tantae potentiae, ut ad summum splendorem summamque dignitatem nihil ei, praeter nomen regium, defuerit. Hinc regina Isabella, cui propter rapacitatem monachi vix sumptus ad necessitatem aulae suppetebant, avaritiam et potentiam Georgii aegerrime ferebat et detestabatur, uti Franciscus Forgács de Ghymes in Commentariis suis manuscriptis de rebus hungaricis libr. I. memoriae prodidit. Non abiit impune desperata haec Martinusii malitia. Nam an. 1551. die 17. mensis Dec. jam cardinalis a Marco Antonio **), Castaldi se-

*) Ribaynál: aedituum.

**) Vezetékneve: Ferrari. L. Magyarország története. Szalay László által. IV köt. Lipcse, 1854. 276. l. és: Történelmi

cretario, Sforcia Pallavicino et quodam Mercado, duorum sclopetorum glandibus *), vulneribus autem 65. in suo conclavi Alvinczii, prope Albam, misere trucidatus fuit. Prosit Barát Gyurka! Mercadus, ut nobilius facinus ederet, vivo aurem abscidit et per cursores publicos ad Ferdinandum regem misit, quae eidem, cum vespertinae devotioni, solenni quodam die, interesset, resignata fuit. Vid. Commentarii cardinalis Forgácsii libr. I.. Cadaver vulneribus, cruore tabeque deformatum septuaginta amplius dies non meruit sepeliri. Vid. Archiepiscopi strigonienses compendio dati pag. 104.. Ut mors ejus majori ludibrio exponatur, loculo assereo inclusus et supra vallum castelli positus jacuit, per summum ludibrium omni funeris honore tum privatus, ut loquitur in Commentariis suis manuscriptis jam citatus cardinalis Franciscus Forgács libr. I..

Statilius dalmata, homo impius, unicum verbi divini ministrum, qui pro concione usum carnis certis diebus in sacris litteris non esse prohibitum adseverabat, in carceres conjici et ex iisdem eductum, leporibus et gallinis oneratum, canibus ad divexandum objici jussit, sed ad insaniam redactus misere interiit, hanc dignam Epicuro vocem eructans: „Vixi ut sus, morior ut canis.“

Franciscus, vicarius ejus, antistite suo in divexandis evangelicis nihilo inferior, a militibus italo-hispanis multis vulneribus confossus, inter horrendos gemitus finem vivendi fecit. Vid. Lampe in Hist. ecclesiast. pag. 682. sq. et Hanerus l. cit. pag. 192. sq.. Ita innocentem evangelicorum sangvinem coelum vindicavit. Evenit enim omnibus his id, quod truculento illi hosti Lutheri Emsero, qui eo die, quo M. Alexium Crosnerum coldicensem, puram evangelii doctrinam Dresdae publice docentem, mandato ducis Georgii excedere et importunis imprecationibus cum omnibus ejus necessariis in exilium ire compulit, subita morte, tristibus et miserandis gestibus, exstinctus est, uti observavit cel. Seckendorfius ex Selneccero in indice I. operi suo historico adjecto, sub voce: Crosnerus. Talibus exemplis procul dubio ostendere vult sacrae illius civitatis conservator, deus, quam difficile sit adversus eum calcitrare.

---

zsebkönyv. Rajzok a magyar történelemből. Irta Hatvani Mihály. Pest, 1859. 437. l..

*) Máskép s körülményesen van leirva meggyilkoltatása Hatvani imént emlitett munkája 437. s k. lapján.

§. 3.

Quam misere interierit post multas evangelicorum divexationes comes Ladislaus Csáky et bonorum ejus praefectus, Johannes Henyey, Stephanus Pilárikius memoriae prodidit.

Obierat diem supremum apud posonienses ecclesiae evangelicae pastor, M. Simon Heuchelin, vir aetate meritisque gravis. Hic dum usitato more ad tumulum deportaretur, comes Ladislaus Csáky, ad fenestram stans, in haec verba erupit: „Ecce quam pingvis assatura diabolo ad infernum deportatur.“ Vix haec proloquutus fuit, justo dei judicio supinus cadit et exstingvitur. — Johannes Henyey, homo ferus et nobile crudelitatis instrumentum, non alias, ac Antiochus, juratus populi dei inimicus, 2. Mach. IX., misere et cum horrendo boatu an. 1647. mortuus, dignam factis suis mercedem reportavit. Vid. Stephani Pilárikii Currus Jehovae mirabilis Vitembergae an. 1678. in forma IV. editus. Huic tanto certius credi potest, quanto nobis exploratum magis est, eum omnium illarum divexationum et conscium et participem fuisse, uti prolixe loco citato exposuit. — De crudeli et infelici Bebekio, domino krasznahorcensi, qui Andream Fischerum, tractum gömöriensem magno studio reformantem, ex altissima arcis rupe innocentissimum praecipitari jussit, ejusque miserandis fatis, pag. 53. dictum fuit.

§. 4.

Si sequiorum temporum rationem inire voluerimus, Andreas Plathy et Johannes Dvornikovics, tristi funestoque interitu memorandi sunt, ne quid de Kellione et mille aliis infelicibusque eorum fatis adscribam.

Uterque horum evangelicis ut quamplurimum infestus non exspectatas dedit poenas. Andreas enim Plathy, dum apud liptovienses maxime in evangelicos saeviret, vivus adhuc a vermibus corrosus, non minus suis, quam omnibus reliquis peracerbum funestumque fuit spectaculum. — Dvornikovicsius, brutum illud animal et juratus evangelii hostis, post inopinatum infelicemque obitum lusus erat satanae et totius Hungariae fabula, nunquam sine tremendo dei judicio memoranda. Is enim ita crudelis erat, ut neque a verberatione ministri nagy-palugyensis se abstineret et palam ediceret, si carnifices ad necandos *) ministros evangelicos defuerint, se detestabile eorum ministerium lubentissime occupaturum. Conferri potest in hanc rem Theatrum eperjense 5. Mar-

*) Ribaynál: excruciandos.

tii an. 1687. erectum*) sub finem. Hinc metiaris ingenium hominum, qui et veritatem verbi divini jugulare et ejus confessores perdere in partem gloriae et felicitatis suae interpretantur, deo olim responsuri.

CAPUT II.

CONFESSORES EORUMQUE FAUTORES PROTEGENDO.

§. 1.

Quantis periculis sub initium emendatae religionis involvebantur evangelici, tanquam purioris doctrinae evangelicae confessores in Hungaria, ex decreto VI. Ludovici II. regis existimari potest. Sed etsi statuerit rex poenam in eos incendii, deus tamen pro bonitate sua ita rebus eorum providit, ut nemo fuerit unus, qui silicem expresserit in flammas, nusquam compositus rogus, nusquam visus ardere, ut P. Johannes Sigismundus Podlusányi, parochus carponensis, De rebus gestis regum Hungariae cum dolore vel invitus confitetur pag. 486..

Non est mihi animus de omnibus veritatis evangelicae confessoribus commentari, cum hoc negotium foret inexsuperabile et non satis necessarium, cum id ante seculum et quod excurrit, eruditissimi viri**) praestiterint. Si enim vel id demonstrandum mihi foret, quomodo Lutherus ejusque collegae provida dei cura ex praesentissimis periculis liberati fuerint, laborem mihi consciscerem non necessarium, cum id dudum cum omni veritate cumulatissime evictum sit: mihi sufficit, si paucis commonstravero, singularem dei providentiam in conservandis confessoribus nostris hungaris eluxisse. Non sivit enim deus grassari adversarios, uti voluissent, quamvis pastor libethensis cum rectore suo et bibliopola quidam budensis crudeli ab iis morte exusti fuerint, uti in superioribus prolixius adnotatum fuit et quod multi proceres Hungariae aegerrime tulerint, magnus ille heros et celebris Isabellae consiliarius, Urbanus Battyányi, ab infelici monacho Martinusio, conducto optimi viri famulitio, veneno an. 1546. sublatus est, uti scribit Hanerus in Historia eccl. transylv. pag. 209..

---

*) Doleschal- és Daxnernél: in Ms.

**) Daxnernél: nostri.

§. 2.

Singulare divinae providentiae exemplum in Johanne Henckelio, Simone Grynaeo, Vinshemio et Matthia Dévay veneramur, qui sub primordiis emendatae religionis procuratum sibi triste exitium felicissime evaserunt.

De Johanne Henckelio, viro optimo et religionis evangelicae amantissimo, supervacaneum est scribere, cum iisdem fatis, quibus optima regina ejus, Maria, fere involutus fuerit, de quo non pauca scripsit Erasmus Roterodamus. — Simonis Grynaei et Viti Vinshemii sub initium commentationis injecta fuit mentio. Hi propter praedicationem veritatis evangelicae in carceres conjecti, christianis fidelium precibus ab intentata morte liberati sunt, uti ipse Podlusányi loc. cit. pag. 487. confitetur. Grynaeus neque extra patriam *) tutus fuit, singulari tamen divina providentia ecclesiae servatus. Cum enim an. 1529. in conventu spirensi ad Melanchthonem Heidelberga divertisset **) et Fabrum, viennensem episcopum, tetros quosdam errores pro concione defendere audivisset, amore veritatis inductus, hominem coarguebat et amica illa admonitione praesentissimum vitae periculum incurrebat. Nisi enim Melanchthon per venerandum quendam senem, nulli unquam cognitum, tempestive de liberando Grynaeo admonitus, eum beneficio cymbae trans Rhenum dimisisset, per Fabrum apud imperatorem accusatus, publicos carceres declinare non potuisset. Vix enim rediit ad hospitium Melanchthon, lictores appulisse ***) intellexit, Grynaeum ad publicos carceres deducturos. Hanc divinam providentiam, in liberando Grynaeo declaratam, profuse describit et celebrat Melanchthon Comment. in X. caput Danielis et ex eodem Caspar Sibelius in Historia passionis, mortis et sepulturae Jesu Christi part. I. conc. X. pag. 338.. Sic Julianum apostatam, cum pessima agitaret consilia lacrymis christianorum repressum fuisse, tradit Nazianzenus et addit simul, hoc unum contra persecutorem superfuisse remedium. Vid. Rechenbergius in Dissertationibus historico-politicis part. II. diss. 15. pag. 410.. — De Matthia Dévay videri potest Historia diplomatica p. 6. sq. et Lampe loc. cit..

*) Doleschal- és Daxnernél: Hungariam.
**) Ugyanazoknál: venisset.
***) Doleschal-, és Daxnernél- és Ribaynál: adfuisse.

§. 3.

Quam mire reliquos verbi sui sanctissimi ministros deus adversus insultus hostium defenderit, prolixius recognoscere nolo, cum tot sint fere divinae providentiae argumenta, quot fuerunt turbulentissimis illis Hungariae temporibus ministri evangelici.

De illis, qui tempore divexationis Leopoldinae aut fuga salutem reperierunt, aut ab exilio permissione august. imperatoris revocati in Hungariam redierunt, in superioribus, sectione III., dictum fuit. Ut alios hac vice taceam, M. Johannes Hodikius, superintendens, ex ecclesia bicsensi, propter colloquium in arce ejusdem nominis cum patribus jesuitis, Matthia Hajnal et Johanne Beszterczey, an. 1627. institutum, a prorege regni Hungariae, Nicolao Eszterházy, pulsus, Trenchinii commodam fortunarum sedem consequutus est. Nicolaus Martini, vághujhelyiensis superintendens, a comite Georgio Drugeth de Homonna, ex comitiis posoniensibus an. 1638. reduce, loco motus et mille alii a Catharina Pálfy, Sigismundi Forgács proregis vidua, et Francisco de Nádasd exagitati et singulari dei favore conservati, praesentissimum divinae providentiae exemplum esse possunt. In hanc rem confer, ut dicimus, Grava-mina an. 1647. et Historiam diplomaticam, in qua eadem pag. 21. reperiuntur consignata. Hi illi fuerunt viri, de quibus cum omni veritate dici potest:

Hos celebres lato nomen disseminat orbe
Ac simul in coelum fama suprema vehit *).

Calamitatem hanc omnem optimis viris procuravit ven. clerus, in quem jure derivari potest, quod celebris condam Johannes Sambucus, tyrnaviensis pannonius, in Emblematibus suis pag. 214. editionis antverpiensis an. 1576. de alio adnotavit:

Quaeque gerit, vi cuncta gerit, gerit omnia fraude,
Perfidia violat foedera, pacta, fidem.

§. 4.

Neque fautoribus religionis evangelicae deus immortalis patrocinio suo defuisse visus est unquam. Nemo enim in orbe fuit, quem ille bonitati divinae confisum deseruerit, quod mille exemplis confirmatum est. Nam:

Fidentes nescit deseruisse deus.

---

*) Daxnernél: fata suprema vehunt.

Quod ad rem nostram evangelico-hungaricam adtinet, id exemplo Mariae reginae, Ludovici II. conjugis, Alexii Thurzó, Casparis Drágfy, comitis Francisci de Réva, Theodosii Sirmiensis et vel maxime Emerici Tököly commonstrari potest. Omnes, qui se religioni evangelicae adjungebant, aut favere ei tantum videbantur, romano-catholicis et inprimis ven. clero exosos fuisse, omnibus exploratum est, quod ex scripto cardinalis Forgácsii, Pázmáni et multorum aliorum evidentissime elucescit. Certe Maria, optima regina, a Hieronymo Alexandro, archiepiscopo brundusino nuncio pontificis, apud imperatorem accusata, quod lutheranis faveat, in praesentissimum et vitae et fortunarum discrimen conjiciebatur, nec prius, quam gubernando Belgio admoveretur, periculum evitare potuit, uti cel. Seckendorfius in Historia lutheranismi libr. III. sect. XVIII. §. 80. pag. 206. luculentissimis et omnibus exceptionibus majoribus documentis coram universo litterato orbe evicit. — De Alexio Thurzóne et Casparo Drágfy videri potest Historia diplomatica pag. 4.—7.. Franciscus de Réva, propalatinus, praecipuus, uti dictum est, religionis evangelicae fautor et patronus, a Paulo de Várda, alias Vardáno, archiepiscopo strigoniensi, homine inconstanti et in omnes partes versatili et neque Johanni de Zápolya, neque Ferdinando I. fido, accusatus, idem Vardanus litteras impetrat, quibus eum Ferdinandus severe monet, ne haeresim grassare sinat, minus foveat. Vid. Archiepiscopi strigonienses compendio dati pag. 103.. Dolebant enim tantum magnatem sacris lutheranis adhaerere et in agnita semel veritate a Luthero confirmari. Dum enim in articulo de sacra domini coena plenius informari cuperet, datis humanissimis ad Lutherum litteris, sequentem an. 1539. obtinuit epistolam, dignam profecto meo arbitratu, quae sequuturae posteritatis gratia hic adscribatur:

„Generoso et clarissimo viro,
Domino Francisco de Réva, comiti thurocziensi etc.
Domino suo in Christo observandissimo,
Gratiam et pacem in Domino
Martinus Lutherus.

Etsi litteras tuas, vir clarissime, inter multas occupationes te scripsisse videam: ipse tamen quoque miratus sum, quomodo tanta copia argumentorum tibi ex Zvinglio inhaeserit in re sacramentaria, et valde doleo, te istis argumentis ita moveri. Sed cum ipse quoque sim occupatior modo, quam ut prolixius mihi scribere liceat, per Christum

et salutem tuam te oro, ne corruas in hunc errorem, ut solum panem et vinum in sacramento, et non corpus et sangvinem Christi esse credas. Nam argumenta tua sunt Zvinglii, contra quem nos multa scripsimus, sed vernacula, et multos dei gratia convertimus. Quid enim absurdi est credere, corpus Christi simul in coelo et sacramento esse? An omnipotenti deo difficile est, quod nobis incredibile videtur? Johannes cap. III. v. 13. dicit: Nemo adscendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelis. Si tum fuit in coelo, cum in terra ambularet, quomodo non tum erat in diversis locis? Cui ista sunt incredibilia, quomodo credit deum esse hominem? quomodo sit in utero virginis simul deus verus essentialiter? quomodo una persona simplicissimae divinitatis incarnatur, reliquis duabus exclusis? Mysteria fidei verbo sunt tradita et accepta, non ratione comprehensa atque judicata. Ratio est, quae dictat, idem corpus non posse in diversis locis esse; sed ratio est coeca et quod ei est impossibile, deo est facillimum. Mihi non est corpus idem in coelo et in terra, sed quid sum ego? Deo non est impossibile omne verbum. Non qui comprehenderit, sed qui crediderit, salvus erit. Et iterum: si non credideritis, dicit Esaias cap. VII. 9., non intelligetis. nec permanebitis. Miserrimus sit ille deus, qui non dicit aut facit, quod nobis incredibile sit. Sic enim nullum tandem habebimus articulum fidei, si judicio rationis nostrae aestimandi fuerint. Sed occupatus cogor his sistere, iterum atque iterum rogans, ut in veteri fide ecclesiae perstes, donec cum tempore argumenta tua copiosius solvero. Verba dei: „Hoc est corpus meum," te non fallent; tua ratio et hominum mendax est et fallit. Christus dominus te servet et dirigat spiritu suo sancto, amen. Dabam Vitembergae 4. Aug. 1539.."

Torsit hoc adversarios Francisci non parum; sed ille a veritate se dimoveri passus non est, verum constans fidei evangelicae confessor inter mille pericula tutus beate in domino obdormivit an. 1553., aetatis 64.. In vanum ergo et non sine exstantissimo errore blanditur sibi autor Palatii regni Hungariae palatinorum, qui pag. 18. part. II. audacter magis, quam ex vero scribit: Franciscum Révayum post exaratam a Ferdinando I. imperatore gravissimis verbis epistolam, ut haeresi, jam altas radices agenti, pro viribus obsistat, et quod in Archiepiscopis strigoniensibus compendio datis pag. 105. additur: minus foveat, eum tanquam virum integerrimum ac avitae religionis studiosissimum, aequissimae voluntati regis fecisse satis. Sed multo fuit aliter. Nam et religioni evangelicae,

uti ex superioribus elucescit, cum omni pietate addictus fuit et multis periculis perfunctus, ab ea se dimoveri passus non est, sed meritis sospitatoris nostri confisus, beatissime in eadem finem vivendi fecit. — Neque Theodosius Sirmiensis magis propitiam expertus fuit fortunam, eo nomine ut quamplurimum insignis, quod ab an. 1600., quo cum reliquis religionis evangelicae confessoribus et fautoribus *) leges ven. contubernii superioris districtus trenchiniensis confirmaverat, tutus inter tot tantaque pericula perstiterit et toto illo seculo vix aliquis inventus fuerit, qui a religione evangelica desciverit **). Habet ergo inc. haec Sirmiensium familia insignis constantiae laudem, quam ei omnes boni mecum cum voto perpetuae felicitatis lubentissime admetiuntur. Qui seculi hujus dignitatibus permoti sacra commutarunt, olim non sine maxima indignatione sibi transscribent. — De admiranda liberatione Emerici Tököly antecedentia legi possunt pag. 72., 226.

CAPUT III.

MINISTROS EVANGELICOS EX PRAESENTISSIMIS PERICULIS LIBERANDO.

§. 1.

Praeter primos religionis evangelicae reformatores ejusque strenuos adsertores, erant non pauci, qui post liberationem ex periculis, quae eos circumstabant, singularem dei providentiam cum omni pietate admirabantur.

Si vetustiora historiarum monumenta et priora ministrorum evangelicorum fata replicare voluerimus, reperiemus facili admodum negotio, multos fuisse, qui propter constantem veritatis professionem ad necem quaesiti, provida dei cura conservati sunt. Ex his paucos, ut sciant posteri, commemorabo.. Tales erant

Laurentius Serpilius,

ante hac Quendel adpellatus, episcopi scepusiensis condam capellanus, qui postquam Vitemberga an. 1540. redux, Bélam, patriam suam, in XIII. oppidis feliciter reformasset, a capitulo scepusiensi insidiose quaesitus, vix carceres aut mortem evitare potuisset, nisi Deus, insidi-

*) Ribaynál: fratribus.

**) Doleschal- és Daxnernél: et nemo ex successoribus ejus inventus fuerit, qui a religione evangelica desciverit.

arum conscius, eum an. 1558. ad liberam regiamque civitatem leutschoviensem in ministrum evocavisset. Hunc non fuisse primum ecclesiarum in superiori Hungaria reformatorem, uti David Godofredus Arnoldi, Bojanoviae, in majori Polonia, pastor, in tractatu Christlicher Lehrer Ruhm, Thun und Lohn pag. 16. et ex eodem Czvittinger in Specimine Hungariae litterariae pag. 356. existimat, in superioribus evictum est. Adhuc Serpilius apud exteros commorabatur, cum bartphensis ecclesia fuisset reformata, quam ei laudem nemo, nisi historiarum ignarus, dubiam fecerit. Quae Czvittinger loco cit. de montanis civitatibus et aliis Hungariae inferioris partibus perorat, nulla ratione cum veritate conciliari possunt. Laurentio addi potest filius ejus, Johannes Serpilius, apud leibiczenses verbi divini minister, qui post multas polonorum divexationes in carceres lublovienses detrusus, ex iis liberatus privatam Leibiczii egit vitam, an. 1644. peste exstinctus, uti Czvittingerus l. c. pag. 358. adnotavit.

M. Stephanus Xylander,

a senatu patrio leutschoviensi Vitemberga in diaconum an. 1599. evocatus, et Leutschoviae et Krompachini praesentissimo periculo involvebatur. Leutschoviae praeterquam quod majorem partem bibliothecae suae, qua vix novem mensibus usus est, an. 1599. incendio periisse vidit et triste illud Virgilianum ingeminabat :

Quis damna loquendo
Explicet? aut lacrymis potis est aequare dolorem?

etiam tristis legit et pastori suo, M. Petro Zabelero, demonstravit epistolam, a Tobia Illmanovszky, tricesimatore leutschoviensi, ad perillustrem dominum Jeremiam Berzeviczy an. 1602. scriptam, qua se et reliquos ministros lutheranos ex constitutione Ludovici II. in Scepusio comburendos esse intellexit: sed uti hoc factum non fuit, ita huic et teloniatori eperjensi, socio ejus, idem, quod Hamano, Esther VII., evenit. Illmanovszky enim prope Kesmarkinum, eperjensis ille in Palocsa fugientes misere interierunt, uti ipse Xylander in Matricula XXIV. regalium pag. 13., horum optime conscius, adsignavit. Leutschovia Krompachium delatus, insidias sibi paratas evitaturus, Cibinium in pastorem vocatus transivit atque demum propter reductum ad sacra evangelica comitem Christophorum Thurzó majoribus calamitatibus involutus, post beatum optimi comitis obitum officio superintendentis exutus Várallyini 19. Apr. an. 1620. beate mortuus et 23. ejusdem tumulo

illatus fuit. Vid. Sermo funebris a M. Petro Zabelero in obitum ejus habitus, qui prodiit Leutschoviae an. 1620. litteris Danielis Schultz in IV.. De his omnibus prolixius commentatus sum in Vitis superintendentum evangelicorum in Hungaria*). Optimus hic vir, laboris et calamitatum satur, ab omnium hostium insidiis liberatus, in templo várallyensi sepultus quiescit.

Stephanus Pilárik II.

szeniczensis pastor, singulare divinae providentiae documentum, de quo ejusque fatis multa ad posteritatem scribi possent, inprimis de captivitate ejus tartarica et divexatione Nádasdyana, nisi ipse in Curru Jehovae mirabili Vitembergae an. 1678. edito et M. Esaias Pilárik in Disputatione publica de persecutione verae ecclesiae haec cum omni religione fuissent exequuti. Fecit hoc et Czvittinger in Specimine suo pag. 303., sed proletarie satis, cum etsi in Hungaria natus fuerit, tamen neque denominationes oppidorum in quibus sacris operabatur, ex vero consignavit, Beckaviam pro Beckovia, Bseniczium pro Szeniczio et multa alia adposuit, rerum patriae prorsus ignarus. Johannem Gvilielmum Mollerum, qui Speciminis hujus autor erat, a patria disjunctum non miramur, neque ei, sive posteris ejus, annuos unius metallifodinae proventus a Czvittingero oblatos invidemus; sed dolemus **) ex animo, quod Czvittinger, otio diffluens, errores Specimini familiares sive sua, sive aliorum opera non correxit et eo ipso vel invitus prodidit, se aut desidem fuisse, aut rerum patriae juxta cum ignaris ignarissimum. Noveram virum deliciis adsvetum et expertus scribo.

M. Daniel Kleschius,

patria igloviensis, pastor olasziensium in XIII. oppidis fidelissimus, vir multo doctissimus, an. 1673. d. 11. Dec. violenter ex domo sua a croatis raptatus, per sex menses Cassoviae in carcere detentus, mira tamen dei providentia libero, ut loquuntur, passu a generali Spanckau obtento, liberatus et a principe XIII. oppidorum liber et innocens dimissus est. Multi opinantur, hanc ejus captivitatem causam fuisse, quod etsi in juvenili aetate sua omnia praeclare egerit et compluribus scriptis, quae l. c. recenset Czvittingerus, litterato orbi se non parum commendaverit:

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. I. k. 51. s k. l..

**) Daxnernél: miramur.

tamen in senectute delirare coepit et malesanas quasdam opiniones confinxit et sectatus est. Hinc non male de eo dicitur: Kleschius in juventute fuit senex, in virili aetate Hercules, in senectute infans.

Johannes Rezikius,

korosiensis hungarus, ab an. 1674. docentium numero adscriptus. Postquam scholas cassovienses an. 1671. per episcopum Georgium Bársony clausas, earum nutritii reserare decrevissent, Rezikium iis regendis destinabant et Thorunio evocabant. Diu anceps haesit, quid facto opus sit: vicit tamen amor patriae, vicit desiderium furni Ithacae Ulissem cinerumque parentalium cumulus et veneratio vel invitum invitabat. Hinc Thorunio egressus, postquam 21. Sept. an. 1672. de amore in patriam peroravisset et amplissimo magistratui thorunienssi pro collatis sibi beneficiis egisset gratias, 15. Dec. Cassoviam venit. Non multo post cum omnia in curandis scholis langvescerent et nostri e magistratu dejicerentur, errorem suum notavit et recordatus praeteritorum dolorem auxit. Vix enim ibidem quieverat, Michael Fischerus, camerae praeses, per consulem eum ad se invitat et venienti fasciculum litterarum demonstrat dicitque se plusculum otii nactum, epistolas ad Tökölyum datas pervolvisse, inter quas Rezikianas quoque reperiri. Hoc etsi sibi optime conscius negasset, confestim in carceres, honestos tamen, detrusus, statim ac ex iis divina providentia liberatus fuisset, Eperjesinum a statibus evangelicis in professorem evocatus fuit; sed mutatis rebus Tökölyanis, statione illa motus, iterum apud thorunienses fortunarum suarum praesidium quaesivit et an. 1690. ordinarius professor factus, creditam sibi provinciam cum omni dexteritate administravit. An. 1705. reddito evangelicis collegio eperjensi, ad regendum idem Thorunio arcessitus est. Venit amore patriae ductus, quo eum infelix invitabat felicitas et quamvis inter maximos tumultus belli numerosissimae juventuti cum exstanti utilitate praefuerit: tamen anno, non 1711., uti Lippischius in Thorunio hungarorum matre pag. 20. scribit, nam tum jam pestis desierat, sed, quod ex matricula eperjensi didici, an. 1709. peste exstinctus, majores, quae eum fors operiebantur, calamitates declinavit. De scriptis ejus videri potest Lippischius l. c. pag. 29.; sed in eo fallitur, quod Gymnasiologiam Rezikianam consummatum opus fuisse arbitretur. Nam quod scio, praeter lineamenta ordine consignata alphabetico, ipse in accuratiori elaboratione ultra scholam illaviensem progressus non est, reliqua ex manuscripto ejus ven. condam Samuel

Matthaeides complebat, sed neque tanto studio, neque ea cum accuratione. Hoc dolemus, si dolere satis est, quod tantorum virorum nomina, negligentia heredum, a tristi oblivione non fuerint vindicata.

Samuel Antoni,

superintendens condam csetnekiensis, aetate et meritis gravis, vir omni mea praedicatione superior, quomodo ex duplici praesentissimo periculo, singulari dei providentia, liberatus fuerit, in Vitis superintendentum meorum evangelicorum in Hungaria*) copiosius commonstravi, ut adeo hic tacuisse nullum sit famae dispendium.

De **Matthia Bahil**, ministro condam eperjensi, ex carcere, cui ibidem propter Tractatum Ernesti Salomonis Cypriani de origine et incremento papatus et Admonitionem ad bohemos slavico idiomate evulgatam inclusus erat, admiranda dei providentia liberato, nihil habeo dicere, cum ipse in Tristissima ecclesiarum Hungariae protestantium facie dixerit satis.

§. 2.

De reliquis divinae providentiae exemplis, cum fere in oculos incurrant, non est opus prolixius commentari. Hinc

Desisto . . . . . nec ultra
Sollicitam in vastas puppim dimitto procellas.

Nobis ad solatium satis est, quod ipsi a religione evangelica dissidentes divinam hac in parte providentiam vel inviti admirentur.

Adversarios exteros in testes advocare nolo, patriis contentus. Annus erat 1734., quo ecclesiis protestantium in Hungaria nova imminebat divexatio et in compluribus locis paratus jam erat miles, talia **) tentaturus: sed cum gallus praeter exspectationem ad arma convolasset et militia caesareo-regia confestim ex Hungaria educeretur, comes Carolus Pálfy Rimaszombathini dixisse fertur: protestantibus aut deum aut diabolum nimium favere, quod ***) toties destinata eorum divexatio semper fuerit impedita. Haec uti diabolo perperam adscribuntur, cum ille sangvineis illis motibus quam maxime delectetur: ita nos veneramur deum, quod adflictum gregem suum contra omnes diaboli et ma-

*) Monumenta evang. aug. conf. in Hung. hist. I. k. 119. s k. l..

**) Dolcschal- és Daxnernél: ex sententia cleri romani.

***) Ugyanazoknál: cum.

levolorum insultus potenter tueatur. Huc advertat animum mendax ille Otiorum Bárchmegyeyanorum autor, qui pag. 643. in haec verba nobis insultare non veretur: „Vestra, quam profitemini, religio, quamvis non minus, quam vati et statistae, ex symptomatibus tamen morbi et pulsu debili liceat prognosin facere, aetatem vix ac ne vix quidem adsequetur. Intra quod tempus ut jam crevit, ita et decrescet.“ Addit porro, nos ad ima ruituros, usque dum in pristinum nihilum redigamur. Egregium mihi vatem et statistam, qui neque principia medica cognoverat et uti de morbo e symptomatibus et pulsu judicare non didicerat: ita de religione evangelica ad nihilum redigenda falsus vates et nomine statistae indignus erat. Nos enim divina providentia et singulari augustissimorum regum indulgentia adhuc supersumus et, quod indubie nobis pollicemur, conservabimur in posterum, ille vero stolidus vates et imprudens statista inglorius interiit.

§. 3.

Nos hanc providam dei curam non fato stoico aut volubili fortunae, sed promissionibus divinis, veritati religionis et lacrymis precibusque fidelium transscribimus.

Uti fatum stoicum cum ratione detestamur, ita fortunae hinc et inde erranti nihil damus, sed conservationem religionis evangelicae haud incogitate et meliori conscientia adscribimus:

I. Divinis promissionibus.

Uti deus noster est deus immutabilis, Jac. I. 17., ita omnes ejus promissiones in eo sunt etiam et amen 2 Cor. I. 20., id est, certae, ratae et immobiles. Is, quidquid fidelibus suis a primordiis hujus mundi promiserat, sanctissime praestitit, quod omnium sanctorum dei hominum exemplis evidentissime probari posset, si necessum esse existimarem. Promisit autem se fidelibus suis, inprimis verbi divini ministris, continenter adfuturum, cum dicit: „Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, amen,“ Matth. XXVIII. 20., et si forsan periculis quibusdam involverentur, divinam providentiam suam per Esaiam pollicitus est: „Noli timere, quia redemi te et vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris.“ Esa. XLIII. 1. 2., quibus nihil demonstrat aliud, nisi providam curam suam, quam fidelibus suis pro sua bonitate *) praestare solet, quod certissimis docu-

*) Daxnernél: benignitate.

mentis non raro demonstravit. Juvenes in ardentem fornacem conjectos igne comburi passus non est, Dan. III.; Paulum ex praesentissimo in mari periculo felicissime liberavit, Act. XXVII. et Petrum admiranda prorsus ratione per angelum ex carcere eduxit, Act. XII.. Omnium autem horum fundamentum est promissio divina. Homines quidem etiam non raro multa promittere consveverunt, sed de eorum promissionibus ex vero dicitur:

In verbis quantum vis, in opere nihil.

„Deus non est sicut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur: ille, quod dixit, faciet et quod loquutus est, adimplebit“ Num. XXIII. 19.. Talibus ergo certissimis dei promissionibus confisi fideles ex praesentissimis periculis admiranda ratione liberantur, cum „filii sint promissionis, qui in promissiones credunt et eas fide accipiunt“ Rom. IX. 8.. Miserum illum deum esse oporteret, qui fideles suos ex adflictionibus liberare non posset, neque promissionibus, fidelibus factis, ex aequo responderet. Deus noster non est Baal, sed est deus fidelis, potens et promissionum suarum tenacissimus, Num. XXIII. 19.. — Porro transscribimus providam dei curam in liberandis fidelibus suis

II. Veritati religionis.

Religio vera, quod scimus, est doctrina sive obligatio colendi deum trinunum, hominibus in verbo dei spiritus sancti operatione revelata, quo deum recte cognoscant, venerentur et tandem salute aeterna perfruantur, sive est certa dei cognoscendi et colendi ratio, Rom. I. 19. —21., cujus summa consistit in cognitione veritatis, in pietate, Tit. I. 1.. Talem esse religionem evangelicam etsi mille modis et vicibus a nobis evidentissime demonstratum sit; tamen adversarii, veritatis osores, se a criminatione abstinere non possunt, sed nos novos homines, neochristianos, quasi modo genitos, quinti evangelii professores, imo haereticos mendaciter adpellare non verentur, cum tamen uti religio christiana est omnium antiquissima, in paradiso promissa, Gen, III. 15., Gal. III. 16. 17., sub Mose praefigurata, Col. II. 17. a Christi vero nativitate ante annos 1765. patefacta, Antiochiae primum a magistro suo nomen sortita, Act. XI. 26., nunquam interitura, Matth. XVI. 18.: ita certe evangelica sive lutherana, a beato Luthero ita cognominata, quod instinctu divino ejus opera et ministerio ex tenebris in lucem protracta et scoriis repurgata atque demum Augustana confessione comprehensa et invictissimo condam imperatori Carolo V. Augustae Vindelicorum

oblata fuerit. Haec non sine exstantissima evangelicorum injuria et novitatis et falsitatis arguitur. Sed falsissime, quod omnes eruditi sciunt, arguitur

Novitatis.

Nam uti non omnis doctrina sana est cana, ita nec omnis doctrina cana est sana. Ecce! doctrina de repudio tempore Christi erat antiqua, nec tamen Christus eam adprobavit, Matth. XIX. 8.. Doctrina de Christo, quod ille sit verus deus et homo, erat bona et sana, nec tamen tempore apostolorum erat antiqua et cana *). Hoc opprobrium nobis cum sospitatore nostro et doctore gentium, Paulo, commune est. Pharisaei doctrinam Christi arguebant novitatis, dicentes: „Quae doctrina nova haec?" Marc. I. 27.. Athenienses apostolo Paulo crimen novitatis objiciebant: „Quae nova haec a te effata doctrina?" Act. XVII. 19.. Praeterea gentiles christianos, teste Augustino, semper accusabant novitatis, quod tamen non fuit ita. Nam

Vetustas novitati
Umbra cedit veritati,
Noctem lux eliminat.

Nemo tam rudis fuerit, qui securim vetustate et aerugine deformatam et opera magistri fabri a scoriis repurgatam novam adpellare sustineat. Ita comparatum est cum religione evangelica, ministerio beati Lutheri a scoriis traditionum humanarum repurgata. Haec etiam iniquissime arguitur

Falsitatis.

Hanc si ex vero aestimare volueris, fumum vendunt adversarii, pridem mille modis dissipatum. Ita enim saepe saepius confusi sunt, ut ne loqui ausi fuerint amplius. Quis enim Confessionem catholicam Johannis Gerhardi confutavit? Quis Chemniczii Examini concilii tridentini ex vero aut Heilbrunnero se opponi ausus est? Nemo. Quae enim sparsim contra eos dicta sunt, risu magis, quam attentione digna esse existimantur. Si enim religio evangelica verbum dei habet pro norma et cum eo exactissime convenit, verbum autem ejus veritas est, Joh. XVII. 17.: et religionem evangelicam veram esse oportebit. Nam ex sententia philosophorum: norma arguit naturam normati. Hinc religio lutherana, quae cum infallibili verbo dei, tanquam

*) Daxnernél zárjelben: imo antiquissima et ut ita dicam canissima. Gen. III., Esa. VII..

norma, per omnia convenit, etiam vera, certa et infallibilis sit, necesse est. Praeterea religio evangelica per omnes fidei articulos, quos tuetur, gloriam dei illustrat, quod evidentissime demonstravit Gerhardus tom. V. loco de ecclesia §. 254. et in Confessione catholica pag. 182. sq., propterea veram poenitentiam et bonorum operum studium serio urget, et quidem sub dispendio salutis, quod ex Augustana confessione luculentissime patet, cum art. XII. poenitentiam et VI. necessitatem bonorum operum prolixe inculcet. Nam ipsi patres veteris ecclesiae agnoverunt, quod etsi non ad salutem, salvandis tamen ut quamplurimum sint necessaria, cum, si ex fide proficiscantur, magnum sint deo oblectamentum, Hebr. XIII. 16.. Accedit, quod nulla sit religio, quae magis tranquillam reddat conscientiam, cum non tantum omnes desperandi causas removeat, sed etiam porrigat consolationem conscientiis tranquillandis efficacissimam. Removet desperandi causas, quia cum omni veritate damnat dogmata, quae ansam et occasionem ad desperationem aut consternationem hominis peccatoris suppeditant. Talia sunt:

1. Invocatio sanctorum. Quae enim est spes auxilii apud eos, qui ignorant nos? Esa. LXIV. 6..

2. Merita bonorum operum. Quid enim promereri possunt ea, quae sunt debita? Luc. XVII. 10..

3. Propria satisfactio. Quomodo enim is pro suis peccatis satisfacere posset, cujus omnes cogitationes pronae sunt ad malum omni tempore? Gen. VI. 5. Rom. 3. 23..

4. Absolutum decretum et perpetua de gratia dei dubitatio. Quomodo enim ille, qui perpetuo dubitat, potest esse tranquillo animo?

Quod ad consolationem adtinet, deus noster est deus omnis consolationis 2 Cor. I, 3. et quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Rom. XV. 4.. Quid homo christianus desiderat amplius? Verbum dei, quod possidemus, est veritas, Joh. XVII. 17.. Veritati credimus, perdi non possumus. Hinc magnus quidam ecclesiae lutherano-evangelicae professor a Petro I., moscovitarum imperatore, cum peregrinaretur, quaesitus, quid credant lutherani? cum omni festivitate respondit Altdorfi:

Nos credimus veritati,
Renunciamus falsitati,
O felices! o beati!

Nullum enim malum est, cui non in scripturis suppetat consolatio: maximum tamen est lutheranorum solatium, quod religio eorum placidam beatamque mortem iis conciliet. Nam purgatorium non metuimus, quod nullum est, et absolutum decretum detestamur, quod ad perdendas animas excogitatum est. Anima lutherana pacate, placide, imo cum omni gaudio mortalitatem exuit, quandoquidem ex testimoniis divinis, quae spiritus sanctus contestatur spiritui nostro, quod simus filii dei, Rom. VIII. 16., convicta et certissima est, quod per fidem et sangvinem Christi fide adplicatum mundata et purificata sit ab omnibus peccatis, 1 Joh. I. 7. et nulla sit condemnatio in his, qui sunt per fidem in Christo Jesu, Rom. VIII. 1., imo nullum habeat in judicio accusatorem, stante pro ipso perfectissima justitia, satisfactione et redemptione Christi 1 Cor. I. 30., Rom. VIII. 33., 34. et placide et beatissime moriuntur. Qui vero extimescunt purgatorium et nesciunt, num ad vitam aeternam vel exitium praedestinati sunt, in conscientia exagitantur et placide mori non possunt. Adhaec nobis lutheranis ad solatium satis est, quod religio evangelica non armis et violentis mediis, astu et dolo, sed solo gladio oris, verbo divino et sincera professione veritatis et propagata sit et propagatur. Arma enim militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 2 Cor, X. 4., 5.. De hac spirituali armatura noti sunt versiculi de Luthero adhuc in papatu scripti:

Lutherus decimum confecit strage Leonem,
De clava noli quaerere, penna fuit.
Vir sine vi ferri, vi verbi et inermibus armis
Totius immensas contudit orbis opes.
Roma orbem domuit, Romam sibi papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantum isto major Lutherus, major et illa,
Urbem orbemque uno qui domuit calamo!

Eodem spiritu venerandi patris sui, Lutheri, ducuntur iisdemque vestigiis fidei, mansvetudinis et patientiae insistunt genuini ejus et germani filii, lutherani, qui religioni sibi ducunt religionem suam armis, exiliis, suppliciis promovere aut quemquam invitum ad religionem suam adigere, quod in superioribus multis documentis evictum est. Soli veritati divinae innituntur lutherani, quod etsi a multis theologis solidissi-

me demonstratum sit: consuli tamen meretur Josephi Hall oxoniensis libellus, cui titulus: Die alte Religion et dissertatio Johannis Nicolai Quistorpii D e n o n s p e r a n d a e x t r a l u t h e r a n a m e c c l e s i a m s a l u t e, quae prodiit an. 1688.

Transscribimus porro conservationem religionis evangelicae in Hungaria

III. Lacrymis precibusque fidelium.

Majores nostri loqui solebant: arma ecclesiae preces et lacrymae. Usu enim didicerant, multos gentilium imperatores, dum christianos divexarent et ad necem quaererent, precibus fidelium repressos fuisse. Constantinum M. ardentibus precationibus hostes suos non raro vicisse, magna consensione testantur historici. Multum enim valet oratio justi, Jac. V. 16. et desideria pauperum exaudit Dominus, Psalm.. X. 17.. Hinc cum evangelici quolibet die semel atque iterum non tantum pro summo magistratu suo et aliis patriae necessitatibus, sed etiam pro conservatione religionis deum religiosissime deprecabantur, fieri non potest, quin eos pro bonitate sua exaudiat. Promisit enim in haec verba: „Erit, ut nondum clamantibus respondeam, adhuc ipsis loquentibus, ut eos exaudiam," Esa. LXV. 24.. Ecce! dum Petrus strictissimo carceri inclusus fuisset et oratio sine intermissione ab ecclesia fieret pro eo, admiranda prorsus ratione liberatus est, Act. XII. 7.. Similia experti sunt judaei, qui religiosis precibus suis et Estherae incolumitatem procurarunt, et excidium gentis judaicae, quod infelix Hamanus apud Ahasverum regem exoraverat, feliciter evaserunt, Esth. IV., apostoli, Act. IV. 24., 31., ne quid de Cypriano, Ambrosio et Alexandro, episcopo constantinopolitano percenseam, de quibus videri potest theologorum vitembergensium F i d e l i s a d m o n i t i o a d p r e s s o s b o h e m o s missa et ibidem an. 1625. impressa in IV. pag. 269.. Hinc erigamur et nos eo, quod adhuc non sit abbreviata manus Domini, ut servare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat, Esa. LIX. I..

§. 4.

Quod reliquum est, deum immortalem, rerum evangelicarum statorem, religiosissime deprecamur, ut is pro sua bonitate adflictum gregem evangelicum propitius servet, quidquid triste est et peracerbum, indulgentissime prohibeat et non minus ministris evangelicis, quam eorum fautoribus fata magis propitia liberalissime largiatur.

Tu, quisquis es, lector benevole, persolve maximas summo numini grates pro libero religionis evangelicae exercitio et implora religionis nostrae statorem, ut singulari ejus benevolentia perduret ad seculi finem lutherana religio!.

Postremo ad te me converto, stator et vindex veritatis, deus! qui laboranti mihi propitius adfuisti et exiguam opellam hanc, sanctissimo nomini tuo et adflictissimae in Hungaria ecclesiae lutherano-evangelicae sacram, continuare adjuvasti.

Feci, quod potui, quod Christe dedisti,
a pluribus documentis ad rem hanc pertinentibus destitutus,
Hinc tibi sit summo gloria summa deo!

Si condam comes Petrus de Réva, conservator ille coronae hungaricae semel atque iterum accusavit majores nostros, quod in describendis rebus patriae justo fuerint negligentiores, quamvis in rebus civilibus ad scribendam historiam Hungariae non pauca inveniantur documenta: nos certe majori cum aequitate querulamur, quod majores nostri, sub initium seculi superioris XVII., cum maxime floreret evangelica religio, nihil fere retulerint in litteras, cum tamen id libere facere potuissent et documenta praesto erant, nobis hoc tempore non parum profutura. Existimabant procul dubio illi, continenter ita florentem futuram religionem evangelicam, uti sub proregibus Stephano Illésházy, Georgio et Stanislao Thurzó fuit: sed post beatum illorum obitum omnia, quod scimus, in deterius abiere. Nunc nisi scripta quaedam privata, disputationum praefationes, sermones funebres et libros memoriales, quos protocolla et matriculas nominare solemus, sollicitissime conquisitas diligentissime pervolvas, ad rem ecclesiasticam nihil contuleris. Ego, qui talium Musarum longe sum amantissimus, nihil neglexi eorum, quae ad communem utilitatem pertinere existimabam, dum mihi a publico ministerio aliquid superesset temporis. Cogita ad extremum, lector amice! non tam me labori, quam multa mihi ad laborem defuisse. Tu, si plura documenta consequutus fueris, quae industriam meam luserunt, pro tuo in rem ecclesiasticam amore *) perlubentissime adjicies. Noli enim existimare, me nihil praeteriisse eorum, quae ad posteritatem scribi debuissent. Quod reliquum est, aetate, multa scriptione et continuis laboribus fessus, junioribus studii ecclesiastici amatoribus ex animo commendabo, neque ipse negligam, si me deus rebus humanis interesse voluerit

*) Ribaynál: ardore.

et vel per nebulam dederit se occasio, Adversaria haec mea adaugere. Nam judicio magni illius viri, Johannis Andreae Schmidii, nemo veri theologi nomine dignus judicandus, qui historiam ecclesiasticam summo ardore excolendam esse non censet. Hanc ego, quantum fieri potuit, colui ex animo et magna animi contentione observabo in posterum. Judice Johanne Sperlingio, vetus est opinio, ursam informes gignere catulos, sed matrem sedulam lambendo rudem perficere massam. Ego forsan nullum lambendi hunc foetum haberem finem, si tamdiu agenda res foret, donec nihil corrigi vel mutari posset. Fugit enim hora et ante desinit esse, quam venit *); nam multi dum anxie hoc Sisyphi volvunt saxum, morte praeveniuntur insperata. Vid. Tractatus Sperlingii de formatione hominis in utero, praefatione ad amicum lectorem.

Vita enim celerrime avolat
Et fugiunt freno non remorante dies.

Ego certe senex, si me ex vero metior, cum ratione illud Ovidii ingeminare possum:

Mihi jam felicior aetas
Terga dedit tremuloque gradu venit aegra senectus.

Hoc unicum, optime deus! religiosissime exoro

Huncce meum clemens dignare beare laborem,
Quo vergat felix in decus omne tuum.

Ego uti mihi nihil prorsus tribuo; ita quae posteri ad hanc rem pertinere arbitrabuntur necessaria, cum omni dexteritate adjicienda commendo. Erit cum tempore tempus, quo simplex haec opella in volumen excrescet, Musarum talium amatoribus multo carissimum. Jam scribere desino, persolvens deo optimo immortali grates

anno voti:

DeVs eCCLesIaM Inter nos InsIgnIter tVeare

et

In haC patronos aC MInIstros DIV fLorere IVbe.

Anno aetatis LX., in Ratkó, possessione inc. comitatui gömöriensi ingremiata verbi dei minister.

*) Ribaynál: incipit.

TRISTISSIMA

ECCLESIARUM HUNGARIAE PROTESTANTIUM

FACIES,

OMNES RELIGIONIS CONSORTES AD CHRISTIANAM
COMPASSIONEM LACRIMABUNDA INVITANS,

PUBLICO EXPOSITA CONSPECTUI

A

MATTHIA BAHIL,

OLIM ECCLESIAE EVANG. BOHEMICAE IN LIB. REGIAQUE
CIVITATE EPERIESSIENSI V. D. MINISTRO,

NUNC (1747.) VERITATIS CAUSSA EXULE.

Apoc. II. 10.

Noli metuere, quae passurus es. Daturus est quidem diabolus vestrum nonnullos in custodiam, ut exploremini: feretisque decem dierum adflictionem. Esto fidelis ad mortem usque, et tibi dabo vitae coronam.

I. N. J.

§. 1. Postquam deserere dulcem coactus sum patriam, securamque mansionem in peregrina regione quaerere, id primum apud me decrevi, ut quae sit moderna ecclesiarum Hungariae protestantium facies, una cum propriis, quae me in eadem manserant fatis, omnibus exigua conspiciendam exhiberem tabella. Facio vero id eo promptius, quo enixius plurimi in Silesia, auctoritate, pietate, eruditione religionisque zelo conspicui viri, id abs me non flagitarunt modo; verum me ad id absque mora occipiendum sinceris suis excitabant adhortationibus. Accedit, quod in tristi mea peregrinatione haut paucos reperi, qui nescio, quantas non protestantium Hungariae libertates et felicitatem praedicabant, ut adeo, quae iisdem abs me de modernis evangelicorum in Hungaria afflictionibus proponebantur, illa etsi non aperte negare, dubitare tamen de ipsorum veritate haut obscure videbantur, ad publicas relationes provocantes, merita item protestantium Hungariae erga augustissimam domum austriacam, fidelissimaque tum in superiore bello, tum alias praestita servitia mihi opponentes. Ex quorum consideratione concludebant, fieri vix posse, ut serenissima Hungariae regina permittat tantopere adfligi illos, qui pro augusto throno, sacratissimaque regiae suae majestatis persona, gloria et salute, bona sangvinemque suum consecrarunt. Ne itaque in eorum animis aliquid supersit dubii, referam praecipuis cum circumstantiis illa, quae una mecum alii quoque sunt experti, et adhuc experiuntur: referam fide bona et integra, cui ne strictissima quidem inquisitio aliquam suspicionis, multo minus falsitatis notam, aut maculam adpingere poterit: referam autem non illa, quorum infallibilem et sufficientem notitiam, propter abrepta literalia docu-

menta nunc extorris habere nequeo, verum illa solummodo, quae his meis oculis visa et lecta, hisque auribus audita, testimoniis et testibus omni exceptione majoribus confirmare possum.

§. 2. Ac ut abs me, meisque faciam initium fatis, natales meos, breveque vitae curriculum lubet praemittere. Editus sum miserae huic luci an. 1706. die 24. Febr. Matthiae apostolo in fastis sacro, patre Joanne Bahil, tunc scholae süvetensis in comitatu gömöriensi rectore, deinde ecclesiae ejusdem comitatus mokrolucensis, postea süvetensis, ac tandem post quadriennale exilium szkalnokiensis in districtu kis-honthensi pastore, matre vero nobili Juditha Placsko. Dum genitrici meae ultra duas septimanas difficillimis partus divexatae doloribus non aliud, quam tristissima mortis imago ob oculos versaretur, supervenit venerandus senex, avus meus desideratissimus Laurentius Bahil, ecclesiae ochtinensis tum temporibus pastor, cujus praesentia efficacique alloquio et solatio erecta ac confortata me difficulter quidem, salvum tamen enixa est. Quamprimum hancce conspexi lucem, eadem die, avo disponente omnia, sacro baptismatis fonte ablutus, nomine Matthiae apostoli sum insignitus, moxque peculiari paterna benedictione ab avo mihi impertita, muneri apostolico quasi initiatus.

§. 3. Vitae pericula, quibus in pueritia fui obnoxius, adversa, quibuscum nunc mihi conflictandum est, fata, summorum virorum judicio, praesagire videbantur. Anno enim aetatis quarto vix atque e copiosissimis, praeter omnium spem relevatus eram variolis, in puteum, omnium, qui in pago Mokroluka erant, profundissimum incidi, in quo non sine singulari dei providentia, ope baculi, muro supra aquam per transversum infixi, quem die casum huncce praecedente ipse puteo injeceram, a suffocatione fui praeservatus. Postquam enim putei aquae me a fundo in summitatem elevassent, baculum illum manu arripui, nec dimisi, priusquam vicinorum, ac imprimis certi Rákóczyani militis, qui se in puteum demiserat, opera, fuissem extractus, quod in tanta confusione et consternatione post bihorium tantum fuisse factum, in patris mei notatis reperi. Summe venerandum et post fata senem Andream Sextium, sacrorum apud alnovienses tunc antistitem, et ven. contubernii gömöriensis seniorem non piguit certe Mokrolukam venire, puteique illius mensuram, cum meae aetatis, nominis, anni item,

mensis et diei, quo casus hic acciderat, adscriptione diariis suis inserere. Ego etiam, quotiescunque mihi contigit pagum hunc transire, non neglexi puteum quoque inspicere, deoque pro mei liberatione vota persolvere. Nondum a subsecutis casum hunc febribus plene convalueram, dum puellus in scholam properassem, in aliud vitae incidi periculum. Taurus quippe ferociens me cornibus sub brachiis arreptum, diu multumque per plateam cursitando jactavit, nullo hominum ad eundem accedere auso, usque dum me remotius abjectum semivivum deseruisset. Alios casus, praesertim qui in mea per Hungariam peregrinatione, rupta sub me in lacubus ad Papam glacie, nec non in Danubio prope Budam vitam meam in extremum adduxerant discrimen, nunc commemorare nolo.

§. 4. Quemadmodum autem vitam a majoribus meis accepi, ita adflictiones quoque et persecutiones, propter veritatem evangelicam, non me primum salutarunt; verum ab iisdem haereditatis instar mihi relictae sunt. Pater etenim meus post Rákóczyanam revolutionem parochia et facultatibus exutus, integro quadriennio miseram in exilio ducere debuit vitam; avus autem incruentis aeque ac cruentis martyribus merito adnumerandus, non solum in citatione posoniensi, an. 1673. et 1674. quid sit captivitas papistica, sufficienter agnovit; verum etiam postquam inde opera certi amici prorsus mirabiliter liberatus, in ecclesia chischnensi sacro defungeretur ministerio, ab adversariis agnitus, noctu per milites denuo fuit comprehensus, vinctus, verberibus ad cruorem usque, immo ad necem fere caesus, ac tandem omnibus rebus spoliatus, Tyrnaviam per duos equites nudipes ducebatur. Quoniam vero scivit optime se Tyrnavia nunquam exiturum, si semel illuc pervenerit; hinc priusquam eo fuisset deductus, secundante propositum summo fidelium custode, e militum manu feliciter evasit. Et quanquam longo satis tempore diligentissime sese cogebatur occultare; tandem tamen post benignissimi Leopoldini revocatorii mandati publicationem, officio ecclesiastico restitutus, ad ultimum usque suum respirium eodem pacate fungebatur.

§. 5. Has gravissimas ministrorum ecclesiae in Hungaria persecutiones considerans genitrix mea, avi, patris, meaeque destinationi ut plurimum renitebatur, alium quemcunque, praeter ecclesiasticum statum mihi commendans; attamen cum non solum

pater avusque meus suo in proposito ad mortem usque persisterent immobiles; verum ego quoque ad annos discretionis perveniens, singulari prorsus ad huncce statum ferebar instinctu, propterea me etiam integre eidem devovi. Et quamquam anno aetatis 14. avo, anno autem 16. patre per mortem sim orbatus; tantum tamen abest, ut gravi hac jactura me a proposito meo absterreri fuerim passus, ut potius eo majori studio et industria majorum vestigiis insistere, propositumque studiorum scopum adtingere adnisus fuerim.

§. 6. Absolutis itaque, deo juvante, trivialibus aeque ac academicis studiis, ab ecclesia cserencsensi ejusdemque patronatu, vocatio mihi oblata est, quorsum etiam sub initium anni 1730., consentiente et approbante venerabili contubernio kis-honthensi me contuli, per B. Samuelem Antonium, ecclesiae csetnekiensis pastorem, partiumque cis- et trans Tibiscanarum superintendentem gravissimum sacro huic officio inauguratus. Anno hoc ad finem vergente, svasu et consilio venerandi ministerii neosoliensis, desponsavi mihi virginem virtuosissimam, Mariam Krupinszky, domini condam Eliae Krupinszky et Susannae Buocz, civium neosoliensium unicam filiam orphanam, excellentissimi viri domini Samuelis Michaelides, sacrorum apud neosolienses bohemos antistitis, et partium montanarum superintendentis pupillam, fidelissimam non minus quam patientissimam adversarum mearum fortunarum sociam. In hacce, cui ultra quadriennium praefueram, ecclesia pace adhuc et tranquillitate mihi frui licuit. Quamquam enim P. Herkal parochus romanocatholicus szuhanensis nonnihil tumultuari adversum me coeperat, mihique tyrnavienses carceres et sexcenta alia minabatur propter certas personas, quae relicta catholica, evangelicam religionem sunt amplexae, meoque usae ministerio et instructione, ejus tamen minae fulgura erant ex pelvi.

§. 7. Verum non est visum deo me diutius in hoc tranquillitatis usu relinquere, hinc deduxit me in palaestram, in qua non secus atque Paulo Ephesi cum bestiis, perpetuo mihi fuit decertandum. Libera nempe regiaque civitas epcriensis illa est, cujus evangelici cives et incolae gravissimis inter omnes alias Hungariae civitates persecutionibus vel ideo sunt expositi, quod celeberrimum illud statuum Hungariae evangelicorum collegium, salutiferis

doctrinae evangelicae radiis universam quondam collustrabat Hungariam, civitasque ipsa tam sedula fuit purioris doctrinae custos, ut difficulter inter inquilinos, servos et ancillas reperirentur paucissimi sacris romano-catholicis addicti.

§. 8. Il[ustre hocce eperiense statuum evangelicorum collegium, ab evangelicis propriis eorundem sumptibus, sub caesareo-regio privilegio a fundamentis erectum (cujus tragicam ademptionem propria D. Samuelis Pomarii, theologiae in dicto collegio primi professoris, testis oculati, et afflictionum eperiensium ex parte consortis manu exaratam, inter mea MSpta possedi) sudes erat in oculis jesuitarum: hinc an. adhuc 1670. in concursu tyrnaviensi, veluti contra omnes Hungariae protestantes, ita inprimis de occupando eperiensi collegio, impediendoque studiorum toti patriae proficuorum cursu, sangvinolenta et perniciosa cudebantur consilia, quae etiam, obstetricantibus sacerdotum principibus et nonnullis regni magnatibus, irreparabili rei evangelicae damno, in effectum sunt deducta, jesuitaeque Eperjessinum introducti, collegii facti sunt usurpatores, legitimis possessoribus extrusis.

§. 9. Quemadmodum autem haec societas nunquam in pauco acquiescit; ita Eperjessini quoque longius in dies avaras suas et insatiabiles porrigebat manus. Obtento enim collegio, mox collegii quoque proventus et bona, per pia legata gratuitasque donationes, a zelosis evangelicis, professorum lutheranorum exsolutioni et juventutis scholasticae pauperioris sustentationi destinata, sui juris fecit, inter quae duo inprimis pagi et elegantissimae eminent vineae. Deinde praeter parochiale, hungaricum quoque templum collegio contiguum, ab evangelico-hungarica natione eperjensi exstructum sibi adjudicavit; templum vero bohemicum, non minus amplum quam amoenum, a slavis eperjensibus aedificatum, cooperante inprimis D. Alexandro Ketzer, patribus minoritis est resignatum. Quanto cum animi dolore, quantisque cum suspiriis tantam pretiosissimorum thesaurorum jacturam protestantes intueri sint coacti, facile quivis judicare potest.

§. 10. Atque hoc erat initium malorum, quod deinde innumera alia sunt secuta. Velut enim eperjensium hactenus fuit civitas pure evangelica, ita jesuitae in id unice dabant, dantque omni momento et occasione operam, ut eam efficiant mere romano-catholicam. Quia vero ipsi in reformationis negotio absque brachio

seculari neutiquam possunt progredi, hinc de illo ante omnia solliciti erant, ut magistratus civicus, exclusis in totum evangelicis, ex solis constaret romano-catholicis. Qui quoniam inter cives non reperiebantur, idcirco extranei in civitatem sunt introducti, civibusque praepositi. Subsequentia tempora jesuiticae civium reformationi prorsus ex voto deserviebant. Enim vero, post sopronienſia regni comitia an. 1681. celebrata, dum ad mentem articuli 26. commissarii fuissent ordinati, qui protestantibus tum in liberis regiisque civitatibus, tum in aliis, in articulo denominatis oppidis et pagis commoda, pro templorum, scholarum et parochiarum aedificiis exscinderent loca, venit Eperjessinum quoque Chaákiana commissio, ex cujus tamen adventu plus doloris, quam solatii eperjenses perceperunt evangelici. Quamquam enim bohemicae et hungaricae nationibus pro earundem oratoriis, haut incommoda, alteri quidem in superiore, alteri vero in inferiore suburbiis adsignata essent loca, pro germanica nihilominus natione, quae tamen aliis longe praeeminet, locus inconveniens, periculosus et tam exundationibus obnoxius, quam cadaveribus per canicidas extrahi solitis infamis, in carnificis prato, jesuitis, uti creditur, incentoribus, fuit denominatus, Quem quia germani acceptare tergiversabantur, idcirco tamquam gratiae caesareo-regiae contemptores, apud augustissimam aulam, una cum reliquis duabus nationibus accusati, octodecim, plus minus, annis nempe usque ad motus Rákóczyanos, omni religionis suae exercitio destitui cogebantur. Quam misera, quamque lugubris per id tempus fuerit evangelicorum eperjensium sors, sine lacrimis commemorari, verbisque exprimi nequit. Nullus illic evangelicus concionator videbatur vel audiebatur. Et siquidem venerandus senex Joannes Andricius, nationis bohemicae pastor, in hacce, non suam solummodo personam, verum integram ecclesiam tangente persecutione a suis oviculis fugere noluit, per crines e superiore domus contignatione fuit detractus, evulsisque violenter barbis, cum ignominia atque atrocibus verberibus civitate ejectus. Nullus tolerabatur vel publicus, vel privatus juventutis informator, immo ne ipsi quidem parentes suos liberos vel in literarum notitia, tanto minus religionis principiis instruere sunt ausi. Privata devotio adeo fuit interdicta, ut si quis vel biblia aut alium librum ad sui aedificationem legere, vel psallere aut cum familia orare ab emissariis observabatur, imme-

diate adparitores cum studiosis in domum irruebant, libros extorquebant, miserosque cives ad carceres rapiebant. Resciverunt vero jesuitae cum magistratu, quod laudatus Andricius in sylvam prope pagum Salgó Eperjessino vicinum, sitam soleat venire, ad quem verbum dei sitientes animae pro ejusdem auditione et sacrae domini coenae usu excurrebant; proinde excubias ubique posuerunt, quae non tantum Andricio transeunti invigilarent, captumque in civitatem adducerent, verum omnes quoque cives ab egressu prohiberent. Qui itaque per hos excubitores deprehendebantur, illi vestibus et libris spoliati in civitatem reducebantur. Quid interim jesuitae remotis a grege domini pastoribus egerint, judicare quivis potest, quicunque ipsorum instituta, arcana monita, naturam et indolem habet perspecta.

§. 11. Sub initium hujus seculi, dum militia Rákóczyana Hungariam inundasset, fuit quidem eperjensibus evangelicis liberum religionis exercitium una cum collegio et duobus templis restitutum; attamen breve hoc ipsorum fuit gaudium. Post sedatos enim motus et reconciliatam Hungariae augustissimam domum austriacam recruduerunt iterum priora animorum vulnera. Nam generalis caesareo-regii edicti verba: ut religionis exercitium in statu, quo proxime ante motus erat, ubique maneat, arripientes adversarii, omnem moverunt lapidem, ut innocentes eperjenses libero religionis exercitio in perpetuum privarent, siquidem ante revolutionem illo destituebantur. Et quamvis excellentissimus comes dominus Joannes Pálfy modernus regni Hungariae palatinus, qua regius commissarius, eperjensibus evangelicis spatium satis amplum et amoenum pro templi, parochiarum et scholarum aedificiis designavit, quod ipsa quoque reginalis majestas Eleonora Magdalena Theresia, immo ipse quoque gloriosissimae memoriae Carolus VI. peculiaribus edictis approbarunt et confirmarunt; aedificium attamen templi, mandato consilii bellici, per comitem a Ponte, pro tunc civitatis commendantem et jesuitas sinistre informati, tanquam fortalitio perniciosum, est interdictum. Quasivero tam veteranus miles inclytusque armis heros, comes Pálfyus tantum prudentiae et rei militaris peritiae non haberet, quantum eperjenses jesuitae. Jam quid hic occipiendum erat eperjensibus evangelicis? Dum ad augustam aulam semel iterumque frustra confugis

sent, scholarum aedificium humile et inceptum in oratorium convertere sunt coacti, in quo tum germanica, tum bohemica, cui tamen hungarica quoque natio sese adjunxit, adquiescere debent. Non adquievit tamen in illo effrenis adversariorum malitia: quippe qui non prius desierunt machinari, quam evangelicorum illud oratorium medio militum demoliretur, avectis et in domus carnificis reparationem conversis materialibus, ut adeo adflictissimi evangelici rursus ad aulam recursum facientes multis precibus, nec minoribus expensis reaedificandi facultatem, ad priorem tamen solummodo formam obtinuerint.

§. 12. Ad hanc itaque inexplicabilibus malis perpetuo divexatam civitatem pro bohemicae, seu slavicae nationis concionatore an. 1734. vocatus, deo ita volente me transtuli, in qua quomodo in tertium et decimum usque annum officium meum administraverim, non est meum recensere. Graviter autem animum meum adflixit, dum viderem, audirem et legerem, quomodo tum jesuitae Eperjessini, tum alias romano-catholicus clerus, cum evangelicis, legitimis suis concionatoribus destitutis, suaeque subjectis jurisdictioni procedunt, ut eosdem ab evangelica veritate abducant. Non enim sufficit, quod in templis, quae evangelici gravi sub poena subire coguntur, calumniosis contra b. Lutherum, ejus personam, doctrinam ipsumque reformationis opus mendaciis et confictis fabulis aures audientium onerent, ut eisdem evangelicam religionem si non exosam, saltem suspectam reddant; verum ut aliquem proselytam faciant, non piget ipsos, pharisaeorum exemplo, mare et aridum peragrare, domus nobilium, civium et rusticorum percurrere, consessibus amicorum sese ingerere, variisque artibus et subtilitatibus religionis suae principia eis instillare. Communissima vero, quibus incautos minusque peritos dementare solent, argumenta sunt, dum perpetuo crepant ecclesiae romano-catholicae antiquitatem, episcoporum romanorum a Christo et Petro continuam successionem, splendorem, miracula, sanctorum copiam, catholicorum felicitatem etc.. A contrario autem religionem lutheranam esse novam, a monacho transfuga eoque impuro scortatore confictam: multa in Hungaria patibula lutherana religione esse antiquiora etc. Immo eo plurimi progrediuntur audaciae et temeritatis, ut cum anima et corpore sese diabolis offerant, si aliquis lutheranorum aeternam salutem fuerit consecutus (existiman-

tes, tam fortasse stupidum, velut ipsi sunt, esse diabolum, qui tamen optime novit, se per ejusmodi garrionis raptum plurimis animabus iri privatum, hinc. suo pro commodo. quam diutissime talem garrire et blasphemare sinit, cum perinde ipsi sit, sive hodie, sive cras suo sodalitio fuerit incorporatus). Quibus autem tam crudos, rusticos et insu sos cibos proponere non audent, illos variorum libellorum, ad seducendas solummodo animas a jesuitis conscriptorum distributione, intrusione, nimiaque, tanquam coelo delapsorum, commendatione inescare satagunt, ut adeo quidam Petri Canisii catechismum ejusque diligentem lectionem nobilitati commendaturus, Jovem lapidem juraverit, catechismum illum a Petro apostolo esse conscriptum. Interim his mediis non usque adeo multum in Hungaria profecerunt adversarii, a mulieribus certe et virginibus eperjensibus religionem ipsarum tentantes, suis cum argumentis haud semel sunt explosi et in confusionem acti. At enim vero cum communiter istis adjungant argumenta non conscientiam, sed libertates et facultates constringentia, infra speciatim recensenda, hinc fit, ut plurimi, in locis praesertim libero religionis exercitio destitutis, castris Jesu Christi desertis, hostibus veritatis sese adsocient, alii autem hypocritae, syncretistae alii, et in religione tepidi fiant, nullum inter religionem et religionem, respectu consequendae salutis discrimen agnoscentes, super quibus mens candida non potest non intenso tangi dolore.

§. 13. His malis ut aliquo pacto occurratur, evangelicisque, quos inprimis viva voce non semper instruere licet, oculi ad melius dignoscendam et discernendam veritatem a falsitate aperiantur, libellos nonnullos dogmatico-elencticos idiomate bohemico edere constitueram, partim quod potior evangelicorum Hungariae pars illa utatur lingva: partim vero, quod ecclesiae bohemicae deplorando similium librorum hactenus laboraverint defectu, cum praeter unicum Matthiae Höe Manuale, alio gloriari non potuerimus. Novos scribere tractatus necessarium non judicavi, cum germanicis abundemus, hinc ex germanicis tantummodo aliquos transponere in animum induxeram. Accidit vero, dum theologi de ecclesia puriore immortaliter meriti, Ernesti Salomonis Cypriani jam beati librum de ortu et progressu papatus volverem, supervenit ex inclyta nobilitate vir magnae autoritatis, nec minoris eruditionis, qui conspecto libro dixit: se

a longo jam optare tempore, ut deus excitaret virum, qui librum hunc in lingva bohemica ederet: librum istum post biblia summe esse in Hungaria necessarium. His verbis tantum mihi addidit animi, ut absque mora me ad ejus transpositionem accingerem. Adjunxi huic facultatis theologicae wittenbergensis sinceram admonitionem de religione lutherana retinenda et papistica fugienda, ante seculum et quod excurrit, ad bohemos, occasione gravissimae illius persecutionis scriptam. Hunc librum, fateor, non ego primum transtuli, siquidem jam circa annum 1634. in bohemico idiomate habebatur; sed tantum ad statum Hungariae applicavi, recentioribusque nonnullis, praecipue domesticis exemplis illustravi, praefatione paulo prolixiore praemissa, in qua ostendi, subtiles et incruentas persecutiones, cruentis et apertis multo esse periculosiores, animarumque saluti perniciosiores, una cum summaria persecutionum hungaricarum commemoratione.

§. 14. Dum versio jam esset parata, cum nonnullis ab Eperjessino remotioribus, prudentia atque eruditione clarissimis viris intentionem meam communicavi, venerandis autem dominis collegis meis ecclesiaeque patronatui nihil quicquam revelavi, ne prodita deinceps re, ipsi tanquam consiliorum meorum conscii, meorum quoque periculorum fiant participes: quod haud imprudenter abs me factum esse, eventus docuit. Quibus vero propositum meum innotuit, diversa submiserunt mihi consilia. Alii enim librorum horum editionem dissvadebant, ob frementis cleri furorem, atque inde promanaturam personalem mei persecutionem; svadebant alii, praecipue qui ecclesiarum Hungariae statum penitius habuerunt perspectum. Inprimis duo, toga sagoque clarissimi heroes jam in coelis triumphantes, me coram tribunali Christi rationes daturum minitabantur, nisi libros hosce publicavero. Ad me quod attinet, fateor, me haut levem carnis et spiritus subiisse luctam. Scivi etenim probe negotium adeo occultum non mansurum, ut non aliquando, una cum autore innotescat: novi optime romano-catholici cleri, jesuitarum inprimis studia, naturam et indolem: praevidi varias adversitates, fortunarumque et vitae pericula, quae infallibiliter mihi erunt subeunda: quapropter caro librorum editionem impedire satagebat; ast dum rem secundum spiritum expendissem

considerassemque salutis tantarum animarum pretioso Christi sangvine redemptarum jacturam, qua sese vel aperta evangelii abnegatione privabant, vel damnanda tepiditate et cum veritatis hostibus in rebus fidei collusione, sui ex ore Christi ejectionem sibi attrahebant; observassem porro multo majorem in seducendo, quam multorum pastorum in custodiendo et defendendo grege domini sedulitatem: nec ignota mihi essent adversariorum consilia de protestantium religionis ex Hungaria, si non totali exstirpatione, saltem doctorum ecclesiae expulsione, templorumque omnium successiva ademptione; hinc vicit carnem spiritus, ut adeo existimaverim meo me minime facturum satis officio, nisi libros illos in lucem emisero, immo me ad dandas coram tribunali Christi rationes adactum iri, si tot tantasque animas, quae librorum istorum lectione in salvifica fide conservari poterunt, ex importuno metu, inordinatoque mei ipsius amore neglexero. Contemptis proinde omnibus, quae jam in animo meo superaveram, periculis, libros transpositos prelo in Saxonia an. 1744. subjeci, usibusque publicis consecravi, qui etiamsi nullum alium tulerint fructum, praeter illum, quem jam in Hungaria observavi, mihi sufficit. Temeritatis hac in causa insimulari vel ideo non possum, quod similium librorum editio nullo regio mandato, nullaque regni lege est prohibita, siquidem non sunt libri vel seditiosi publicamque tranquillitatem turbantes, vel regiam majestatem laedentes, tametsi in Hungaria, ut quidam prudenter monuit, jesuitam offendere sit crimen laesae majestatis committere. Accedit, quod tolerata in Hungaria protestantium religione, media quoque ad ejus conservationem servientia toleranda esse, nemo, spero, negare praesumet.

§. 15. Diffiteri quidem nequeo, me tam in Hungaria, quam Silesia observasse non postremae autoritatis viros ex dominis inprimis politicis, qui hocce meum factum improbare magis, quam approbare videbantur, pro suae opinionis argumento adducentes, in ecclesia pressa, qualis est in Hungaria, consultius fore a similium librorum publicatione in totum potius abstinere, quam iisdem adversarios magis adhuc irritare. At enim vero, sciverint boni isti domini, nos romano-catholicos non habituros amicos, etiamsi ipsis semper bona verba dederimus; quin potius, donec cunque sumus atque erimus lutherani et reformati, semper eri-

mus oves aquam lupo turbantes, etiamsi sexcentis infra ipsum milliaribus biberimus: sciverint porro, me, ut cum Plinio loquar, utilitatem juvandi praeferre gratiae placendi. Ad alterum objectionis membrum quod attinet, est omnino ecclesia protestantium in Hungaria pressa, immo omnium pressissima; atqui vero vel idcirco similibus libris summopere indiget, ut fideles, genuinis doctoribus privati, minimum librorum lectione in verae fidei confessione conservari, et contra defectionem praemuniri possint, cum invicem ecclesia florens suisque gaudens libertatibus iisdem facilius carere potest. Enimvero, in Anglia, Svecia, Dania, Hollandia et alibi, nullum est periculum, ut aliquis propter vel dignitatem et officia, vel splendidum matrimonium, vel corporalis poenae redemptionem Christi doctrinam ejuret. Verum in Hungaria omnibus aliquid adsequi volentibus, haec conditio proponitur, adeo, ut si quis ad aliquam adspiret dignitatem, vel locuples ambiat matrimonium, mox audit: Haec omnia tibi dabo, si etc. . . Haec conditio etiam ex cive facit comitem, uti consulis cibiniensis in Transylvania exemplum probat. Et cum protestantes Hungariae omnibus exuti sint libertatibus. peccandi tamen libertatem habent amplissimam. Sit enim quis blasphemus, sit fur, sit homicida, sit adulter, sit parricida aut si quid gravius dici potest, ab omni absolvitur poena, dummodo sacra romanocatholica amplectatur. Hoc ex respectu absolvitur parricida Tiwaderus, quod patrem, non qua patrem, sed qua haereticum ad necem concusserit, quod factum in comitatu sárosiensi: hic immunis a poena pronunciatur in ipso scelere deprehensus adulter, quod accidit in superiori suburbio eperjensi: hic incestuosae cum duabus germanis sororibus conceduntur nuptiae, qnod docet factum Szent Miklósianum in comitatu gömöriensi, ut innumera alia subticeam exempla. Ut adeo ipsi prudentiores pontificii haec talia non sine sale perstringant, dicentes: Lutheranum duas habere animas, quarum alteram pro se reservat, alteram in redemptionem poenae impendit. Quod itaque beatus autor E. S. Cypriani de germanica sui libri editione praefationis initio scripsit, id ego optimo jure ad bohemicam meam versionem applicare possum: Qui modernum papatus in Hungaria statum, ejusque consilia et studia habet perspecta, is ultro agnoscet, libros hosce non vel

ex petulantia, vel amore litigandi, verum ex inevitabili necessitate esse editos.

§. 16. Postquam librorum abs me editorum fama, inter alios, ad nitriensis quoque comitatus evangelicos, libero religionis exercitio occasione Krmannianae incarcerationis privatos pervenisset, contenta ipsorum scire desiderarunt, ac si religionis materiam tractent, centum paria sibi mitti majorem in modum petierunt. Nuncio quidem illi, cum nihil literarum ostendisset, fidem plene non adhibui, quaproqter dum ex partibus illis advenisset tabellarius, in longe alio negotio ad me, et certum nobilem romano-catholicum cum literis missus, illi epistolam tradidi, qua contentorum in libris summam indicavi, et me 50. ipsis paria missurum promisi. Accidit vero, dum tabellarius ille in diversorio leutschoviensi pernoctaret, supervenit itidem pro nocte in idem diversorium belensis romano-catholicus parochus, P. Haas, qui tabellionem ob longiorem corporis staturam, pro borussico habens exploratore, literas ei concreditas furtim abstulit, evolvit, ad civitatis leutschoviensis commendantem detulit, tabellariumque innocentem compedibus vinciri curavit, qui num sit jam dimissus, vel minus, scire nequeo. Ad epistolam meam quod adtinet, illa plus simplici vice descripta, tum ad excelsum consilium regium posoniense, tum ad capitulum scepusiense, tum, veluti percepi, ad jesuitas eperjenses et episcopum agriensem est missa. De literarum mearum ademptione mox sequenti die fui edoctus, unde haut dubie colligebam, me a persecutione immunem non mansurum. Nec deerant amici, qui fugam potius mature arripiendam, quam hostilem citationem, aut manuum injectionem expectandam svaserunt, ad exemplum superintendentis Krmanni provocantes. Verum cum perpendissem, me hac ratione relicturum adversariis meis varia de me comminiscendi et divulgandi materiam et occasionem, deo causae meae aequitatem commendans, rei eventum praestolari mecum concluseram.

§. 17. Die 28. Novembris, an. 1746. sub prandii finem, existente apud me rev. D. Bartholomaeo Klein, pastore germanico cibiniensi, cum sua conthorali et genero, scholae item eperjensis evangelicae rectore, Cl. dno Joanne Longay, supervenerunt duo senatores cum duobus adparitoribus, mihi a domino judice et amplissimo magistratu salutem dicentes, meque ad

dominum judicem pro exaudiendo certo scripto invitantes. Quibus ego praemissa debita honoris contestatione, respondi, me, quale illud sit scriptum, probe scire, iturumque prompte, modo mihi concedatur facultas preces publice prius absolvendi: ac idcirco alterum senatorem ad amplissimum magistratum cum hac relatione praemisi, alterum autem ad evitandam sinistram suspicionem apud me retinui, ac interim, cum sciverim catholicorum contra evangelicos procedendi modum, quod nempe rem semper ab executione ordiantur, cameram sum ingressus, longioremque funem, in omnem rei eventum, mecum accepi, atque illo, ne observetur, me sub indusio cinxi. Verum magistratus oblata mea parendi promptitudine non contentus, misit immediate pro me adducendo quatuor senatores cum civitatensibus vigiliarum praefectis, quibus adjunxit omnes adparitores cum armatis civitatensibus excubiis, nullo habito loci caesareo-regio privilegio donati respectu. Dum Dn. Ignatius Bogdanyi, vicenotarius me tanquam refractarium verbis durioribus fuisset aggressus, additis minis, nisi citra omnem moram comparuero, me vi abducendum iri, atque abs me conveniens retulisset responsum, addidi, me minime iturum, nisi prius adparitores et excubitores discesserint; me nullum esse maleficum aut seditiosum, nec promeruisse, ut parochiam meam armata manu invaderent, meque tanquam ad supplicium condemnatum, armatis lictoribus, tempore nundinali, in tanta hominum frequentia per civitatem comitarentur. Postquam itaque armati illi lixae discessissent, ingressus sum in civitatem, quatuor e senatu viris stipatus, reliqui autem manserunt in aedibus meis parochialibus pro bibliothecae meae occupatione. In ingressu occurrit nobis perill. Dn. Gabriel Zmeskal, celeberrimus in Hungaria advocatus, qui attonitus, quid hoc sit rei, se mihi adjunxit, meque in domum judicis est comitatus. Quoniam vero clavis a museo fuit apud me, judex ad ejusdem exhibitionem me adegit, suumque currum pro librorum meorum avectione misit. Verum cum viri illi majorem conspexissent librorum copiam, quam ut curru avehi potuisset, aliquos solummodo cum nonnullis manuscriptis rapuerunt, et ad judicem devexerunt, inter quae reperiebatur emigrantium salisburgensium historia bohemice abs me versa typoque jam adaptata, qua adversarii graviter offensi, eandem consilio regio Posonium transmisisse perhibentur.

§. 18. Dum in domo domini judicis coram facie totius amplissimi magistratus comparuissem, dominus notarius Michael Spaek, perill. dominum Zmeskal ut recedere dignetur, rogavit, amplissimum enim magistratum habere in mandatis, ut mecum solo, amotis arbitris examen instituatur. Post illius domini discessum, productum est, nec tamen mihi praelectum excelsi consilii regii mandatum, ad quod dominus notarius provocans, sequentes ad respondendum proposuit mihi quaestiones :

1. Ubi sim natus, et quibus prognatus parentibus ?
2. Quot annorum sim ?
3. Quot annis servio ecclesiae slavicae seu bohemicae eperjensi ?
4. Num libros aliquos et quales ediderim ?
5. Quae librorum illorum contenta ?
6. Num illos ipse conscripserim, vel ex alio idiomate transposuerim ?
7. Ubi, et in quanta copia sint impressi ?
8. Ex quo motivo et principio libros hosce ediderim ?
9. Quo anno eosdem transposuerim, et quo imprimi curaverim ?
10. Num aliquem in transpositione aut descriptione habuerim coadjutorem et quem ?
11. Quis in impressionem sumptus contulit ?
12. Quot exemplaria in Hungariam sint invecta, et ubi reliqua ?
13. Num omnia illa exemplaria et ubi sint distracta ?
14. Num in sárossiensi vel aliis regni comitatibus, ac inprimis Eperjessini alicui ex libris illis vendiderim aut dono dederim et cui ?
15. Ubi sint germanica, quibus in translatione sum usus, exemplaria ?
16. Per quem manuscripta Vittenbergam miserim ?
17. Ubi sint illa manuscripta, num ibi detenta vel mihi remissa ?
18. Num alicui hac in materia, cui et quando scripserim ?
19. Medio cujus nitrienses libros a me petierint ?
20. Quot me eisdem missurum promiserim ?
21. Num libros illos sim certo missurus ?

22. Ubi sint residui, qui non sunt distracti libri?

23. Cur eosdem iterum in Silesiam remiserim?

24. Qua ratione mihi innotuit epistolam meam in nitriensem comitatum missam, Leutschoviae esse interceptam?

25. Nonne aliquot exemplaria pro me retinuerim?

26. Quando historiam emigrantium salisburgensium et quem in finem transposuerim?

27. Num eandem jam imprimi curaverim aut imprimendam voluerim?

28. Num integrum opus ipse scripserim vel aliquo scriba fuerim usus?

29. Num praefatio (quae Mosheimii est) sit meus proprius labor vel tantum transpositio?

30. Num possideam hujus historiae plura manuscripta exemplaria?

31. Nonne eandem aliquis abs me descripserit?

32. Num aliquis historiam illam apud me viderit vel legerit?

33. Ubi sit germanicum Goekingianae illius historiae exemplar?

§. 19. Absoluto, quod in sequentem usque diem protractum erat, examine, carcer honestus in junioris dni Bogdányi aedibus, et quidem superioris contignationis, forum civitatis prospiciente cubiculo, mihi est demonstratus, in quo mihi manendum, consiliique regii, uti dicebatur, dispositio exspectanda fuit. Hoc videns tum inclyta nobilitas, tum cives saepius dominum judicem convenerunt, meique dimissionem erga cautionem sollicitarunt, se ipsos vades et fidejussores offerentes; ast surdo narrabatur fabula. Quoniam vero in examine meo ad quaestionem 14. sum fassus me uni civium, unicum, utriusque abs me editi libri exemplar dedisse, magistratusque illud a cive receperat; hinc jesuitae cum minoritis integram fere noctem apud judicem, in perlustratione tum horum, tum aliorum e bibliotheca mea ad judicem devectorum librorum consumserant, sangvinolenta sine dubio adversum me cudentes consilia. Inter libros prima vice ablatos reperiebatur quoque Hasenmülleri Historia ordinis jesuitici, cujus conspectu in furorem acti adversarii, graviorem mihi fere imputabant culpam propter hujus libri in bibliotheca mea conservationem, quam novorum

editionem; cum tamen deinde ablata integra bibliotheca multo plures DD. PP. jesuitae hujus materiae invenerint libros, ex quibus, si nesciunt, quid sint perfecte addiscere possunt.

§. 20. Varias autem meae incarcerationis adversarii commenti sunt causas, quae tamen ita inter sese cohaerebant, veluti falsorum testium adversus Christum testimonia. Dum enim plurimi, domestici aeque ac extranei rei novitate perculsi, diligentius in carcerum inquisivissent causam, vix ullus erat, qui eandem quaerenti genuine manifestasset, quin potius alii dicebant: quod cum serenissimo Borussiae rege clam corresponderim, suamque regiam majestatem ad inferendum serenissimae Hungariae reginae bellum concitaverim. O imprudentem malitiam! Existimatisne tam exigui momenti rem esse, regiam majestatem literis compellare? Putatisne tanto monarchae inesse aliquid levitatis, ut unius miseri praedicantis epistolis ad inferendum alteri potentiae bellum se concitari patiatur? Aut judicatisne ecclesiae protestantium concionatores illius esse spiritus filios, cujus sunt jesuitae? Valde fallimini si ex vestra natura et indole ad nostram argumentamini! Jesuitas quidem multorum cruentissimorum in Europa bellorum faces atque autores exstitisse, Dillingensia produnt consilia, confirmant Gallia, Anglia, Hollandia, nec potest dissimulare afflictissima a vobis Hungaria. Quis autem vestrum aliquem ecclesiae protestantium V. D. Ministrorum hujus peccati arguet? Intendebat quidem hanc maculam evangelicis pastoribus adpingere famosus ille martyrum Hungariae carnifex, P. Nicolaus Kellio jesuita, in calumniosissimo suo, sub Labsanskyano nomine publicato scripto, quo exteris voluit imponere, praedicantes Hungariae propter rebellionem, et non religionem ad carceres, triremes, atque exilia fuisse condemnatos; sed quali cum veritatis specie, quove cum pondere et successu, Davidis Constantis Funda omnibus ad oculum demonstrat. Alii dicebant, me contra monarchiam romano-germanicam scripsisse, adeoque crimen laesae majestatis commisisse. Verum, o inimici mei! discite, quaeso, discrimen inter monarchiam romanam seu romano-germanicam, et inter monarchiam pontificis romani; contra istam, non autem illam scripsi. Inungite solum-

modo oculos vestros collyrio, legite et videbitis nullum adhuc a PP. jesuitis publicatum esse scriptum, quo augustissimi imperialis throni majestas, contra sedis romanae impetitiones tam firmiter et solide stabiliretur, quam libris abs me editis. Nec deerant, qui ad conciliandam mihi, saltem apud simpliciores, infamiam impudentissime mentirentur, me ob bigamiae crimen carceri esse inclusum: literas quippe Leutschoviae interceptas prodidisse me alteram in Saxonia, in Hungaria alteram habere uxorem; nempe, calumniare audacter, semper aliquid haeret.

§. 21. Sub captivitatis meae initium, perinde atque in examine amplissimus magistratus ita mecum processit, ut prorsus nihil habeam, quod contra eundem conquerar. Patebat enim integris duabus septimanis liber cuilibet ad me aditus: hinc visitabar ab inclyta nobilitate aeque atque a civibus perpetuo, immo ipsi quoque senatores sua me recreabant praesentia, ut adeo integros dies amico cum ipsis transegerim discursu. De suscipienda fuga ne minima quidem me tentabat cogitatio, cum tamen id multo tutius potuerim tunc, quam deinceps exequi, siquidem unicus tantum modo apparitor pro custode mihi erat datus, nec ille singulis mecum dormiebat noctibus. Ac si magistratus me in illo reliquisset statu, habuisset me ulterius quoque sub sua potestate. Conscientia enim nullius delicti vel in regem, vel in legem conscia nihil metuisse poterat periculi. Verum die 12. Decembris an. 1746. mutata reperte sunt omnia. Enimvero mox circa solis ortum venit nuncius a judice, qui custodi meo severe mandavit, ne amplius aliquem, praeter meam uxorem ad me admittat, mecumque colloqui concedat. Post moram deputati a magistratu meum invaserunt museum, in quo, quomodo fuerit processum, illi optime possunt animis concipere, qui insurgentes hungaros domum aliquam varia supellectili refertam in superiore Silesia invadentes oculis subjecerunt. Rapuerunt enim, quicquid supellectilis librariae in museo erat, omnia Mst., literales, uti vulgo nominantur, correspondentias omnes, cistam item habitis abs me sacris sermonibus aliisque memorabilibus scriptis et adnotationibus repletam, ac quicquid chartarum in museo reperiebatur; quae omnia non ad judicem aut curiam, verum in PP. jesuitarum collegium seu residentiam devexerunt, quorsum illi quoque, qui antecedenter ad judicem avecti erant libri sunt deportati.

§. 22. His auditis, turbatus quidem aliquantum eram, non tamen concidi animo. Sciebam nullam sperandam amplius e jesuitarum manibus bibliothecae meae recuperationem, in qua tamen omnes fere meae consistebant divitiae, nec tamen desperabam de paterna dei mei cura et providentia, cui causam meam commendaveram: nondum tamen quicquam de fuga cogitavi, usque dum diei 13. Decembris vesper mentem meam penitus immutasset. Sub crepusculum enim illius diei advenit vigiliarum praefectus Witko dictus, ducens secum quendam e numero civium Frentsch nominatum, et alterum ex apparitoribus. Qui postquam me domini judicis nomine plurima mactasset salute, addidit, dominum judicem mihi compati, ac proinde praeter adparitorem, qui mihi erit a servitiis, civem quoque mittere, ut habeam, quocum tempus discurrendo fallere queam: atque ita abacto priore custode, duos in ejus locum substituit. His visis et auditis recordari coepi foveae, quam foderunt animae meae, interim hilari vultu, quanquam frigido animo humanissimas domino judici pro illo favore egi gratias. Vigiliarum praefecto apud me adhuc existente, sua me dignati sunt praesentia, dominus Ignatius Bogdanyi et dominus Georgius Smolnik junior, ille gener, hic filius judicis, amici sane officiosi, sed moleste seduli, quippe, quorum pars discursus potior mera absolvebatur persvasione, ut filiolum meum quintum agentem annum, cujus facundiam, atque aetatem superans ingenium et judicium jam praevie observaverant, ad me adduci curem, ibidemque recreationis animi ergo retineam. Quod tamen non aliud fuisse, quam jesuiticas artes facile erat conjectu, ut nempe, me aliorsum abducto, et vel ad supplicium vel perpetuos condemnato carceres, filii quoque fiant compotes: jam enim praevie vir quidam religionis romano-catholicae me praemonuerat, ne filium amplius ad me adduci permittam: adparitores quippe graviter a jesuitis correptos esse, quod ipsum in manibus habentes, et per nundinas ductitantes, in collegium non attulerint.

§. 23. Dum cum duobus illis e senatu viris familiares miscuissem sermones, invigilabam simul diligenter, quid vigiliarum praefectus a tergo, novis illis praecipiat custodibus; audivi tamen verba auribus meis minus grata. Enimvero, commendabat ipsis in vigilando diligentiam, ne uterque simultanee somnum capiat, sed semper alteruter ipsorum vigilet: adjecit simul mentionem ulti-

mae noctis, per quam ego non aliam, quam ultimam meae Eperjessini mansionis noctem intellexi. Unde, veluti ex prioribus quoque circumstantiis, agnovi tandem me esse jesuiticae crudelitatis victimam. jamque actum de me esse, nisi illa ipsa nocte mihi consuluero. Proinde fugam me attentaturum, firmiter in animo meo conclusi, et quidem tam forti de felici meae intentionis successu praeditus eram fiducia, ac si jam non tantum domus portas et civitatis moenia, verum ipsos quoque Hungariae terminos superassem. Et quanquam haut levia animo meo cogitando objiciebantur impedimenta, inprimis autem demandata custodibus vigilantia, moenium civitatis altitudo viarumque ignorantia, cum ne areae quidem domus transitus, tanto minus murorum adscensus habuerim perspectos, ne quid dicam de viis in Poloniam ducentibus; haec tamen spes confisa deo supcravit omnia.

§. 24. Interim coena ex quinque locis a dilectis meis auditoribus mihi erat allata, cui post supra nominatorum virorum discessum assidens, civem mensae meae adhibui, apparitori vero cibum et potum dedi seorsim. Inter coenandum illis unice distentus eram cogitationibus, quomodo cum aliquo meorum auditorum colloqui, per eundemque ecclesiae instructionem relinquere possem, ne aliquo pacto pastore destituta, in liberi religionis exercitii usu ab adversariis turbetur. Id enim communiter fit in Hungaria, ut dum adversarii juris aliquid obtinere possunt in pastorem, ejus quoque communitatem sui juris faciant, quod praeter miaviensem et vicinas in nitriensi, kőszegiensem in saarossiensi comitatibus plurimae aliae ecclesiae non sine lacrymis querulantes docent. Opportune vero accidit, ut dentis sentirem dolores, qui quanquam leviores erant; nihilominus tamen, partim ut occasionem colloquendi cum auditore optimo habeam, partim vero, ne superveniente graviori dolore in praeconcepto jam itinere deinceps molester, consentiente domino judice dominum Andream Jenei, sanitatis meae curatorem diligentissimum advocavi, per eundemque dentem evelli curavi, quem deinde alter quoque chirurgorum, Dn. Stephanus Pap est secutus. His itaque duumviris, expositis prius uberius carceris mei circumstantiis, idiomate latino dixi, me non esse illius spei, ut amplius ab ipsis in eperjensis oratorii suggestu conspiciar, cum infallibiliter aliorsum propediem sim abducendus, ac proinde, me ipsos per deum et ecclesiae salutem rogare

et obtestari, ut mox secuturo die, seniores ecclesiae cum nonnullis ex inclyta nobilitate convocent, ac de alio evocando decernant pastore, ne ecclesia vel unicam hebdomadam sine verbi divini ministro maneat. Quod etiam factum, atque reverendum dominum Samuelem Ivanka, qui captivitatis meae tempore ecclesiae praefuit, data eidem vocatione illic detentum esse, jam in Silesia existens, percepi. Meam vero de attentanda fuga intentionem nullo prorsus indicio ipsis significavi.

§. 25. Data duobus illis viris instructione, tranquilliore animo de mei in libertatem vindicatione coepi meditari, quae si alicui e romano-catholico clero contigisset, nae! jam tanquam maximum miraculum per universum orbem fuisset divulgata. Ac profecto, si quis rem penitius expenderit, mirabilia divinae directionis et providentiae argumenta in hacce mea fuga observaturus est, ut adeo vir quidam summae eruditionis, nec minoris judicii ad certum amicum non sine fundamento de me scripserit: credo, neminem in dubium vocaturum ejus miracolusam, et si forte Paulinam vel Petrinam dixeris, non errabis, liberationem. Universa patria clamat etc. — Enimvero dum prius nominati duo auditores mei non sine lacrymis abs me dimissi discessissent, in lectum me composui, profundumque simulavi somnum, tacite observans, quo in loco custodes sint decubituri. Quorum civis, postquam tum cubiculi, tum in gradibus positam januam diligenter occlusisset, scamnum fornaci adpositum pro cubili selegit, apparitor vero latera sua lateribus, quibus cubiculum est stratum applicavit humique prostratus dormivit, dispositis ad januam, ne aperiri possit, pedibus. Hic ejus, mihi non usque adeo gratus situs, dubium mihi de tuto exitu merito reddere potuit animum, praesertim cum civis apparitori somnum indulsisset, seque vigilaturum, ac deinceps iterum apparitorem ad vigilandum excitaturum dixisset. At enimvero, tantum abest, ut quicquam dubitaverim, ut potius eo majore fiducia dei consilium et auxilium imploraverim, oraverimque ardentissime, ut custodibus meis talem immittere velit somnum, quali Saul et Abner cum corporis sui custodibus erant gravati, dum David ipsorum castra perlustrasset. Nec certe irrita mea erant suspiria, quin potius vix toto vitae meae tempore sensi tam repertinam et manifestam precum exauditionem, quam in extrema illa mea necessitate. Vix enim preces meas

suspirando ad finem perduxeram, dum civi fumatorium ejus instrumentum, quod ad repellendum somnum accenderat, ore excideret, atque ipse una cum socio svaves inciperet trahere rhonchos.

§. 26. Dum custodes mei somni profunditate certare mihi viderentur, hora noctis 12. e lecto surrexi, fortiusque per cubiculum ambulando et pulsando aures eorum tentavi. Cum autem ipsi mortuis haud absimiles nullum sensus dedissent documentum, initio funem in lecti stramine absconditum inquisivi, deinde impositis brachio vestibus, ad januam accessi, quam tamen propter apparitoris pedes aperire non potui, coactus itaque sum vestes deponere, pedesque custodis a janua abstrahere, tam optato cum successu, ut ille stipitis instar nihil prorsus sentiret. Dum aperta jam janua cubiculo vellem egredi, venit mihi in mentem recordari canum, qui me in platea, quae mihi erat transeunda, morbidos olim visitantem indomitis prosequebantur latratibus: pro iis itaque placandis, panem mecum assumpturus, semel adhuc redii, ac deinde nudipes, vestes brachio, ocreas manu gestans, exivi. In gradibus janua, tecta munita lamina, me ab egressu prohibuisset certissime, si custodes clavem exemissent; verum siquidem eandem illic reliquerant, hinc commodum mihi erat aperire. Quoniam vero utraque janua sine ingenti strepitu aperiri aut claudi non potuit, hinc exultans, quod nullo observante aperire potuerim claudere easdem neglexi.

§. 27. Superata feliciter hacce prima haud levi difficultate, alias quoque pari me superaturum felicitate, certo confidebam. Commendans proinde vias meas deo, per longiorem domus aream, versus horreum properavi, in quo utraque porta mihi facile patuit, Christo ubique viam et transitum monstrante. Hoc duce dum in plateam a r i v o denominatam prodiissem, versus sinistram deflexi, nihil magis optans, quam ut quantocyus ad civitatis moenia pervenire, hominumque, qui in multis domibus vigilabant, conspectum effugere possem. Metus, quem canes mihi incusserant, supervacaneus erat, cum nullus ipsorum vel mutierit, tanto minus vocem aliquam ediderit, quod non potui non, laetus, pro singulari prorsus dei directione agnoscere, quod animalia ista, quae me claro die latratibus infestabant, noctu pergentem blanditiis prosequebantur. Dum ad claustrum PP. minoritarum pervenissem, dextram versus me converti, murosque civitatis attigi, ubi modum adscensus

quaerenti, obtulerunt se gradus, in superiorem propugnaculi altioris, molae inferiori oppositi, contignationem ducentes, quos conscendens, nec quicquam tumultus in civitate observans, vestes et ocreas indui, ingressumque in propugnaculum tentavi. Ubi tamen haud exiguae animum meum subierunt curae, dum illud palpando observassem, forti janua e crassioribus asseribus confecta, fortissimo item ferreo repagulo et sera praegrandi munitum. Interim manus januae applicavi, illam de postibus desumsi, adhibitisque omnibus, quibus pollebam viribus tamdiu trusi, donec me ipsum intrudere potuerim. Et quanquam fragor ingens avulso a janua repagulo fuerit editus, nemo tamen erat, qui vel audivisset, vel fortasse audiens, domo ad videndum, quid agatur, exivisset. Ita quiescebant voces hominumque canumque. Postquam propugnaculum fuissem ingressus, inveni palpando fenestellam, longiorem illam quidem, sed nimis angustam: quia tamen caput per eandem potui exerere, sperabam firmiter me residuam quoque corporis partem extrusurum. Quapropter dejectis initio vestibus et baculo, funem adaptavi, me utut summa cum difficultate per arctum illud foramen extrusi, deumque fiducialiter invocans, ut absque sanitatis laesione terram attingere possim, hora post medium noctis prima, memet demisi. Quoniam autem chirothecarum vestibus impositarum eram oblitus, idcirco nudis funem tenens manibus adeo sauciatos reportavi digitos, ut nunc quoque periculosorum vulnerum vestigia appareant. Adhaec funis erat justo brevior, hinc ad duas fere orgyas desilire sum coactus, atque tunc nasum muro tanto cum impetu allisi, ut totus maderem sangvine. Quamprimum terram attigi, mox animo meo occurrerunt Ps. 124. 6. 7. verba: Benedictus Jehova, qui non exposuit nos praedae dentibus eorum. Anima nostra ut avicula erepta est a laqueo aucupantium, laqueo effracto, nos erepti sumus. Collectis deinde, quas praemiseram rebus et absterso sangvine, modum alium superandi murum quaesivi: quoniam vero hinc inde cursitans nullum potui invenire, hortum illustrissimi domini comitis commendantis inter urbis moenia plantatum, sum ingressus, ubi porro trabem muro adjacentem reperi, beneficio cujus difficili cum labore propter sauciatas manus murum conscendi, atque ex eodem desilii. Post factum hunc desultum paludosam quoque fossam, reperto transitu feliciter superavi.

§. 28. Dum jam deo juvante, extra periculum me cernerem esse, subsistens, diu multumque mecum disputavi, num aedes parochiales, vix ad unicum minoris sclopi jactum distantes, debeam subire uxori dilectissimae, svavissimisque liberis valedicturus, necessariamque instructionem cum benedictione relicturus? Svadebat quidem id sincerus conjugalis aeque ac paternus amor, praesertim cum praevidissem uxoris meae cor, variis sinistris, de mei aliorsum abductione rumoribus, excruciandum iri, quod etiam factum est; ast dum perpendissem, ipsam juramentum vix vitaturam, et si innotuerit, me ante discessum domi fuisse varias vexas et afflictiones non effugituram, consultius judicavi hos quoque naturales affectus superare. Quapropter nec visis, nec salutatis, sed ardentissimis a longinquo solummodo suspiriis, non sine lacrymarum profusione, paternae dei curae commendatis cum uxore, tribus minorennibus liberis, iter meum sum ingressus. Quam vero difficile, quamque molestum et periculosum, describi sufficienter nequit. Enimvero viae erant ingenti obnoxiae luto, propter indesinentes, quae nive permixtae per tempus adventuale decidebant, pluvias, unde soluto gelu, ad genua usque luto immergebar. Accessit, quod nox erat illunis, tempus nubilum, adhaec nebula tam crassa terrae superficiem texerat, ut facilius fere fuisset adstantem manu attingere quam oculis conspicere. Nec tamen in hac tempestate sum ausus ordinaria pergere via, sed per agros, et aquis scatentia prata, iter suscepi, unde factum, quod errando magis, quam recta pergendo, primam fugae meae noctem transegerim. Ter enim in pagum Alsó-Sebes medio milliari Eperjessino dissitum veni, et cum existimassem me duobus minimum milliaribus a civitate esse remotum, hora matutina quinta ad pontem kelyemessiensem, prope Eperjessinum me esse deprehendi. Quid mihi tunc fuerit animi, facile quivis judicare potest. Retraxi tandem gradum, ordinariaeque insistens viae, omnes in properando adhibui vires, ut ab appropinquante diluculo quam remotissimus a civitate offendi possim; verum iterum versus dextram in densissima aberravi nebula. Illucescente 14. Decembris die, observavi prope me sylvam quandam, in quam, ne a quopiam conspiciar me recepi, ulteriusque per dumeta repens montem altiorem conscendi, ubi sim locorum, visurus. Verum terrae incubans nebula ne limites quidem montis, tanto minus remotiorum locorum situm me conspicere sivit, usque dum

post meridiem vehementior superveniens ventus nebulam dispulisset, qua occasione tam eperjensem civitatem, quam alia circumjacentia loca diligenter considerans, firmiter animo meo impressi, qua versus futura nocte meum iter mihi erit prosequendum.

§. 29. Transacto in monte, pago K a p i opposito, in fame, siti, frigore atque intenso manuum dolore primo peregrinationis meae die, dum crepusculum sese insinuasset, nebula tectus in planitiem descendi, existimans me nebula, tanquam muro circumdatum tuto ulterius pergere posse; verum quamprimum ad kapienses perveni agros, ventus nebulam abegit, ut adeo omnibus videri atque agnosci potuerim. Opportune vero se mihi objecit rivus quidam, in quem, ne ab eperjensibus, ad nundinas homonyenses proficiscentibus conspiciar, decubui, nec prius surrexi quam nox tenebricosa terram occupasset. Ingruentibus noctis tenebris eo magis gressus accelerare volui, quo vehementius optabam vicinae regionis limites quantocyus attingere; at enimvero, adeo viribus fui exhaustus, ut saepissime in maximo luto considere debuerim, coactusque fuerim in certa domo aliquantum quiescere, sumptoque cibo me refocillare. Et quanquam constitueram mecum, me recta via in Poloniam iturum; tamen ob metum excubiarum in limitibus fors mei causa positarum, dum ad fluvium T o p l a pervenissem, ad dextram declinavi et per zempliniensem comitatum plus nocturno, quam diurno tempore descendens, ductore conducto, e regione Homonyae in Poloniam sum ingressus. In hac regione peculiare divinae providentiae expertus sum documentum. Dum enim in certo oppido ad opulentum quendam judaicae gentis rabbinum divertissem, vires nimium attritas recollecturus, sauciatasque manus curaturus, vir ille non desiit sciscitari, quis sim? priusquam ipsi revelassem. Postquam vero ad graves ejus obtestationes et dejerationes sortem meam ei detexissem, in peculiare me deduxit cubiculum, ne a nobilibus polonis illuc saepe confluentibus conspiciar, ibidemque per quatriduum cibo et potu lautissime intertenuit, discessuro vero filium suum itineris ducem et comitem Cracoviam usque adjunxit. Et quoniam chirurgus polonus, quem advocaveram, non aliter volebat mei suscipere curam, quam abscisso medio dextrae manus digito, quippe cui sacrum ignem jam sese profunde insinuasse ajebat, hospes meus ebraeum artis chirurgicae peritissimum vocavit, atque eidem mei curam commendavit. Quam vero

dolorosa illa fuerit cura, vel inde liquet, quod carnem infectam ad ipsum usque os exscidit,; nec tamen infelix, siquidem quarto a suscepta cura die, digitos aliquantisper incurvare potui, qui deinde, applicatis quotidie novis, quae mihi dederat, emplastris integre sunt sanati.

§. 30. Dimisso ad Cracoviam ebraeo iter Silesiam versus suscepi, atque cum novo anno Plessam feliciter perveni, ubi quatuor fere septimanas consumsi. Dedi inde literas ad dominum Michaelem Spack civitatis eperjensis notarium, quibus initio amplissimo magistratui pro honesta mei in carcere accommodatione decentes egi gratias, deinde vero causam et modum meae fugae detexi, ne innocentes tum custodes, tum alii carceribus aliisque poenis affligantur. Relicta Plessa, per Soraviam, Ratiboram, Leobschützium, Neostadium, Krappitzium et Oppolium, Brigam, atque inde Wratislaviam, dilectissimum mihi nunc hospitium, die 9. Februarii perveni, gratuitam ubique cum viatico habens vecturam. Beneficia plessensium, brigensium ac inprimis wratislaviensium in me collata, majora sunt, quam ut mea lingva aut calamo debite possint celebrari, hinc donec vixero, [preces pro iisdem, uti aliis quoque benefactoribus, ad deum fundere non intermittam.

§. 31. Quid post meum discessum Eperjessini sit actum, in Silesia jam existens, Brigae inprimis et Wratislaviae plene sum informatus. Custodes mei, quos somno reliqui sepultos, per dominum quoque domus, in qua detinebar captivus, ex templo reducem, post septimam matutinam horam dormientes sunt inventi, strictissimo examini et juramento subjecti, tandem in compedes conjecti, hucdum fortasse in carcere detinentur. Adjuncta his ferroque constricta est innocentissima quaedam vidua, quae ad me ultimo vespere invisendum, lectumque sternendum venerat. Ego per omnes civitatis angulos quaerebar diligentissime. Adversarii, praesertim jesuitae in furorem acti, dubitarunt, num deo vel diabolo mei liberationem adscribere debeant. Nemo vero vel cogitare, tanto minus admittere voluit me per supra descriptum propugnaculum profugisse, usque dum pendulum illic invenissent funem, quod post sex solummodo factum esse dies percepi. Tandem strictissima instituta erat inquisitio, adjurabanturque omnes, quibuscum arctior

paulo mihi erat connexio, quibus inter alias sequentes proponebantur quaestiones:

1. Quis mihi consilium fugae dederit?
2. Nonne alicui meam, de fugiendo intentionem manifestavi?
3. Nonne me aliquis domo aut civitate exeuntem conspexit?
4. Quis mihi laqueum subministravit, aut me in demittendo juvit?
5. Quis mihi dedit viaticum?
6. Nonne aliquis scit, ubi locorum sim?
7. Nonne post meum discessum vel ego alicui, vel mihi aliquis scripserit? Immo eo processum est severitatis, ut viri quoque nobiles: perill. nempe dominus Adamus Zimmermann et perill. dominus Alexander Szmrecsány junior, mei causa jurare sint coacti, quibus adhuc erat adjunctus rev. dominus Israel Markovics, meus olim domesticus, nunc ecclesiae komlósiensis verbi divini minister. Et quamquam scholae eperjesiensis evangelicae rector, clarissimus dominus Joannes Longay plus simplici vice mox post meum discessum fuerit adjuratus; tamen porro sub initium hujus mensis Maji non tantum coram novis inquisitoribus iterum jurare, verum bibliothecam quoque suam reserare, ipsorumque revisioni subjicere fuit adactus. Quod cum venerandi quoque ministerii bibliothecis se facturos, inquisitores sunt minati. Infelicissimus vero omnium merito censendus Dn. Daniel Fojt junior civis eperjensis, in coelibatu adhuc existens. Quia enim jesuitae inter mea scripta repererant certi mercatoris lipsiensis apocham, qua fatetur, se pecunias abs me, medio domini Danielis Fojt missas rite accepisse, idcirco innocentissimus ille vir in publicos conjectus est carceres, in quibus cum irreparabili rerum suarum jactura nunc etiam fortasse detinetur. Certe sub Februarii finem in illis adhuc suam innocentiam deo commendabat. Erat vero pecunia illa pro certis Vittenbergae existentibus studiosis, ab eorundem parentibus et amicis mihi ad transmittendum tradita, hinc ego quoque idcirco apocham illam retinui, ut viris illis, qui mihi pecunias dederant, pro mei legitimatione demostrare queam. Ad uxorem meam et liberos quod attinent, illi apud generosam dominam Barbaram Péchy, perillustris quondam domini Thomae Sárosy relictam viduam suam meamque hactenus deplorabant sortem. Afflictionem uxoris meae

haud parum auxit, praeter corporis infirmitatem, renovata per novam inquisitionem consternatio. Quia enim ad nobilitarem, in qua hospitabatur, domum, nullus erat magistratui civitatensi accessus adversarii, novo instructi a consilio regio mandato, perillustres dominos N. Kelcz, dicasterii eperjensis adsessorem, et Sigismundum Merse de Szinye, comitatus saarosiensis vice-comitem illuc expediverunt. Hi ex improviso supervenientes initio meam uxorem, deinde, nobilis illius dominae viduae familiam, tandem omnes fere pagi Eniczke incolas strictissimo juramento ad fatendum cogebant:

1. Ubi reperiantur plures abs me editi libri?

2. Num post meum ex civitate exitum apud uxorem meam fuerim, et qualem instructionem eidem dederim?

3. Nonne alicui constat, quis meam, tum ex civitate, tum ex regno fugam promoverit?

4. Num literas aliquas, et quales, ad uxorem meam dederim?

5. Nonne vel uxor mea, vel alius quispiam sciat, ubi locorum sim?

6. Num me uxor mea sequi velit? Et plurima alia. — Et quanquam uxor mea nihil est fassa, cum secundum jus hungaricum, nemo contra se quicquam teneatur fateri; attamen certus studiosus, Turdeli dictus, quem in domesticorum meorum numerum cooptaveram, nobiliumque filiis praefeceram, prodidit duodecim librorum, sub terra reconditorum centenarios, qui immediate exempti et in jesuitarum collegium devecti sunt. Magis adhuc fuit territa, postquam a dominis illis inquisitoribus ex Hungaria exitus fuisset ipsi interdictus, atque intellexisset, limitum quoque regni Hungariae custodibus mandatum esse, ne eandem regno exire permittant. Verum ipsa se suamque intentionem deo commendans, liberos solum cum unica pupilla assumsit, relictaque universa supellectili, cum auriga, gravi pretio ad id conducto, mense Aprili, horis nocturnis limites Hungariae superavit, ac post molestissimam duodecim dierum peregrinationem, Plessam attrita cum sanitate pervenit, ubi nunc optimorum civium liberalitate sustentatur.

§. 32. Sed neque ecclesiam mei hostes reliquere in pace, quin potius in id dabant operam, ut eandem religionis exercitio spoliare possent. Eapropter successorem meum vi volebant expellere, asseverantes, se minime passuros, ut ecclesia bohemica eper-

jensis suum inposterum habeat ministrum: quod sine dubio fecissent quoque, nisi opportune peculiari gratioso caesareo-regio edicto ipsi fuissent cohibiti, evangelici vero contra iniquos eorum impetus muniti.

§. 33. Tandem venenatas suas lingvas adversum me converterunt, atrocissimis me proscindentes conviciis et calumniis. Ut enim apud auditores aliquam infamiae notam mihi conciliare possent, indesinenter clamitabant, egregium sane, inquientes, habuistis pastorem! Non pastor, sed mercenarius erat et seductor. Decetne pastorem oviculas suas tam ignominiose deserere? etc.. At enim vero non ego benevole ab oviculis curae meae concreditis recessi, verum ingens luporum copia me violenter ab iis avulsit et ergastulo inclusit, a quibus sine dubio hactenus jam fuissem dilaniatus, nisi opportune in fuga salutem invenissem. Deinde noverint optimi illi idiotae, persecutionem istam personalem et non generalem fuisse, quae personam tantummodo meam, et non integram feriebat ecclesiam, in quali non tantum fuga est licita, verum ab ipso salvatore Matth. 10. v. 23. praecepta, proprioque ipsius exemplo Luc. 4. v. 30. Joh. 8. v. 59. confirmata et sanctificata, nec non a dilectis ejus apostolis, Petro Act. 12. v. 17., Paulo Act. 9. v. 25. conf. 2. Cor. 11. v. 32. aliisque usurpata. Alia ignominiosa, nec honestis auribus auditu digna convicia commemorare nolo, sed nec quicquam moror, memor illius dulcissimi servatoris Matth. 5. v. 11. 12.: beati eritis, quum vos conviciis affecerint et persequuti, et mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in coelis. Et siquidem teste Seneca, conscientiam bonam convicium non vulnerat, ergo calumnientur securi, fingant crimina, mendacia mendaciis accumulent donec ipsos satietas capiat, mihi ista ita sunt nocitura, velut Christo judaica sputa, nec aliud ipsis oppono, quam quod B. I. G. Neumannus suis opponebat calumniatoribus: nihil decedit lunae dum allatratur a canibus, qui nec cursum ejus impedire, nec loco eandem turbare possunt: sic bene nobiscum agitur, quod latrare quidem inimici, non perinde et mordere queant. Interim deum meum

pro consilii aeque ac miraculosi auxilii ad mei liberationem suppeditatione, celebrare, donec vixero, non desinam. Nisi enim illa nocte fuga mihi consuluissem, manus carnificis minime effugissem. Quamquam enim illi fidem plene non adhibeam, quod ad virum quendam Silesiae ex inferiore Hungaria scriptum est, in consilio nempe regio Posonii fuisse decretum, ut mihi lingva per cervicem extrahatur; credo tamen illi, quod jam in Silesia per virum rerum hungaricarum gnarissimum ex literis mihi est recitatum, me videlicet Cassoviam fuisse deducendum, judicio delegato sistendum, torturae subjiciendum, tandemque vel capite plectendum, vel perpetuo carceri, exemplo superintendentis nostri celeberrimi Danielis Krmanni, mancipandum.

§. 34. Utinam autem me solum et unicum sibi pro scopo persecutorum exposuisset crudelitas! At enimvero parum laetior sors est reliquorum quoque in Hungaria protestantium. Tametsi enim non sint corporali captivitati obnoxii; verum quid piis animabus est gravius, quam dum sentiunt conscientias suas arctissimis constringi cancellis? dum vident auro contra cariores avitas suas libertates, non restringi modo verum funditus tolli et aboleri? dum intelligunt haud obscure, non aliud meditari et quaerere romano-catholicos, quam totalem religionis protestantium e regno Hungariae exstirpationem, ejusque ad formam Croatiae, Styriae atque aliarum austriacarum provinciarum redactionem? dum observant nullum amplius suae fidelitatis, nullum meritorum haberi respectum, immo a plerisque ne pro hominibus quidem, tanto minus pro christianis reputari: dum considerant, nil amplius restare, quam decreti jam in animas ipsorum periculi executionem? quae sine dubio in effectum jam fuisset deducta, nisi nascentia ex bello bella, moram, ex politica ratione injiciendam, svasissent.

§. 35. Ne vero quis existimet, nudam banc solummodo esse conjecturam et querelam absque fundamento, veluti ipsi adversarii venditant: diligenter, quaeso, perpendat, nonne huic tragoediae jam praelusit tremendus ille caesareo-regiorum mandatorum contemptus, diplomatum vilipendium, legumque regni convulsio et abolitio? Quantopere religioni protestantium in Hungaria per regni leges regiaque diplomata sit cautum, patet id ex libro, per

status evangelicos an. 1741. latino et germanico idiomate in forma 4 ta edito, in quo omnia regia diplomata regnique leges, religionem concernentes, collegerunt, serenissimaeque Hungariae reginae tempore coronationis obtulerunt, quorum nonnulla specimina exhibet: Die kurtze und zuverlässige Nachricht von dem Zustande der protestantischen Kirche in dem Königreich Ungarn. Jam juxta persarum medorumque legem, regia edicta oportet esse inviolabilia: verbum regium debet esse sanctum, solenni inprimis juramento ac propriae manus subscriptione confirmatum: ac juxta Caroli V. effatum, si fides toto orbe exularet, a principe tamen servari debet; verum longe aliter fit in Hungaria. Clerus etenim romano-catholicus, ac ordo inprimis jesuiticus, consvetas suas artes ludere non cessavit, priusquam augustissimos imperatores et reges Hungariae ab observatione legum et diplomatum, a gloriosae reminiscentiae majoribus suis editorum et confirmatorum abstraxisset atque absolvisset, ipseque, insciis et invitis regiis majestatibus, plurima in protestantium ecclesiarum perniciem egisset, obtendendo, vel diplomata esse vi extorta, vel regem sinistre informatum: acta sub haereticis palatinis esse irrita: haereticis non esse servandam fidem, et sexcenta alia. Certe eodem mihi videntur tendere moderni regni Hungariae cancellarii, excellentissimi domini comitis Leopoldi a Nádasd verba. Dum enim haud adeo pridem nobilis dominus Samuel Pulszky eperjensis novam eidem nomine eperjensis ecclesiae gratularetur dignitatem, atque in privato colloquio defectus oratorii fecisset mentionem, exploraturus, num spes obtinendae facultatis illud aedificandi, eperjensibus evangelicis superesset? dominus cancellarius amicum praeseferens affectum, spem quidem non praescidit, svasit tamen, ne supplicaturi eperjenses ad concessam olim sibi libertatem regiaque provocent diplomata, sed sub titulo novae gratiae, si quid obtinere voluerint, petant. Nempe, ut a concessis privilegiis sponte recedentes, suo se tandem jugulent gladio.

§. 36. Nec tantum antiqua diplomata et privilegia suo jam sunt privata valore et pondere; verum proh dolor! cum recentioribus quoque edictis nihilo melius est comparatum. Quo enim orbi clarior est gloriose modo regnantis serenissimae Hungariae reginae Mariae Theresiae clementia, eo gravior est apud adversam partem

ejus abusus, atque indignissimus tantae majestatis contemptus. Dum mandatum aliquod a regia majestate, aut excelso consilio regio mittitur protestantibus noxium et perniciosum, illud quidem solenniter absque mora publicatur, ministri ecclesiarum aut ecclesiae curatores in curiam pro exauditione invitantur, copia ejus conceditur, omnesque ad ejus observantiam stringuntur. Si aliquid continet evangelicorum conscientiae vim inferens, reperiuntur vero nonnulli, qui memores illius Petrini Actor. 5. 20.: oportet obedire deo potius quam hominibus, mandato tali parere recusant, mox crimine inobedientiae, contumaciae et infidelitatis notati, arbitraria poena afficiuntur. Immo haud raro fit, ut talia mandata ultra legislatoris mentem, contra meliorem scientiam et conscientiam, ad premendos solummodo evangelicos extendantur. Nam ut taceam mandata, librorum in regnum invectionem et juramentum concernentia, de quibus infra, prostat recentissimum anno proxime praeterito ad trenchinienses datum. Hujus sensus est, ne extranei, praeter solos indigenas ad sacra augustanae confessionis admittantur. Hic quivis probe scivit summum magistratum per extraneos intellexisse moravos et bohemos; nihilominus tamen adversarii, ut tantum evangelicis aegre faciant, illud ad indigenas quoque hungaros, extra civitatem trenchiniensem habitantes, extenderunt, positisque ad evangelicorum oratorium armatis excubiis, neminem in illud, praeter solos cives et incolas trenchinienses admiserunt, contra expressa resolutionis caesareo-regiae anno 1731. die 6. Apr. datae, et a moderna serenissima regina confirmatae, articuli 2. verba, ut adeo miseri trenchinienses Viennam ablegatos mittere, terminique hujus explicationem petere sint coacti. Quodsi vero protestantes ad plurimas suas supplicationes, fatigia atque expensas favorabile aliquod obtineant mandatum, illud in consilio regio vel prorsus supprimitur, vel mens regia non iisdem, quibus regia majestas resolvit, terminis exprimitur, vel vero per subalternos seu inferiores magistratus detinetur et silentio involvitur. Si autem protestantes ejus copiam aliqua ratione obtinentes, urgent publicationem et executionem, mox experiuntur partis adversae oppositionem millenasque contradictiones, Qui tamen manifestus majestatis regiae contemptus et vilipendium pro nota inobedientiae

atque infidelitatis non habetur, sed tanquam legitimus religionis zelus speciosissime excusatur.

§. 37. Viva hujus rei testimonia, cum plurimis aliis, perhibent inprimis afflictissimi eperjenses evangelici. Hic circa annum, si bene recordor, hujus seculi 30., id effecerunt jesuitae ne ministris ecclesiae evangelicae liceat civitatem subire, sive ad morbidos invisendos, sive alia quaecunque ministerialia aut privata negotia peragenda, ut adeo per 16. prope annos nullus pastorum evangelicorum in civitatem ingredi sit ausus. Si autem morbidi ipsorum consolatione indigebant, vel sacra domini coena refocillari cupiebant, debebant ad ipsos in suburbium evehi aut efferri. Quod quam triste fuerit spectaculum, facile quivis vel me tacente potest concipere, dum per aeris acerbitatem nonnulli prorsus sunt enecati, alii lingvae, alii aurium usu privati, alii mortuis magis quam vivis similes vel ad nos allati, vel domum relati fuere, plurimi autem absque omni solatio et ultimo sacrae coenae viatico gemebundi ex hac vita migrare debuerunt. Dum post obtentam an. 1731. die 6. Apr. generalem caesareo-regiam resolutionem, vigore articuli ejusdem secundi rev. dominus M. Andreas Veinert nationis germanicae V. D. M. ad certam morbidam personam intrare voluisset, magistratus loci tam clarae mandati literae ausus est se opponere; quippe, quod expresse concedit ministris evangelicis in similibus locis praeter alia ministerialia munia aegrotos quoque et captivos visitare, iisdemque opera sua adesse. Atque ut hanc suam refractariam renitentiam aliqua juris specie palliare possent, augustam aulam sinistre et contra propriam experientiam informarunt: acatholicos eperjenses praedicantes nunquam in visitationis morbidorum usu et praxi fuisse, quam falsam delationem magis confirmavit perjura Keleményiana inquisitio. Dum enim evangelici continuum allegassent usum, pontificii vero eundem impugnassent, ordinata erat pro investiganda veritate inquisitio, quae per quendam Kelemény civitatis notarium, tam mala fide fuit peracta, ut omnibus sub juramento continuum ingressus usum fatentibus, personas etiam, quibus sacra coena in civitate fuit porrecta, denominantibus, contrariam mentem et fassionem adscriberet, quod demum ex instituta contrainquisitione patuit. Atque ita infelices eperjenses tam longo tempore nullum sua-

rum animarum pastorem in civitate, tanto minus aedibus suis conspicere poterant. Et quanquam post publicatum modernae serenissimae Hungariae reginae die 24. Dec. an. 1742. mandatum, quo caesareo-regia illa resolutio confirmabatur bartphensis ecclesiae evangelicae ministri libere in civitatem sunt ingressi, ac sperabant eperjenses quoque se hac potituros felicitate; verum spe sua tunc quoque erant frustrati propter severam magistratus oppositionem. Nostri interim nullis pepercerunt sumptibus, nullisque fatigiis, ut hoc maximum pro moribundis solatium impetrare, liberumque ministrorum ecclesiae ad ipsos ingressum obtinere possent. Ac augustam quidem aulam non usque adeo invenerunt difficilem, quin potius serenissima regina, ex materna sua erga tam afflictas personas commiseratione, dato ad consilium regium rescripto (cujus copiam praevie obtinueramus) eidem commisit ad scribendum magistratui eperjensi, quod ecclesiae evangelicae ministri ad morbidos suae religionis consortes in civitatem admitti debeant; verum consilium regium loco hujus formulae posuit, admitti possint. Magistratus autem eperjensis mandatum hoc absque publicatione, et cum evangelicis communicatione, tamdiu silentio pressit, donec nostri sufficientem jam habentes de allatione mandati certitudinem, magistratum eatenus compellarent. Et quanquam praeter praecipuos cives, magnae quoque autoritatis nobiles, spectabiles nempe ac perillustres domini, Thomas Dessewffy de Csernek, Gabriel Zmeskal atque alii in curia coram magistratu nomine ecclesiae comparuerunt, mandati communicationem et executionem urgentes; nihil tamen effecerunt. Magistratus quidem mandatum se accepisse diffiteri ulterius non potuit, quin immo illud cum nostris quoque dominis deputatis communicavit, ejus tamen executioni fortiter se opposuit, pro fundamento adducens verba: admitti possint, defectumque ordinariae mandatis subnecti solitae formulae: secus non facturi: adeoque concludebant, suo relictum esse arbitrio, num ministros evangelicos velit admittere, vel minus. Dum autem nostri deputati protestando dixissent, se, contradictione magistratus non obstante, concionatores suos in civitatem introducturos; reposuit magistratus, se eosdem hoc in passu violentiae postulaturum. Ita nempe fit in Hungaria, ut summo magistratui

obedientes, et non ejusdem edictis sese violenter opponentes crimine violentiae notentur.

§. 38. Tandem die 19. Aprilis an. 1746. novum iterum regium hac in materia supervenit mandatum, non per excelsum consilium regium, sed medio excellentissimi domini comitis Joannis Pálfy, regni Hungariae palatini: nec amplius ad magistratum, verum ad illustrissimum dominum comitem de la Roche, civitatis commendantem missum, qui fuit revera fidelis et sincerus regii mandati executor. Hic acceptum mandatum, non solum cum ecclesiae nostrae senioribus communicavit, verum simul praemonuit judicem, ne quicquam contra regiam mentem facere praesumat: praemonuit jesuitas, studiosis suis praecipiant, ne nos in ingressu ulla ratione impediant aut molestent, in portis autem militibus severe demandavit, ut nos non tantum libere intromittant, verum ab omnibus quoque impeditionibus, si quas observaverint, protegant, impetitore, quicunque tandem ille fuerit, tanquam regii mandati violatore comprehenso, et ad excubias militares deducto. Verum, num dispositis ita rebus, quieverunt adversarii? Nihil minus. Quin potius ausim affirmare, si evangelici tantopere contra regium aliquod edictum tumultuarentur, atque eidem tam manifeste sese opponerent, quemadmodum id fecerunt catholici eperjenses, quod delictum illud difficulter suis capitibus expiare possent. Enimvero ipse novi quid actum sit optime, siquidem placuit inclyto ecclesiae patronatui me primum in civitatem mittere. Quamprimum enim ad portulam civitatis accessi, prodiit mihi obviam portarius, ingressum nomine amplissimi magistratus mihi interdicens. Cujus tamen inhibitionem non curans, libere usque in domum, in qua morbidus decubuit, sum progressus, quem cum solatio erexissem precesque aliquas ad deum cum ipso fudissem, advenerunt missi a magistratu duumviri, dominus nempe Ignatius Bogdanyi vice-notarius, et dominus Maugsch junior exactor civitatis, qui contra meum ingressum, tanquam in contemptum et vilipendium tam amplissimi magistratus, quam D. jesuitarum superioris, utpote loci parochi, factum, solenniter protestabantur, atque ut immediate civitate exeam, neque amplius ingredi praesumam, nomine magistratus mihi demandarunt. Quibus reposui: me ingressum in civitatem esse non vel in amplissimi magistratus vel loci parochi vilipendium, sed ad contestandum

debitum erga summum magistratum obsequium: me civitate quidem exiturum, postquam officii mei partes circa morbidos peregero, sed intraturum quoque, dum mihi vel placuerit, vel per morbidos requisitus fuero. Post deputatorum illorum discessum aliquantisper adhuc illic morabar, deinde vero ad alium morbidum concessi, ac ab illo domum in pace redii. Nondum tamen redux, relationem in praesentia RR. dominorum collegarum meorum, et nonnullorum ex patronatu, quae mecum sunt acta, ad finem perduxeram, cum duo illi viri iterum comparerent, suamque protestationem repetentes, eandem dominis collegis aeque, ac mihi in civitate, opponerent; quibus tamen perillustris dominus Tobias Malleter, ecclesiae bohemicae inspector respondit pro merito. Sed neque his contenti adversarii ipsum quoque dominum commendantem importunis suis contradictionibus et protestationibus plus simplici vice impetere non erubuerunt. Ne quid dicam, quod concessam hanc libertatem eripere miseris evangelicis iterum et abolere volentes, Posonium usque ad consilium regium dominum Ignatium Bogdanyi, utut frustra, expediverant. Nondum tamen mensis ab obtenta illa libertate praeterierat, dum in civitate, morbidam quandam personam invisere volens, a jesuitarum studiosis lapidibus fere obrutus fuerim. Quemadmodum autem Eperjesini, ita in aliis quoque Hungariae locis regia diplomata, in favorem protestantium edita, ab adversariis non magis aestimari, facile concludi potest. Quid itaque protestantibus sperandum in regione, in qua neque regium verbum, neque ulla lex pro ipsis loquens quicquam aestimatur, sed per romano-catholicos impune contemnitur et annihilatur?

§. 39. Nec certe alium in finem erecta est nova illa stellata societas, quam in persecutionem et oppressionem protestantium in Hungaria. Cujus systema et statuta cum jam sint an. 1745. latino aeque ac germanico idiomate cum ponderosissima praefatione edita, tractatuique: Kurze und zuverlässige Nachricht etc. appendicis instar secundo loco adnexa, ut eadem hic recitem, opus non habeo. Existimo tamen, quod quicunque haec statuta legerit, atque accuratius examinaverit, nihil aliud, quam religionis protestantium ex Hungaria exterminium, nisi deus mirabiliter consilia illa et statuta confuderit et convulserit, ominabitur.

§. 40. Eo quoque tendit sanctum illud, si diis placet foedus, romano pontifice autore, instrumentis vero praecipuis jesuitis conflatum, atque ante aliquot annos non sine admiranda dei directione patefactum. Quamquam enim id omnium protestantium in Europa oppressionem pro scopo habet, ejus tamen conditores ita Hungariae non sunt obliti, quemadmodum illius quoque, quod ante seculum et quod excurrit, in hac materia fuit conditum. Illud tantum inter utrumque, quoad Hungariam intercedit discrimen, quod in antiquiore illo, violenta, in recentiore vero, subtiliora ad protestantium Hungariae oppressionem, commendantur media. Enimvero an. 1600. et sequentibus Clemens VIII. pontifex romanus suo cum clero in id imperatorem, reges et principes romanocatholicos induxerat, ut foedus aliquod sanctum, quod alii sanctam ligam nominant, ad suscipiendum bellum sanctum adversus haereticos iniverint, cui jam omnes, praeter regem Galliae et magnum ducem Hetruriae subscripserant. Ipse autem pontifex, qui jam ingentes pro hoc bello pecuniarum corraserat acervos, cum clero, sumptus in illud obtulerat. In hoc foedere fuit inter alia conclusum, ut belli illius initium sumatur ab Hungaria, illucque militia italica et hispanica (germanicae enim tam sanctum opus concredere noluerunt) sub praetextu sedandorum motuum Bocskayanorum, qui tunc in Hungaria vigebant, pro haereticorum eliminatione mittatur. Interim dum haec occulte tractarentur, profundoque volverentur silentio, Franciscus Broccardus, qui pontifici a secretis erat, vir omnium consiliorum et negotiorum optime conscius, stupenda prorsus spiritus sancti operatione ad evangelicam Christi fidem conversus est, Romaque profugiens, has perniciosas catholicorum adversus protestantes technas et machinationes, in tractatu, quem Classicum inscripsit, secundum omnes personarum, locorum, annorum, mensium et dierum circumstantias descriptas patefecit.

§. 41. Subtilius paulo rem cum hungaris instituendam svadet recentius illud foedus. Hic enim serenissimis Hungariae regibus id datur consilii, ut protestantes omni studio, in obsequio atque amore conserventur; promissis lactentur, sed res promissa differatur; nonnulla templa ipsis concedantur, ita tamen, ut plura adimantur; conferantur ipsis aliquae dignita-

tes, tamen citra catholicorum, aut catholicae religionis praejudicium etc. Ac revera ita nunc fieri in Hungaria, quivis rerum gnarus observat. Altera quidem manu protestantibus aliquid conceditur; verum altera centuplo plura rapiuntur, et quod conceditur, millenis implicatur difficultatibus. Ut vero res ex exemplis clarius percipiatur, unum atque aliud pro illustratione adjiciam. Ante biennium ad evangelicorum, quod ab oratoriorum, ruinam minitantium reparatione inhibebantur, querelas, resolvit serenissima regina benignissime, se de mali hujus remedio prospecturam; missum etiam est ab excelso consilio regio et publicatum mandatum, ut protestantibus ipsorum oratoria aliaque ecclesiastica aedificia liceat reparare, augere, et si necessitas postulaverit, etiam nova erigere, ita tamen, ut id semper prius loci illius magistratui significent, magistratus autem, num reparatione sit opus vel minus, revideat, ea de re consilium regium informet, atque ita deinceps, obtento consilii regii indultu, sese ad reparationem accingant; ut adeo jam vix foramen aliquod in oratorii aliusque ecclesiastici aedificii tecto, absque molestis istis ambagibus obstruere liceat. Et quanquam Cremniczii, magistratus illius loci, inevitabilem erigendorum novorum, in nationis germanicae oratorio parietum, necessitatem agnovit, consilium etiam regium, accepta magistratus informatione, in reparationem illam consensit; nihilominus tamen, cum jam aedificium non sine gravi sumtu ad finem perduceretur, ad ejusdem consilii regii mandatum est dirutum, ut adeo nunc germani cremniczienses, sub nudo, absque parietibus tecto divinum cultum peragere cogantur.

§. 42. Ita, regia sua majestas, recenti peculiari mandato commisit, ut in comitatu sáarosiensi, in pagis Gulvisz et Kakasfalva, designent domini terrestres evangelicis loca, pro oratoriorum exstructione, cum tamen vix viginti similes pagi sint tanti, ut absque aliorum benefactorum auxilio, vel unicum vile ligneum oratoriolum erigere possint. Inclyta tamen evangelica nobilitas ne gratiam hanc regiam videatur spernere, in publica comitatus Eperjessini celebrata congregatione, mandati hujus executionem urgebat; verum retulit a catholicis non sine sarcasmo responsum: terrestrem illorum pagorum dominum ipsam esse reginam, cum sint bona fiscalia, adeoque oportere ipsos Viennam excurrere, reginamque pro locorum illorum excisione invitare. Interim dum

evangelici vana ista duorum oratoriorum obtinendorum spe lactantur, multo plura eisdem lapidea templa eripiuntur.

§. 43. Nec aliter comparatum est cum collatis dignitatibus. Quanquam enim nonnulli ex inclyta protestantium nobilitate, regiorum consiliariorum titulis, quos nunquam adpetebant, sunt ornati; ad regia tamen consilia ita non admittuntur, quemadmodum alii evangelici nobiles ad dignitates et officia regni et comitatensia, etiamsi maxime sint idonei, praeponunturque ipsis multis in locis idiotae, jura patriae regnique negotia aeque cum ignarissimis intelligentes, unice ob religionis respectum, ut illi magis in dies deficiant et extenuentur, isti autem crescant et locupletentur, ipsorumque exemplo, alii ad amplectenda romano-catholica sacra, alliciantur. Quod quam dolorosum sit ferre antiquissimis innumerisque meritis clarissimis nobilium Hungariae familiis, illi, credo, norunt optime, qui majorum suorum memores, virtutibus illis haud dispares, ex solo religionis odio, avita dignitate indigni habentur, utut hunc sui contemptum ipsi generoso contemnere videantur animo. Quod vero protestantes ad militaria promoveantur officia, promoventur solummodo ideo, ut amoveantur, ipsorumque numerus magis in dies deficiat. Olim quidem in Hungaria nobilitas per bella augebatur, nunc tamen per bella nobilitas evangelica minuitur. Atque hoc est fundamentum publicarum illarum relationum, quibus multi magni viri sibi sunt passi imponi, ac si Hungariae protestantibus avitae ipsorum libertates non tantum essent restitutae, sed etiam auctae: haec est ratio, quod integrae quoque serenissimorum regum et principum aulae in illa perseverent opinione. Loquuntur etenim, scriptitant et publicant adversarii cum augmento id modicum, quod protestantibus in speciem conceditur, subticent vero id multum, quod ipsis adimitur.

§. 44. Credo saltem, romano-catholicos, nullum in suis ad exteros epistolis nominasse templum, protestantibus ereptum, cum tamen illius tyrannidis nullus in Hungaria finis. Sunt autem hujus iniquitatis duo inprimis in Hungaria instrumenta: officiales videlicet comitatenses et domini terrestres. Inter illos eminuit in comitatu praesertim sáarosiensi Stephanus Bornemisza vice-comes, quippe qui hajdonibus uti vocantur, seu comitatensibus militibus armatis, tanquam lictoribus stipatus, integrum percurrebat comitatum, templa violenter occupando, paro-

chosque catholicos in illa introducendo, ut idcirco frequentior ejusdem in actis commissionalibus, quam Pilati in historia passionis Christi, fiat mentio, quod in aliis comitatibus per alios factum. Ad dominos terrestres quod attinet, illi integrum suum ponunt praesidium, in perniciosa illa art. 25. comitiorum soproniensium inserta simulque explanationis Leopoldinae an. 1691. formula: salvo jure dominorum terrestrium. Quoniam vero formula illa ab ipsis romano-catholicis adsuta, absque omni ad hanc vel illam religionem restrictione sit posita; in Hungaria autem non tantum catholici, verum protestantes quoque sint domini terrestres, cur idem istis quoque facere non est licitum? cum tamen quod uni justum, alteri aequum esse oportere, omnia clamitent jura. Quot, quaeso, quantique reperiuntur protestantes domini integros pagos jure hereditario possidentes? quibus tamen nec in tantum hoc jure uti conceditur, ut oratorium aut capellam pro se, suaeque fidei consortibus subditis exstruant, tanto minus ut templum, quod nec unquam attentarunt, occupent, suaeque religionis concionatorem introducant, sed una cum suis subditis parocho romano-catholico subesse, atque eidem decimas omnesque stolares proventus solvere coguntur. A contrario autem sit terrestris dominus quamcunque ineptus, ex quo nec rex, nec regnum quicquam utilitatis sibi polliceri possunt: sit non integri oppidi aut pagi, sed exiguae tantum portionis possessor: sit dominus non hereditarius, sed hypothecarius tantum, seu bona in pignore habens; at quia est romano-catholicus, hoc jure plene et impune utitur, nihil eidem obstantibus tam claris regiis diplomatibus templorum occupationes prohibentibus.

§. 45. Per haec instrumenta effectum est, ut ex 2000. et amplius templis, quae sub initium regiminis gloriosae memoriae Leopoldi soli evangelico-lutherani in Hungaria possederunt, non amplius 200., immo pauca supra 100. teneant. Horum sine scientia zelum expertus inprimis est, ac experitur non sine dolorosissimis suspiriis hucdum comitatus sáarosiensis, quippe in quo ex 80. et amplius evangelicorum templis 14. solummodo ipsorum usui deserviunt, ac ex illis duo, abossiense nempe et polomense, me adhuc in Hungaria existente, in extremo versabantur periculo. Ac abossiense quidem ante aliquot annos illustrissimus baro Sztáray vi occupare tentabat; verum cum in apo-

stolica illa expeditione parum abfuit, quin in templi janua pedem amiserit, muneri huic renunciavit. Successit ei tamen Görgey quidam certam pagi Abos portionem in pignore tenens. Hic omnem movet lapidem, ut abossienses atque alios plurimos, pro verbi dei auditu et sacramentorum usu a fluvio Hernath illuc confluentes, per templi occupationem, pretiosissimo hocce privet thesauro. Ante annum volebat id vi efficere, plebanumque, quem in sua intertenet domo, auxilio haydonum comitatensium, sibi illum in finem a vice-comite tacite submissorum, in templum introducere; quod tamen eidem ex voto non successit, siquidem coloni, consiliorum ejus conscii, excubias ad templum collocarunt, datoque aeris campani signo, turmatim illuc confluxerunt, quanquam idcirco Eperjessini in comitatus congregatione gravibus mulctati sint verberibus. Postquam vero violentae templi occupationis spem amisisset, quaesivit modum, quo pastorem evangelicum R. D. Joannem Pruni pago exturbare posset. Vim adhibere propter sibi jam notum colonorum zelum non judicavit consultum, hinc ad subtiliora convertit sese media. Scivit ministrum illius ecclesiae praeter aliquot frumenti coros nullos alios habere proventus: scivit quoque potiorem hujus frumenti partem suos evangelicos contribuere subditos; proinde sub gravi poena eis demandavit, ne quid amplius lutherano praedicanti solvant. Cum autem observasset ipsos plus deo quam hominibus obedire, suoque animarum pastori exiguum illud obtingens rite pendere, ipse assumtis servis domos subditorum invasit, universamque ipsorum, quae in domibus reperiebatur, supellectilem in suas aedes deferri curavit, nolens restituere, nisi omnes subscripserint, se amplius non pastori evangelico, sed plebano catholico soluturos, ut miser Pruni fame expelli possit. Quia tamen neque hoc successit, hinc sub captivitatis meae initium perillustris dominus Sigismundus Merse de Szinye vice-comes, et N. Schusztrik nobilium judex cum aliquibus juratis ad ecclesiam abossiensem sese contulerunt, templum illud autoritate comitatensi occupaturi; a colonis tamen repulsi, re infecta rediere. Quid post meum ex Hungaria discessum vel cum templo illo, vel cum defendentibus illud colonis sit actum, nescio. Id tamen certo asseverare et ex armatorum horum apostolorum minis concludere possum, quod carceres, atrocia verbera aliasque poenas non effugerint.

§. 46. Templum vero polomense quod concernit, illud occlusum, sub nominati prius domini vice-comitis sigillo tempore meae ex Hungaria fugae, una cum turri et campanis tenebatur, cujus tragoedia fere jam ab anno luditur. Initium hujus post ferias pentecostales anni praeteriti 1746. fecerunt aliqui minoris momenti nobiles ex inclyta familia Berzeviczyana, cum parocho romano-catholico oppidi Berzevicze. Hi, dum per certum exploratorem fuissent informati, incolas polomenses paucissimos domi, plurimos autem in tuguriis esse, assumptis secum fabris serariis, ibant sub praetextu venationis per sylvas, usque dum nemine observante, ad templum pervenissent, quod etiam, effracta per fabros janua, sunt ingressi. Parochus initio pyxidem cum hostia altari imposuit, deinde sacrarium intrans, quicquid sacrae supellectilis repererat, una cum aliqua pecuniola surripuit, ac tandem una cum sociis, postquam tumultum in pago ortum esse observasset, in sylvam profugit. Patronatus evangelicus et coloni nolebant templo privari, sed neque sunt ausi illud pro peragendo cultu divino subire, hinc in coemeterio solummodo sacra peragebant, templum interim diu noctuque armati custodientes. Festo Corporis Christi parochus berzeviczensis collectis quamplurimis romano-catholicis, illius erat intentionis, ut templum illud processione subeat, idemque solenni ritu ecclesiae romano-catholicae reconciliet; quia tamen scivit lutheranis nec zelum, nec animum, nec manus, nec, quod praecipuum est, justam deesse causam, ideo pro sternenda via, certus equestris legionis, in comitatu sáarosiensi tum degentis, locumtenens, cum armatis 15. gregariis militibus erat praemissus. Cui tamen adventanti occurrit prodiens armatus e coemeterio perillustris domini Christophori Berzeviczy maximus natu filius, cum duobus fratribus, quaerens: quidnam cum armatis illis militibus velit? Qui dum aperte respondisset, se requisitum esse ut templum ipsorum occupet, dominus Berzeviczy quaesivit denuo: num sit regio mandato instructus? Si regium mandatum habeat, se templi claves sponte eidem traditurus, nec opus esse ullis militibus; verum si regio destituatur mandato, quod omnes illi (manu super turbam in coemeterio congregatam monstrans) parati sint suum potius profundere sangvinem, quam templi occupationem permittere. Quibus auditis locumtenens cum militibus recessit, plebanus vero, qui jam sua cum cohorte et ve-

xillis eventum rei extra oppidum Berzevicze praestolabatur, domum rediit.

§. 47. Post aliquot septimanarum decursum, dum polomenses justo securiores, ad templum armati excubare desierant, advenerunt tempore nocturno armati haydones comitatenses una cum suo ductore, ab illustrissima domina Clara Barkóczy, excellentissimi domini Thomae Szirmay, comitatus sáarosiensis supremi comitis conthorali, moderni vero agriensis episcopi Francisci Barkóczy sorore, pro templi hujus occupatione subornati. Qui dum propter praeclusam coemeterii, lapidibus vero obrutam templi januam ingredi non possent, scalas muro admoverunt, per fenestras intrare volentes. Hunc tamen eorum ausum observantes coloni, rusticis suis armis instructi concurrerunt, hajdonesque concussos dispulerunt, collaceratis etiam nonnullorum, ac inprimis ductoris vestibus et indusiis. Dum autem templi hujus negotium ad altiores delatum esset magistratus, haec loco solatii allata est a consilio regio resolutio: Quandoquidem templi polomensis altari venerabile jam est impositum, idcirco a catholici suum divinum cultum amplius ibidem peragere non possunt. Haec enim a romano-catholicis in ecclesiarum evangelicarum perniciem inventa est subtilitas, ut si alia ratione templum occupari non potest, hostia solummodo consecrata altari imponatur. Si itaque romano-catholicus aliquis parochus, vel vi, vel fraude in evangelicorum templum irrepere, suamque cum hostia pyxidem vel capsulam super altare ponere potuerit; nulla amplius superest evangelicis spes templum illud retinendi. Quodsi vero aliquis attentaret capsulam illam attingere aut templo efferre, manu infallibiliter truncaretur. Tali ratione occupatum est ante non multos annos templum roskovanense in eodem comitatu sáarosiensi. Hic pariter adversarii irruerant, suumque venerabile super altare collocaverant. Quia vero evangelici templum praecludentes, clavesque retinentes, plebanum in illud immittere nolebant, gravis contra ipsos per modernum inclyti dicasterii eperjensis notarium perillustrem D. Sigismundum Podhorányi conscripta est querela, cujus praecipuum momentum est, quod lutherani vivum et omnipotentem deum in carcere detinuerint. Atque ita infelices roskovanenses, templo, et cum templo

totali quoque religionis exercitio sunt privati. Relegati quidem erant ad filialem ecclesiam volyensem, quo pro divino cultu solebant convenire; verum illa quoque per bonos vicinos sunt jam spoliati.

§. 48. Non soli vero comitatus sàarosiensis incolae tantam templorum jacturam amarissime deplorant; verum plurimi quoque alii suas eorundem admiscent lacrymas et suspiria. Horret certe animus vel meminisse, quot quantaque templa, sub moderno gloriosissimo Mariae Theresiae regimine, in partibus tantum cis et trans danubianis per dominos comites Eszterházy, Mercy, Grasalkovics aliosque terrestres dominos protestantibus sunt erepta. Quorum omnium nominum quum destitutus, quae in Hungaria possedi, documentis literariis nunc recordari nequeam, malo ab eorundem recensione in totum abstinere, quam in nonnullorum nominibus errorem committere. Non deerit tamen, spero, occasio haec accurate investigandi, et secundum omnes circumstantias luci publicae exponendi. Et cum in comitatibus, in quibus evangelici a plurimis retro annis in tranquillo templorum suorum erant usu et possessione, quaeve tum per articulum 26. soproniensium regni comitiorum an. 1681. celebratorum, tum per caesareo-regium an. 1731. die 6. Aprilis edictum evangelicis erant relicta et privilegiata, nunc talis templorum rapina coepit exerceri, quid ulterius evangelici in Hungaria sibi polliceri possint, haud difficile est colligere. Anni proxime praeteriti 1746. autumno, in comitatu gömöriensi venit ad R. D. Korbely pastorem alsó-sajóiensem sub praetextu amicitiae illustrissimi domini baronis Andrássy filius clericus, iter Viennam parans, ac proinde inter reliquos amicos ipsi quoque, tanquam qui plurima hactenus domui Andrássyanae praestabat officia, valedicturus, quem dominus Korbely uti gratissimo animo, ita lauto quoque excepit prandio. Finito prandio clericus pastori valedicens, simulato animi dolore, dixit: se jam Viennae sine dubio mansurum nec habiturum occasionem amplius ipsum conspiciendi: quoniam autem nondum habuit fortunam templum alsó-sajóiense videndi, hinc se majorem in modum petere, ut sibi illud demonstrare velit. Bonus ille senecio Korbely, cum solum tantum clericum apud se videret, nihil mali suspicatus, petitis ejus adsurrexit, acceptisque clavibus in templum cum ipso perrexit. Verum vix atque in illud fuissent ingressi, accurrerunt, in dumetis

hactenus latentes, baronis servi, qui claves templi surripuerunt, pastorem templo vi exturbarunt, clericus autem templi januam proprio obsignavit sigillo dicens: lutheranum praedicantem nunquam amplius in illo templo concionaturum. Post clerici illius discessum, dum populus, quae cum templo sunt acta, intellexisset, turmatim in coemeterium concurrit, atque effracta templi janua, pastorem introduxit sacraque peragere adegit. Post aliquot dies, advenit ipse dominus baro senior, cum judice nobilium, armatisque hajdonibus, ausum filii sui promoturus, templumque violenter occupaturus; verum cum plebem ex vicinis, qui ejus dominio non subsunt, pagis confluentem observasset, relicto illic nobilium judice, re infecta discessit, coloni vero equum, cui judex nobilium insidebat, arripientes, extra pagum eduxerunt, suaque repetere vestigia jusserunt. Dum autem ego jam captivus tenerer, accepi, pastorem loci tanquam tumultus autorem, ad supremi comitis Pauli Balassa, praecipui stellatae societatis membri, mandatum, comprehensum, atque in comitatenses carceres deductum esse; confirmationem tamen hujus in Hungaria non exspectavi.

§. 49. Quod vero aliis quoque in hocce comitatu ecclesiis periculosae struantur insidiae, vel inde patet, quod in oppida privilegiata, in quibus a duobus seculis, a tempore nempe receptae augustanae confessionis, nullum romano-catholici habebant suae religionis exercitium, romano-catholici parochi sint introducti, idque praeter omnem necessitatem. In oppido certe Dobscha unicus solummodo catholicae religionis incola reperitur, attamen plebanus per comitatenses officiales praeterita anni 1746. aestate introductus est, crediderim, non tam propter unicum hunc hominem, quam ut templo insidietur, ad ejusque occupationem aditum paret. Id quoque de oppido Ratkovia integre evangelico auditur. Inprimis autem invidis adversarii intuentur oculis amplissimum aeque atque amoenissimum templum csetnekiense. Et quanquam praeter perillustrem dominum Pletrich modernum vice-comitem, vix unicus romano-catholicus civis illic reperitur (nisi aliquis advena haud pridem irrepsisset), praeterea pro catholicorum divino cultu capella satis ampla, prope oppidum, datur exstructa, illa tamen non contenti, nomine totius csetnekiensis dominii libellum supplicem ad excelsum consilium regium dede-

runt, quo pro facultate erigendae in oppido capellae supplicarunt, additis expresse verbis: donec templum parochiale una cum parochia obtinuerint. Consilium regium velut magis evangelicorum oppressionem, quam regni salutem pro suprema lege habet, ita etiam supplicantibus hisce prompte resolvit: ut capellam qualemcunque voluerint, sibi in oppido interim exstruant, donec templum parochiale una cum parochia obtinuerint. Ac locus quidem pro aedificio illo in oppidi medio est excisus, plebanus, qui jam jura parochialia sibi vindicat, in oppidum introductus, campana erecta, lapides convecti, capella tamen non aedificatur, illam sine dubio ob causam, quod sperent se brevi templum occupaturos integrumque oppidum, quod lutheranam metropolim, propter tres illic continuo habitos evangelicos superintendentes vocitant, sui juris facturos.

§. 50. In districtu kis honthensi praeter unicam Szucham, omnes reliquae sunt protestantium ecclesiae, ac duae quidem helveticae, residuae vero 14. augustanae confessioni addictorum. Quarum tamen una ex praecipuis, osgyanensis nempe, praeclarum Musarum domicilium, haud levi exposita est periculo, propter introductum partim dolo, partim vi, et solenni ritu pro ordinario loci parocho inauguratum plebanum catholicum, qui pariter jura parochialia sibi arrogat. Dum enim tempore ante sexennium grassantis pestis, inter reliquos ordinarius quoque illius loci V. D. minister, R. D. Stephanus Bodzay, hoc malo esset exstinctus, osgyanenses, ne in extrema sua necessitate medio spirituali-que destituentur medicina, libellum supplicem conscripserunt, et medio judicis nobilium domini Stephani Kubinyi lutherani quidem, sed cum pontificiis tacite jam colludentis, illustrissimo domino comiti Paulo Balassa sanitatis commissario, tradi curarunt, lutheranum pastorem clarissimis verbis sibi quantocyus mitti petentes. At enim vero duo isti viri, suppresso. libello supplice, parochum romano-catholicum eis miserunt. Quem quia osgyanenses noluerunt admittere, sed in locum demortui, R. D. Paulum Áldássy evocarunt, idcirco non tantum colonis gravissima a consilio regio dictabatur poena, verum patroni quoque ecclesiae, perillustres domini Georgius Battik et Gabriel Korponay, jure a domino comite Balassa sunt impetiti. Quorum justam causam cum contra iniquas comitis impetitio-

nes pro virili defendisset, celebris advocatus perillustris dominus Stephanus Bornemisza (diversus ab illo persecutore, cujus §. 44. facta est mentio), ideo per consilium regium pro silentiario, uti in Hungaria vocatur, est declaratus, omnique amplius agendi et allegandi facultate privatus: quae gravis poena deinde a serenissima regina est relaxata. Parochus autem romano-catholicus ad consilii regii mandatum porro est introductus, qui initio apud illustrissimam dominam Claram Vas, defuncti domini baronis Francisci Luzsinszky relictam viduam hospitabatur, nunc vero in domo comitatensi adsignatum sibi occupavit hospitium. Quod malum ne altius serpat, est quod sibi merito metuant kis-honthenses.

§. 51. Auget hunc protestantium Hungariae metum nova, et me jam in carcere existente peragi coepta inquisitio, atque omnium evangelicorum templorum conscriptio, qua investigatur, quod templum quando, et per quos, num catholicos vel evangelicos sit exstructum? Qua ratione omnia, quae ab evangelicis adhuc possidentur templa, occupationis periculo sunt exposita, ac nova quidem, quia recenter, antiqua vero, quia a romano-catholicis, ante tempora adhuc reformationis sunt aedificata. Jam dum loca cultui divino religionisque exercitio sacrata continuo, idque impune eripiuntur, facile est prudentibus concludere, adversarios non aliud intendere, quam ut ipsam quoque in locis illis propositam doctrinam et religionem paulatim exstingvant.

§. 52. Haec tanta templorum partim violenta, partim vero fraudulenta rapina, non potest non protestantium corda profundissime sauciare. Hinc etiam fieri non potuit, qüin inclyta nobilitas evangelica de tam gravi sibi inferri solita injuria, apud augustam aulam saepius quereretur. Nam ut taceam proposita hac in materia, in commissione pesthiensi gravamina, ubi omnia erepta templa, cum ademptionis autoribus, instrumentis, tempore et modo, juxta comitatuum seriem deducuntur, quod ex ipsis actis commissionalibus ad oculum patet, vix hactenus praeteriit annus, ut non similibus querelis augustissimae aures obtunderentur. Prodiit etiam haud unum ad protestantium querelas regium mandatum, inter quae praecipue memorabile est Carolinum an. 1732. die 12. Julii publicatum, in quo tam dominis terrestribus, quam comitatensibus officialibus, omnis templorum occupatio, absque scitu et

consensu caesareo-regiae majestatis, interdicitur. Immo sub decursum quoque praeteriti 1746. anni unicum sub regio nomine, per aliquos comitatus est publicatum ; in nullo tamen adhuc recordor demandatum fuisse romano-catholicis, ut adempta templa evangelicis restituantur, sed tantum, ut inposterum ab eorum occupatione abstineant, et protestantes in statu quo relinquantur. Ita nempe fit, ut unum templum post aliud protestantibus adimatur, donec ipsis nullum amplius fuerit relictum, et tamen porro in statu quo semper manere jubentur. Non secus, atque si ad meam, de adempta per magistratum et jesuitas eperjenses bibliotheca querelam, mitteretur ad eosdem mandatum, ne amplius meam bibliothecam adimere praesumant; cum tamen ego non supplicem, ne mihi bibliotheca adimatur, siquidem nullam amplius habeo ; sed ut adempta mihi restituatur.

§. 53. Utinam autem evangelicis, templis orbatis, publicoque religionis suae exercitio destitutis, saltem loca, in quibus illud adhuc viget, tuto liceret invisere ! At enimvero hic quoque haud facile superandum ipsis ponitur impedimentum ; siquidem plebani dominique terrestres omne adhibent studium, ut ab evangelicarum concionum auscultatione ipsorum auditores et subditi abstrahi et arceri possint, quo tali ratione plantata in animis ipsorum doctrinae salutaris notitia, paulatim minuatur, zelus exstingvatur, ipsi catholicorum ceremoniis adsvescant, tandemque eo facilius ad mutandam religionem inducantur, vel tot tantarumque divexationum pertaesi, pacisque cupidi, sponte sacra romano-catholica amplectantur. Similium exemplorum plena est Hungaria ; nolo tamen remotiora et quae in aliis geruntur comitatibus commemorare, domesticis, atque iis recentissimis hac vice contentus, quippe ex quibus haud difficile erit percipere, quid in aliis quoque Hungariae comitatibus agatur. Quanta cum severitate in comitatu sáarosiensi illustrissimus dominus comes Szirmay Junior szent-mihályenses suos et osztropatakienses subditos ab evangelicorum jakabfalvensium et cibiniensium sacrorum visitatione inhibeat, suisque non obtemperantes prohibitionibus puniat, lippis et tonsoribus in Hungaria notum est. Coecum hujus zelum aemulatur illustrissimus baro dominus Stephanus Klobusiczky radácsiensis, quippe qui quolibet sabbathi, festumque aliquod praecedente die servum suum per omnes evangelicorum subditorum domos solitus

est mittere, sub gravissima demandans poena, ne quis ausit imminente solis aut festo die, Eperjessinum pro audiendo dei verbo se conferre, sed ut omnes in domestico catholicorum templo compareant. Quicunque autem neglecto hocce domini sui terrestris mandato Eperjessini fuisse deprehenduntur, illi vel atrocibus affliguntur verberibus, vel verbera pecuniis redimere coguntur. Unde jam factum, ut haud pauci relictis aedibus aliisque immobilibus rebus, trans Tibiscum, aut in alia remotiora loca se contulerint. Hoc nempe est iliud: compelle intrare.

§. 54. Quemadmodum vero plebs evangelica a templorum suae religionis visitatione arcetur; ita ecclesiarum evangelicarum ministris non tantum morbidos fidei suae consortes in pagis et oppidis pontificiis parochis subjectis existentes invisere, eosdemque solatio aut sacrae domini coenae epulo reficere simpliciter est prohibitum; verum nec in aliis quoque privatis negotiis loca ejusmodi subire, aut iter per illa facere amplius est tutum. Enimvero mihi ipsi contigit, ut dum ad multas invitationes perillustrem dominum Davidem Meltzel invisere volens, pagum Radács transiissem, a loci parocho, cantore aliisque ex academia cassoviensi proscriptis studiosis stipato, fustibus, in publica via, concussus fuerim. Dum autem rev. dominus Joannes Christophorus Anders, olim bartphensis, nunc igloviensis ecclesiae minister, socerum, amicosque suos bartphenses salutare, certaque privata negotia illic exequi voluisset, tametsi tum a domino civitatis judice, tum a domino vice-archi-diacono liberum in civitatem obtinuisset ingressum; nihilominus tamen vix atque amicos conspexisset, a domino vice-archi-diacono, sub praetextu perhumanae et amicae invitationis in parochiam allectus, ut illic captivus maneat, in mandatis accepit. Quibus ipse parere nolens, dum ad januam se reciperet, a vice-archi-diacono arreptus, capillamento privatus, nudoque capite ex aedibus extrusus est, acceptis nonnullis ictibus. Ac nisi cives evangelici obstitissent, a pueris, a vice-archidiacono dispositis, lapidibus in platea fuisset obrutus. Pariter dum rev. dominus Andreas Holvajdt, vir aetate gravis, atque a quadruplici jam ecclesia exul, damnum currui per incendium illatum, in pago Péchy-Ujfalu reparandum volens opificem ea de causa convenisset, a catholico loci illius parocho, verberibus misere adfectus est. Inprimis autem omnes prudentes, credo, detestaturos,

vim, a PP. minoritis Quintofori residentibus, reverendo domino Andreae Grosz ecclesiae leutschoviensis bohemicae ministro illatam: quippe cui Hadusfalva, a perillustri domino Ujházy redeunti, dum Quintoforum contigisset pertransire, die 6. Jun. an. 1747. ab iisdem patribus in libera via comprehensus, carcerique, in summa claustri contignatione inclusus est, ex quo tandem, nullum alium liberationis videns modum, lintei, quo lectus erat stratus, beneficio, per fenestram sese demittere, linteique brevitatem altiore saltu supplere est coactus, quem periculosus, ac fere desperatus secutus est morbus. Plura exempla supervacaneum esset commemorare.

§. 55. Inprimis autem directe ad doctrinae evangelicae et cum ipsa omnium protestantium ex Hungaria eliminationem tendit indomita illa hostilitas, quam romano-catholici adversus evangelicorum scholas exercent, qua manifeste Juliani apostatae tempora reducere adlaborant. Quemadmodum enim ille, ut christianae doctrinae cursum eo facilius impediret, atque eam funditus aboleret, scholas christianorum occludi praecepit; ita moderni in Hungaria doctrinae evangelicae persecutores nihil tam aegre ferunt quam evangelicorum scholas, atque idcirco omnes artes et fraudes, omnem vim et potentiam in id impendunt, ut eosdem scholis, omnibusque, quae ex scholis in ecclesiam et politiam redundant, commodis privent. Unde non est amplius evangelicis in Hungaria schola, in qua altiora studia libere possent proponi, sed omnes partim ad rhetoricam, partim vero, uti schemniczienſis, ad grammaticam solummodo sunt restrictae. Ante biennium, scholae evangelicae eperjensis informatores, clarissimus dominus Joannes Longay rector, clarissimus dominus Joannes Georgius Doloviczeny con-rector, atque e collegarum numero dominus Joannes Hrabovszky, ad excelsi consilii regii mandatum per loci magistratum citati, sub stricto fateri debuerunt juramento, quae studia proponant? quot discipulos habeant? nonne philosophicas etiam aut alias altiores disciplinas auditoribus suis inculcent? etc. In quibusdam locis saepe ex improviso jesuitae in evangelicorum scholas, publicarum lectionum tempore irruere solent, ut, quid rectores doceant, observent, quod Neosolii ipse frequentius vidi. Praecipue vero propter scholam gravissimas perferre sunt coacti

molestias cibinienses. Dum enim pro rectore evocassent clarissimum dominum Davidem Fabricium, atque ipsorum schola hujus industria coepisset crescere et efflorescere, patres piaristae, seu ut vocari cupiunt, piarum scholarum cum loci magistratu, non cessarunt contra bonum hunc virum simulque ecclesiam tumultuari et furere, donec ipsum Cibinio exturbassent. Immo, nisi a certo praemonitus amico mature profugisset, in compedes fuisset conjectus. Quamprimum autem de ejus discessu fuissent piaristae informati, scientes ipsum non aliorsum, quam Eperjessinum se recepturum, subornarunt cum magistris studiosos, qui arctiorem infra civitatis hortos transitum occuparent, transeuntemque lapidibus obruerent; verum ipse per alium iterum amicum de instante praemonitus periculo, sinistram versus deflectens, structas sibi insidias evitavit, atque salvus ad me tempore nocturno advenit.

§. 56. Quod ex hacce scholarum restrictione potuit in Hungaria metui eruditorum et eruditionis decrementum, illi hactenus per aliarum provinciarum scholas et academias occurrebatur, siquidem quotannis copiosi exire solebant adolescentes, studiorum cursum in academicis subselliis continuantes; attamen nunc invidia tabescentes adversarii, hunc quoque ad universitates exitum, tantis implicarunt difficultatibus, ut haud pauci, optimae indolis magnaeque spei adolescentes, animum a studiis abjecerint potius, quam ut tot tantasque vexas ac molestias subire debeant. Postquam enim serenissima Hungariae regina peculiari edicto gloriosissimi sui quondam genitoris Caroli VI. mandata confirmasset, atque ad eorum observationem regnicolas strinxisset, romano-catholici neglexerunt executionem illorum, quae quadamtenus protestantibus favere videbantur. Nihil enim scire volunt de mandato Carolino anni 1732. d. 12 Julii, quo templorum occupatio interdicitur; nihil de anni 1733., quo juramentum per b. dei genitricem et sanctos evangelicis relaxatur. Ex mandato anni 1731. die 6. Apr., quod serenissima regina pro norma vult haberi, punctorum, quae contra protestantes sunt, strictissimam observationem urgent severissime, alia tamen, ad quae protestantes provocare solent, negligunt, contemnunt, immo sese manifeste ipsis opponunt, quod supra magistratus eperjensis exemplo est demonstratum. Verum quod concernit mandatum an. 1725., quo studiosorum evangelicorum ad academias exitus constringitur, illud reputant pro inviola-

bili. Quapropter mox a consilio regio haud unum hac in materia prodiit edictum. Ac initio quidem, ne quis absque regiis salvi conductus literis exire ausit, quodsi vero aliquis exiverit, illius parentes, praeceptores et promotores, una cum ipso, poenae arbitrariae subjiciendi dictantur. Tales autem literae novae quolibet anno peti praecipiuntur. At enimvero etiamsi petantur, raro obtinentur, multa temporis jactura, molestis fatigiis et gravibus expensis redimi debent, cum jam ipsarum pretium usque ad 20. finos adsurrexerit. Deinde eodem praecipitur edicto, ut quicunque in exteris morantur provinciis, illi peremptorie, intra sex mensium spatium in patria reperiantur. In quantum, quaeso, moerorem, in quantam confusionem per istud edictum praecipitati sunt academici Hungariae cives, dum plurimi vix degustatis academicis studiis, re infecta, praecipitanter in patriam redire sunt coacti. Causam praecipitis hujus revocationis prodidit optime tricesimator altdorfiensis. Dum enim Davidis Fabricii, Jacobi Lányi, atque aliorum redeuntium reculas revidisset, ab istisque fuisset quaesitus: quae esset genuina causa tam tumultuariae revocationis? respondit: Haec est, dilecti! causa, quod noster clerus habere velit, ut omnes lutherani sint boves et asini. Crude quidem, sed vere dictum. In reditus autem studiosorum tempus tam diligenter magistratus invigilabant, ut Eperjessini tres candidati, Joannes Schwartz, Israel Markovics et Philippus Jacobus Czabkay, ad curiam fuerint citati et quando exiverint, ubi studuerint, nec non quando redierint, stricte examinati. Porro, his nondum contentum consilium regium, stringit Hungariae protestantes ad dandam genuinam informationem, quomodo ipsorum studiosi in academiis sustententur? Et quoniam observat idem regium consilium paucissimos illorum, quibus res lautior domi, ad academias sese conferre, sed pauperiores solummodo atque aliorum stipe et munificentia promotos, pro salvi conductus literis supplicare; hinc ultimo, et quidem recentissime decrevit: ne quis ad academias exire, aut pro passualibus, uti vulgo vocantur, instare ausit, nisi prius loci, ex quo est, magistratus testimonio demon-

straverit, se propriis, et non aliunde collectis exire sumptibus. Haec, nempe, sunt praeludia totalis ad academias exitus inhibitionis.

§. 57. Deo tamen sint immortales laudes, quod hungarorum evangelicorum studiis, in tantis afflictionibus adeo benedicat, ut non solum in ecclesiastico, verum in politico quoque et civili statu reperiantur viri, nulli adversariorum eruditione cedentes, ut adeo quicunque solidam juridicam eruditionem et prudentiam in Hungaria invenire voluerit, illam, ipsorum romano-catholicorum confessione, apud nobiles evangelicos quaerat, necesse est. Hinc celeberrimus quondam ille intimus caesareus consiliarius Germeten, inclytam nobilitatem evangelicam, propter ejus eruditionem, animam regni adpellare solebat, ac celsissimus princeps Emericus Eszterházy, primas regni et archiepiscopus strigoniensis, in certo publico Posonii habito consessu dixisse fertur: Quanquam nos acatholicorum scholas restringamus, exitumque ad academias ipsis praecludamus, tamen porro nos eruditione superant. Eo respexit perillustris condam dominus Dvornikovics, comitatus honthensis vice-comes, qui cum nonnulli cum gaudio ipsi referrent, D. Georgium Szentiványi romano-catholicam fidem esse amplexum, respondit: Non esse majores stultos, quam catholicos, super alicujus lutherani conversione exultantes; si enim omnes evangelici religionem catholicam receperint, neminem modernorum catholicorum in aliquo mansurum officio. Ac profecto quotidiana docet experientia, vix aliquem occurrere alicujus momenti casum, extra religionis tamen negotium, ut non ad ejus revisionem et decisionem evangelici juristae adhiberentur: vix aliquis magnatum Hungariae juridico alicui processui est involutus, ut non apud illos, quorum quaerit exitium, quaerere cogatur perfugium, suaeque causae patrocinium. Nam ut alios nunc praeteream, ipse modernus reverendissimus agriensis episcopus, Franciscus Barkóczy, qui merito maximis evangelicorum Hungariae persecutoribus accenseri potest, in juridico, quem recenter contra Eperjessinum aliasque superiores Hungariae civitates, respectu decimae, movit processu, lutheranis advocatis causam suam concredidit, perinde

atque eperjensis aliique magistratus lutheranorum advocatorum contra episcopum opem et patrocinium implorare sunt coacti. Quemadmodum vero in jure evangelicos politicos, ita in arte quoque medica evangelicos doctores et medicos in Hungaria excellere, nec ipsos episcopos, et magnates Hungariae, eorundem opera hactenus carere voluisse aut potuisse, nemo rerum Hungariae gnarus inficiari potest. Velut itaque Cicero in responsoria ad Salustii criminationes oratione (quae ipsi a nonnullis adscribitur) dixit: Tu, qui mihi eloquentiam, ut vitium audes objectare, cujus semper nocens eguisti patrocinio? ita romano-catholici evangelicos oderunt odio incurabili, proscindunt calumniis, onerant conviciis, persequuntur usque ad necem, mallentque hodie quam cras ipsorum cernere excidium, adimunt eisdem omnes discendi et emergendi modos et occasiones, cum tamen semper nocentes, aut alias bene sibi consuli cupientes, ipsorum egeant ope, consilio et patrocinio.

§. 58. Quemadmodum vero romano-catholici omnibus salutaribus evangelicorum profectibus obicem et impedimentum ponunt per scholarum restrictionem, et exitus ad academias prohibitionem: ita ipsa quoque sapientiae, eruditionis et doctrinae evangelicae semina funditus exstirpare intendunt, per librorum ademptionem. Quia enim nullam amplius evangelici in Hungaria possident typographiam, ipsa postulat necessitas, ut ex aliis regionibus libros sibi adferri curent. At enimvero nulli rei in limitibus Hungariae tam diligenter invigilatur, quam libris. Disjiciuntur enim et pervestigantur omnes merces, et si libri aliqui reperiantur, quales tandem cunque illi fuerint, absque ullo respectu rapiuntur, et vel comburuntur, vel alia ratione corruptioni traduntur, adeo, ut ne ipsi quidem dei verbo, quod tamen in omnium cordibus opulenter habitare debet, amplius parcitur, cum tamen mandatum solos tantum scandalosos et controversos invehere prohibeat libros. Notum est horrendum Antonii Gabrielis Erdödy, defuncti agriensis episcopi factum, qui 4000 bibliorum hungaricorum exemplaria adimi curavit. Et quanquam fama tulerat, omnia igni fuisse injecta, tamen haud pridem sum informatus, non quidem esse combusta, sed Cassoviae per humida disjecta cellaria, ne corrosa et putrefacta alicui usui esse possint. Ipse pretiosorum, qui mihi vehebantur, librorum, Solnae per jesuitas ademptorum et Vulca-

no consecratorum jacturam, suspiriis in silentio sum prosequutus, nemini animi mei dolorem ejusque causam manifestare ausus. Aestate proxime praeterita, in comitatu arvensi 40. bohemicorum bibliorum et 300. Nuclei theologici, itidem bohemici exemplaria, moderno autem vere, ingens librorum copia, in comitatu scepusiensi, aurigis est erepta. Et quis, quaeso, infinitam propemodum librorum, vel per solos solnenses jesuitas ademptorum, copiam recensere posset, cum quivis illatum sibi hac ratione damnum alto premat silentio, ne in aliud gravius incidat? Jam haec talia facinora, veluti sunt infallibile malae catholicorum causae indicium, ita nonne simul oppressioni in Hungaria evangelicae religionis manifeste praeludant, prudentibus judicandum relinquo.

§. 59. Nolo prolixus esse in recensione afflictionum, quibus miseri Hungariae protestantes per violentam juramenti per B. V. Mariam et sanctos extorsionem gravantur, cum id jam fere toti notum sit Europae, nonnullosque etiam serenissimos reges ad sinceram compassionem, et pro fidei suae consortibus apud gloriosae memoriae imperatorem Carolum VI. faciendam intercessionem, permoverit. Id tantum breviter lubet commemorare, quod quanquam decretum, in eoque fundata edicta, solos ad officia publica et dignitates promotos respiciant, modernus attamen romano-catholicus Hungariae clerus illa adeo extendit, ut nullus patriae filiorum in concivilitatem recipiatur, nullum par neo-sponsorum copuletur, nisi prius juramenti hujus depositione conscientiam suam cauterisaverit, suaeque religionis fundamentum laeserit, nihil curando, quod juramentum illud, quoad evangelicos peculiari an. 1733. caesareo-regio mandato sit relaxatum, ipsisque formula religioni eorundem conformi, absque omni B. V. Mariae atque aliorum sanctorum mentione, jurare permissum.

§. 60. Et quanquam ex abundantia et varietate peritorum artificum et opificum, haud exiguum regi et regno accedit commodum et emolumentum: unde alii serenissimi reges et principes, provinciis suis bene cupientes consulere, non solum adventantes recipiunt, verum ultro adhuc invitant, venientibusque nonnullas adhuc immunitates indulgent. Jam vero plurimi hactenus ex aliis provinciis venientes, soli hungarici fertilitate, aliisque allecti causis, sedem illic figere, civibusque incorporari cupiebant. Quia tamen adversarii observant per talium receptionem protestantium

numerum, quem ipsi imminuere intendunt, auctum iri; hinc malunt regem et regnum suis commodis privare, quam aliquod coetus protestantium augmentum admittere, prorsus similes vindictae extreme cupido, qui paratus est ipse oculum amittere, dummodo proximum utroque privare possit. Haec autem extraneorum repulsio liberis regiisque civitatibus, atque inprimis germanicis nationibus, non aliud, quam deplorandam minatur desolationem.

§. 61. His omnibus accedit adhuc violenta ad amplectenda romano-catholica sacra coactio, quae quomodo cum vera religione conciliari possit, ipse S. Cyprianus respondeat, qui dicit: Religio nihil coacti patitur: quodsi vero vel minimum est coactionis, jam non est religio. Ast nihil hoc curant plurimi catholicorum Hungariae, quin potius pro maximo id reputant merito, dum aliquem vi ad religionis evangelicae abnegationem adigere possunt. Unde illustrissima comes Szent-Iványiana, subditos suos alsó-sebesienses, prope Eperjessinum, carceribus subterraneis et verberibus adfligere non cessavit, donec omnes ad mutandam religionem adegisset. Et quoniam id apud certam feminam, quae reliquos omnes constantia superavit, efficere non potuit, pago eandem expulit, ut adeo derelicto marito, domesticis et re oeconomica, Eperjessini hucdum miseram ducit vitam. Qui comitissae zelus, quoniam a clero summis celebratur encomiis, hinc mirum non est, quod non paucos hac in re invenerit aemulatores et aemulatrices. Comes dominus Szirmay Junior ita quidem aperte propter religionem suos subditos simili poena non afficit; attamen si vel minimum signum vel inobedientiae, vel habitarum cum alio rixarum in aliquo potest observare, mox sub hoc praetextu miserum subditum compedibus includi, atque in subterraneos carceres conjici curat, nec dimittit, priusquam religionem evangelicam ejuraverit. Quam artem didicit sine dubio a domina sua noverca Clara Barkóczy, quae jam a romano-catholico clero, propter multifarias evangelicorum persecutiones, tantum non vivis sanctis adnumeratur. Quid vero agatur cum subditis evangelicis, qui PP. jesuitas terrestres nanciscuntur dominos, toti notum est Hungariae. Atque ut innumera alia subticeam exempla, vel unius styavnikiensis in comitatu scepusiensi, dominii subditorum, novis in dies

religionis causa persecutionibus gravatorum lacrymae et suspiria, omni exceptione majora exhibent testimonia.

§. 62. Si quid autem hac in re a dominis terrestribus negligitur, id a romano-catholicis parochis, et jura parochialia in civitatibus et oppidis tenentibus jesuitis, ultra mensuram compensatur. Tametsi enim Carolinum an. 1731. diei 6. Apr. mandatum per modernam serenissimam reginam confirmatum, puncto 7. expresse admittit, ut diversae religionis personae, praecise per parochum loci catholicum copulentur; attamen nullae similium copulantur, nisi prius pars evangelica religionem suam abnegaverit. Quodsi vero id facere noluerint, ab altari repelluntur, cujus rei innumera apud eperjenses et alibi habentur exempla. Accidit vero ante unicum annum in oppido Nagy-Sáaros, ut duo neosponsorum paria in templo pro matrimonii sui, per sacerdotalem benedictionem, confirmatione comparerent: quorum, cum alterius sponsus esset evangelicus et sponsa catholica, alterius autem sponsus catholicus, sponsa vero evangelica, plebanus loci P. Karaz vice-archidiaconus, noluit ipsis administrare copulam, nisi prius evangelicae personae catholicam religionem fuerint amplexae. Cum autem id nullatenus ab ipsis impetrare potuisset, permutavit propria autoritate, nec quaesito partium consensu, sponsas, atque evangelicam evangelico, catholicam vero catholico sponso copulavit. Non habent autem romano-catholici parochi, in pagis praesertim et oppidis existentes, commodiorem animas venandi occasionem, quam apud puerperas. Quia enim opinio illa profunde vulgi animis inhaeret: non licere puerperae domo egredi atque in hominum prodire conspectum, priusquam in templum per sacerdotem fuerit introducta; idcirco parochi talem introductionem multis in locis evangelicis puerperis denegant, nisi prius religionem mutaverint: si constantes in sua religione perseverant, domo exire non audent: si exiverint, rapiuntur, et vel infami peccatorum loco verberibus, vel arbitraria pecuniaria mulcta afficiuntur, cujus iniquae crudelitatis innumera Hungaria exhibet exempla.

§. 63. Inprimis autem sincera commiseratione et lacrymis digna est sors evangelicorum, qui in articulo mortis molestos hosce nanciscuntur consolatores. Quemadmodum enim nulli sibi ducunt religioni sacramentum hominis, in acutis febribus constituti, omni-

que sensuum usu privati, ori ingerere, qui convalescens amplius ad evangelicam ecclesiam redire non audet; ita procedunt quoque cum moribundis. Quamprimum enim ex subornatis ad id exploratoribus intelligunt aliquem evangelicum doloribus mortis superatum, sensus amittere, mox non vocati adsunt, expulsisque domo evangelicis, aliquando jam semimortui ori hostiam intrudunt, quem deinde ante mortem conversum esse undiquaque proclamant, magnaque cum solennitate sepeliunt, partim ut hac ratione imprudentes alliciant, partim vero, ut in derelictos, si qui sunt, liberos, aliquid juris usurpare possint. Danielis Krmanni, ecclesiarum evangelicarum snperintendentis meritissimi, et Jesu Christi martyris ad mortem usque constantissimi, propter bonum opus, in arcis posoniensis carcere vitam suam beate finientis, exemplum, notum est omnibus. Huic jesuitae posonienses, naturali jam calore destituto, et extra omnem tum lingvae, tum aliorum membrorum et sensuum usum posito, ejecta e cubiculo ejus conthorali, hostiam intruserunt, quam etiam labiis constrictam, in sepulchrum tulit. Tamen porro non puduit hos homines voce et scriptis ubique divulgare, magnum hunc virum, ante obitum haeresin lutheranam ejurasse, fideique catholicae confessionem edidisse. Quod certe non secus a Krmanno animam agente fieri potuit, quam illa a lapidea B. V. Mariae effigie, subnexa epistolae subscriptio, cujus Erasmus in Colloquiis meminit: ego virgo lapidea propria manu sub scripsi; cum Krmannus quoque quoad sensus, lapidi potius quam homini fuerit tum similis, dum confessionem illam ederet. Nec profecto dabitur in Hungaria facile exemplum, ut evangelicus, qui vita comite, nullis promissis, nullis minis aut persecutionibus, ac ne carcerum quidem diuturnitate ab evangelicae religionis confessione abduci potuit, in agone, dum nullus amplius deliciarum hujus mundi usus ipsi sperandus est, eandem abnegaverit. In Hungaria enim creditur id, quod quondam Samuel Tranoscius, celebris illius psalmistae, Georgii Tranoscii, degener filius, Ignatii Lojolae castra sequutus dicere solitus erat: bonum est in Hungaria catholice vivere et lutheranice mori, non autem e converso: lutheranice vivere et catholice mori. Interim hoc jesuitarum factum, veluti Krmanni saluti nihil nocere potuit, ita piis ejus manibus magnum conciliavit honorem. Quem enim vivum tanquam haere-

siarcham et lutheranicum idolum perpetuo calumniabantur et damnabant, illum mortuum ad admirationem usque solenni sepultura, in cathedrali S. Martini templo dignati sunt.

§. 64. Triste vero hujus rei, ante unicum annum, accidit exemplum Eperjessini. Erat nempe illic defuncti Novák, senatoris quondam eperjensis, relicta vidua, nonagenario si non major, tamen proxima, quae vivente marito, innumeras, ab ipso aeque ac jesuitis, religionis causa pertulit persecutiones. Quia tamen scivit, cui credidit, hinc illi quoque constanter, usque ad ultimum vitae suae halitum, adhaesit. Dum autem animam jam agenti, et extra omnem humanum sensum jacenti adsisteret communis pauperum Eperjessini mater, honestissima vidua domina Reschiana, una cum probi cujusdam civis Schön dicti uxore, accurrit jesuita, dominas hasce cubiculo expellens, sacramentumque agonisanti vi porrigere volens. Quia vero personae illae exire nolebant, sed jesuitam, ne id faciat, deprecabantur, proponentes, perinde esse, fissurae alicujus ligni, sive huic sensibus et rationis usu privatae feminae sacramentum exhibeat: expertae demum sunt, quid sit jesuitae, iniquissime etiam agenti, adversari. Non solum enim viduae illi sibi amplius non praesenti, tanto minus desideranti, sacramentum porrexit, verum honestas quoque illas matronas, deposita contra easdem gravi apud magistratum querela jure impetiit. Ubi dum in causam attractis nulla, jesuitae vero omnis adhiberetur fides, fieri aliter non potuit, quam ut innocentes ad publicos carceres et graves condemnarentur poenas. Ac domina quidem Reschiana carceres et poenam centum florenis porro redemit; altera tamen non habens in aere, luere debuit in corpore. Tametsi enim ad multas preces et domini Andreae Désy fidejussionem, ex publico, cui intrusa fuit, carcere est dimissa; a poena tamen nullis intercessionibus et obtestationibus, me Eperjessini existente, liberari poterat, ac nisi eandem hactenus mors absolverit, siquidem lethaliter reliqui decumbentem, jam absque omni dubio eandem subire est coacta, tunc enim plane urgebatur per jesuitas illius executio, ut nempe in pegmate infami collocata, sit venia verbo, excrementum ore teneat et tandem dicta, quae ipsi affingebantur, cum deprecatione fateatur et revocet.

§. 65. Consideratione vero dignum est, quod certus romano-

catholicus magni momenti nobilis, circa violentam hancce sacramenti in moribundos intrusionem, prodidit. Dum enim in privato consessu ab evangelicis nobilibus diceretur, hunc esse detestandum prorsus tam venerabilis sacramenti abusum, dum nec petentis, nec annuentis, sed nec quicquam sentientis ori ingeritur: ille sacerdotes suos excusare volens, illud revelavit arcanum, quod parochus ad tales personas accedens semper duplicem soleat habere hostiam, alteram consecratam, vulgarem alteram. Si persona sit sanae mentis compos, atque in participationem consentiat, tunc quod exhibeat consecratam, seu ipsum venerabile; quodsi vero sit sensuum inops, quod eidem porrigat vulgarem. Lubens quidem candidus iste vir verba sua deinceps revocasset, ac si fieri potuisset, vel centies deglutiisset; quia tamen fieri non poterat, hinc majorem tantum in modum petebat, ne prodatur, alias millenas molestias se non effugiturum. Quapropter ego quoque nomen ejus consulto subticeo.

§. 66. A talibus violentis coactionibus, nec ipsi quoque parvuli in Hungaria sunt immunes, quin potius si alicujus alteruter parentum olim fuerit vel romano-catholicus, vel graeci ritus, mox romano-catholicus clerus tales liberos surripit, violenterque ad acceptandam catholicam religionem adigit, nihil considerans, quod praeter vitam nihil a parente acceperint, relictique orphani a superstite vel patre, vel matre, vel amicis aut tutoribus evangelicis fuerint educati. Imo etiamsi uterque parentum sit superstes, suosque liberos in evangelica religione educandos velit, tamen porro invitis parentibus rapiuntur. Initium hujus crudelitatis, mei apud eperjenses ministerii tempore, fecit P. Szántay jesuita, in probi viri N. N. incolae N. filiolo. Erat quidem pater romano-catholicus, non tamen benevole, sed vi, in pueritia ad amplectendam illam religionem adactus, hinc etiam semper solitus erat dicere, se malle centies oppetere supplicium, quam ut filius suus sit catholicus, permittere, propter intolerabiles, quos ipse ob desertam evangelicam religionem in conscientia sentit, cruciatus: ac proinde ipsum quoque religionis evangelicae principiis in schola nostra eperjensi imbui voluit. Haec dum jesuita Szántay rescivisset, hospitium pueri cum studiosis invasit, atque ipsum in collegium ac inde in templum deductum, ad confitendum sexto aetatis anno adegit. Parentes miseri propter hoc factum moerore fere exani-

mati, me de modo reducendi ad evangelicam religionem sui filii, lacrymabundi petierunt. Quorum, ac inprimis filioli ipsorum salutis misertus, eundem ad alia loca missum, meis notis et amicis commendavi, per quos in scholis enutritus, constans hucdum in evangelica perseverat religione. Pater tamen ejus per jesuitam Szántay apud dominam suam terrestrem comitissam Szent-Iványi accusatus, durissimos carceres, collo catena constrictus subire debuit, mater vero longo tempore in sylvis delitescens, carceres porro evitavit. Tali ratione ab hujus jesuitae rabie liberavi eperjensis viduae N. filium, per multos dies in fornice sub lecto occultatum, item certorum parentum in suburbio eperjensi inferiori filium, qui integros quatuordecim dies per horrea sese occultabat, matre interim in publico carcere, propter non revelatum, ubi sit, filium gemente.

§. 67. Graviorem adhuc in similes liberos exercuit tyrannidem lutum illud sangvine maceratum P. Schewcsik jesuita, infernalibus furiis merito accensendus, ac apud ipsos quoque prudentiores catholicos, propter intolerabilem animi intemperantiam exosus. Hic enim satellitibus stipatus, domos civium percurrebat, liberos alterutro parentum pontificio prognatos vi rapiebat, carceri includebat, promissis, donis, minis, verberibus ad defectionem sollicitabat, nec dimittebat, priusquam superata molestiis tenera aetas, nuncium religioni evangelicae misisset. His mediis aliquot puellas, atque inter ipsas Schmidelianam pupillam, ab evangelica, quam ex catechismo hauserat, doctrina absterruit. Praecipue autem duriter ab ipso atque ejus socio P. Zimmermanno, tractabantur duo orphani, certi civis et pulverarii eperjensis filii. Postquam enim vidua mater duos majores jesuitis tradere fuisset coacta, minores duos cum altero suo evangelico marito Michaele Rasztoczky in evangelica educabat religione. Verum P. Schewcsik irruens cum adparitoribus in domum, vi eosdem in collegium abduxit, ibidemque captivos detinuit, usque dum pueri verberum pertaesi tempore coenae an. 1744. die 30. Jan. janua collegii effracta, sub ipsa portarum occlusione ex civitate profugissent, et ad me tempore nocturno venissent, quos tandem, inscia matre et vitrico, in tertium usque expedivi comitatum, ubi adhuc in salvifica evangelica religione perseverant. Utrumque tamen horum patrum adhuc superat supra jam nominata illustrissima domi-

na Clara Barkóczy supremi comitatus sáarosiensis comitis Thomae Szirmay contboralis. Quo enim major est in excellentissimo domino comite animi moderatio et prudentia, eo major est in domina zelus sine scientia. Haec quippe aestate proxime praeterita, subditorum suorum liberos, sub praetextu exhibendi ipsis laboris, in suum tarczense castellum congregari curavit, congregatos vero non cessavit flagellare, priusquam omnes ad romana sacra accessissent. Nunc autem eandem crudelitatem exercet in conscientias parentum aliorumque adultorum, carcere et verberibus eosdem ad veritatis evangelicae abnegationem cogens, ut adeo plurimi relictis propriis aedibus alibi quaerant perfugium. Hic autem durissimus est in Hungaria conscientiarum laqueus, quod qui semel, quocunque modo ecclesiae romano-catholicae dant nomina, illis amplius ad evangelicos redire non liceat, nisi sub apostatarum titulo velint denuo carceribus includi, et gravissimae arbitrariae poenae subjici.

§. 68. Ad violentos hosce procedendi modos referri quoque potest importuna illa evangelicorum ad ceremonias religioni suae contrarias adactio, a quibus tamen tam regni legibus et articulis, quam peculiaribus caesareo-regiis diplomatibus sunt liberati. Inter has praecipuae sunt, Eperjessini saltem, processiones et offertoria. Ad processiones evangelici non tantum coguntur, verum etiam vexilla ipsis bajulanda traduntur genuaque flectere jubentur. Qui id non fecerit, atrocia experitur ab adparitoribus ad id jam ordinatis, verbera: qui vero sese a processione subduxerit, praeter carceres et pecuniarum mulctam, ab opificii quoque exercitio arcetur, quod cum pluribus aliis J. H. Lackneri dulciarii, et chirurgicorum sociorum exempla evincunt. Quod vero concernit offertoria, quae nimis frequenter in anno Eperjessini instituuntur, ad illa sub media concione, cives evangelici ex oratorio sese tumultuarie, audita octava matutina hora proripere coguntur, ut justo tempore in templo parochiali compareant. Et quanquam a senioribus opificum magistris ipsorum symbola per domos solummodo colligitur; juniores tamen cum sociis et tyronibus ipsi in templo comparere debent. Ubi jesuitarum unus altaris lateri adsistens, circumeuntibus Christi crucifixi effigiem, quam manibus tenet, ad osculandum solet porrigere, qui vero osculum detrectaverint exhibere, illis Christum in Mosen convertit et capitibus

allidit, ut adeo haud unus meorum auditorum cruentum e templo caput domum retulerit. Si pauxilla ista, quae hic sunt commemorata, cum illis, quae Kurze und zuverlässige Nachricht etc. exhibet, benevolus lector conjunxerit, utraque penitius discusserit et expenderit, facile percipere poterit, qui sit ecclesiarum Hungariae protestantium status, ex eoque firmiter concludere, omnes conatus, omnia consilia, omnes dispositiones atque omnia romano-catholicorum facta, non aliud habere pro scopo, quam universalem religionis protestantium e regno Hungariae exstirpationem.

§. 69. His porro omnibus superadditum est, ne quis aliqua super re apud extraneas potentias conqueri ausit, quod severo quoque excelsi consilii regii mandato est interdictum, ac ejusdem transgressori, capitis bonorumque amissio, loco poenae praenunciata. Unde factum, quod dum serenissimus potentissimusque Borussiae rex, dominum Samuelem Pulszky eperjensem Wratislaviam, respectu vini cum ipso transacturus evocasset, redux Eperjessinum, per excellentissimum dn. supremum comitem, ad consilii regii mandatum sub juramento examinabatur, nonne in religionis negotio suae regiae majestati aliquid loquebatur? Nolunt quippe id habere adversarii nostri, ut ipsorum in protestantes Hungariae exercita tyrannis, serenissimis evangelicis regibus et principibus innotescat, sed ut sinistris ipsorum relationibus fides unice habeatur. Quoniam vero admiranda dei ope et auxilio, relicta cum carcere, dulcissima quoque patria, ad haec securiora delatus sum loca, facere non possum, quin tristissimam hancce ecclesiarum Hungariae protestantium faciem publico proponens conspectui, vestram inprimis, serenissimi potentissimi reges et principes! christianam commiserationem, atque efficax pro afflictissimis, et ab omnibus derelictis fidei vestrae consortibus ferendum solatium, omnium et singulorum Hungariae protestantium nomine, per fidei vinculum atque aeternam mercedem, implorem. Vos summus coeli terraeque dominus, deos in mundo, suaeque ecclesiae nutritios et protectores constituit: proinde, admittite regiis vestris cordibus pro evan-

gelio Christi oppressorum gemitus, vestrisque intercessionibus, serenissimae reginae Hungariae cor ad clementiora flectite consilia, ne fideles suos protestantes amplius premi et affligi permittat, sed quod de restitutis evangelicis in Hungaria libertatibus absque fundamento est divulgatum, ipso facto verum esse ostendat. Si enim cum protestantibus inposterum quoque ita, velut hactenus fuerit processum, valde metuendum, ut post decennium aliquis visibilis protestantium in Hungaria coetus, publico religionis suae exercitio gaudens, reperiatur. Quod deus clementissime averruncet, per Jesu Christi filii sui merita, amen.

Syllabus personarum.

Pag.

A.

Abele Christoph 225
Abrahamides Isaac 60., 87., 116., 208
Abstemius Paul. 317
Abstemius Petr. 54
Achatius 50., 54
Agriensis Lucas . . 26., 96., 97
Ajtay Mich. 161
Alauda Barth. 232
Áldássy Paul. . . . 170., 410
Aleander Hier. 59
Alistali Georg. 254
Almássy Matth. 97
Althan Phil. (Frid.) Mich. . . 306
Alvinczy Petr. 206
Ambrosi Georg . . 22., 116., 161
Ambrosi Sebast . 107., 124., 128
Ambrosovszky Mich. 331
Ampringen Casp. . 178., 229., 231
Anders Joh. Christoph. 413
Andrásy Car. 171., 172
Andrásy Franc. . . . 161, 171
Andrásy Jos. 171
Andrásy Petr. Jos. 172
Andricius Joh. . . 279., 370., 371
Antoni Sam. . 22., 121., 353., 368
Antonius trans . . . 51., 53
Apaffy Mich. 72
Arator Steph. 81
Arnoldi Dav. Godofr. . . . 53
Aszalay Franc. 296
Aszalay Jos. 104
Augustini Elias 238
Augustini Matth. 186

B.

Báchmegyey Steph. 28
Baczko Joh. 294
Bahil Joh. 10., 366
Bahil Laur. 366
Bahil Matth. 9., 10., 353
Bakos Gabr. 77., 101
Baksay Abrah. 42

Pag.

Balásfy Nic. 298
Balásfy Thom. . . . 206., 207
Balasovicz Gábr. 276
Balassa Andr. 137
Balassa Emer. 87., 337
Balassa Paul. 104, 153., 170., 276., 311., 314., 409., . . . 410
Balassa Sig. 58., 66
Balassa Sim. 58., 66
Balassa Steph. . . . 58., 66
Balassa Valent. 66
Balduinus Frid. . . 32., 69., 70
Balogh Lad. 104
Balogdi Franc. 97
Balsaratius Vitus Joh. . . . 96
Bánfy Dion. 194
Bánfy Franc. . . . 67., 77., 109
Bányay Steph. 161
Baranyay Franc. . . . 278., 286
Baranovszky Hieroth. . 16, 203
Barbacsy Franc. . . . 297., 301
Barbianus Joh. Jac. de Belgiojosa 194., 195., 196., 197., 199. 325
Barinyay Franc. 219
Barkóczy Alex. 137
Barkóczy Clara 154., 407., 420., 426
Barkóczy Franc. 150., 154., 316., 407., ... 417
Barkóczy Lad. 77
Bársony Georg. 14., 217., 218., 222., 228., 232, 249, 257., . 352
Bársony Joh. 218., 222
Bartholomaeides Jon. . . . 100
Baskovius Ambr. 337
Basta . . . 196., 199., 325., 326
Báthory Gabr. 328
Báthory Sig. 195
Báthory Soph. 6., 104., 142., 143., 211 212
Báthory Steph. 304
Baticius Nic. 110
Batizius Andr. . . 51., 52., 127
Battik Georg 410
Bátorkeszy Steph. . . 242., 254

Pag.

Battyányi Adam. . . . 65., 137
Battyányi Franc. 77
Battyányi Urb. . . . 341., 344
Baumheckel Georg. 37
Bebek Franc. 58
Bebek Georg. 58
Béber Steph. 335
Beithius Steph. 124
Belius Matth. 10., 110
Bellarminus 82
Belsius Bened. . . . 96, 128
Belsius Joh. 97
Bene Joh. 245., 251
Benedik Joh. 140
Benger Nic. 62
Beráth Joh. 306
Beráts Joh. 306
Beregh Joh. 273
Beregszászy Steph. 257
Berkes Andr. 301
Bertók Joh. 285
Berthóty Lud. 69
Berzeviczy Christoph. . . . 406
Berzeviczy Jer. 350
Berzeviczy Mart. 110
Berzeviczy Sig. 110
Beszterczey Joh. . . . 204., 346
Bethlen Gabr. 74., 206., 207., 328., ... 329
Bezegh Georg. . 281., 284., 286
Bierendorf 10
Birnstein Melch. 295
Biró Mart. . . 27., 236., 315., 316
Bitrary Blas. 97
Blaho Joh. 238
Blasy Jac. 109
Blasius 241
Bobock Mich. 313
Böbök Mich. 313
Bocatius Joh. . . 195., 196., 199
Bocskay Nic. 77
Bocskay Steph. 84., 85., 194., 195., 199., 325., 327., . . . 328
Bodfalvay Petr. 26
Bodó Andr. 169
Bodó Matth. . . 168., 170., 313
Bodok Mich. 313
Bodovinus Andr. 118
Bodzay Steph. . . . 170., 410
Bogdanyi Ign. 378., 383., 399., 400
Bognerus Barth. . . . 38., 51
Bohus Franc. 335
Bónis Franc. 224
Borhiday Nic. 254., 258
Bory Mart. 106

Pag.

Bory Mich. 226
Bornay Matth. 94
Bornemisza Paul. 317
Bornemisza Petr. . 54., 66., 114
Bornemisza Steph. 154., 170., 403., ... 411
Borsiczky Steph. 213
Böythe Andr. 130
Böythe Steph. . . 124., 130., 132
Breiner Sig. Christ. 293
Brey 33
Brewer Laur. 114
Brewer Sam. 114
Brezniczky Adam. 5
Brocardus Franc. . . 174., 401
Broderieus Steph. 82
Brunczvik Tob. 140
Bubenkius Elias 100
Bubenkius Sam. 10
Buchenberg 165
Buchholtz Georg . . . 10., 334
Budaeus Georg. . . 14., 227., 233
Bugany Nic. . . 246., 254., 260
Bulyovszky Dan. 119
Buocz Sus. 368
Burger Georg. Christ. . . . 42
Burius Joh. . . . 19., 120., 121
Butkay Maria 306

C.

Caesar Georg. 26
Calisius Christ. 121
Calisius Phil. 275
Calmanchaeus 124
Caraffa Ant. . . 277., 286., 287
Caraffa Car. 201
Carbonarius Andr. 89
Carosinus Casp. 97
Cherny Joh. 19
Chladenius Mart. . . . 51., 108
Chladny Georg. . . . 15., 50
Chrastina Joh. 114
Claudini Joh. v. Andr. . . . 141
Cleselius Melch. 88
Colacinus 54
Colimannus Matth. 49
Coramiensis Bricc. 97
Cordatus Conr. . . . 50., 54
Cornides 134
Corvinus Joh. 341
Coxius Leonh. . . . 107., 126
Cyriaci Mart. 37., 38., 51., 52., 127

Cz.

Czabanyi Joh. 247
Czabkay Phil. Jac. 416

Pag.

Czeglédi Franc. 96
Czeglédy Petr. . 242., 254., 255
Czelder Urb. 288
Czemánka Andr. 50
Czobor Elis. 69., 111
Czobor Mich. 328
Czvittinger Dav. 18

Cs.

Csaholi Franc. 339
Csáky Lad. 343
Csáky Mich. 341
Csáky Nic. . . . 92., 143., 298
Csáky Steph. 227., 228
Csehius 241
Csepelinyi Georg. 337
Csernák Sam. 106., 140
Csernyanszky Joh. 160
Csernovics Franc. 59
Csetneky Joh. 77
Csetneky Steph. 131
Csizsik Nic. 114
Csoltó Steph. 154
Csutka Joh. 247
Csúzy Jac. 57., 257

D.

Dadan Joh. 114
Dampier 199
Daun 175
David Joh. 68
Davidis Franc. 125
Dersfy Franc. . . . 58., 64
Dersfy Nic. 68., 326
Dersfy Ursula 204
Dessewffy Franc. 139
Dessewffy Thom. 398
Dési Andr. 423
Dévay Mart. 140
Dévay Matth. 38., 49., 124., 126., 184., ... 345
Diósy Andr. 77
Dirner Jonas 197
Dobis Steph. 337
Dolovicseny Joh. Georg. . . 114
Domian Andr. 272
Domsicz Mich. 169
Dorri Mart. 106
Dósa Thom. 101
Drágfy Casp. . . 52., 58., 64., 347
Draskóczy Sam. 168
Draskovics Georg. . . 144., 188
Draskovics Joh. 206

Pag.

Dubovszky Paul. Joh. . . . 23
Dudith Andr. 79., 188
Dvornikovics Joh. . . 343., 417

E.

Ebert 213
Ebner Joh. 273
Eckardus 259
Ember Paul. 23., 24
Engelmajer Sam. 169
Erdödy Gabr. 159., 162., 179., 290., 303., ... 418
Erdödy Georg. 275., 288., 290., 307
Erdödy Sim. 82
Erdödy Thom. 85., 207
Erich Eric. 114
Eszterházy Emer. 79., 92., 162., 417
Eszterházy Franc. 68., 204., 226., 319
Eszterházy Nic. 71., 137., 203., 204., ... 346
Eszterházy Paul. 226., 231., 263., 264., 265., 275., ... 288
Eszterházy Thom. 110
Exner Balth. 55

F.

Fabiankovics Georg. 169
Fábry Gregor 122
Fábri Paul. 38., 127
Fábri Thom. 19., 97., 125., 127., 128
Fabritius Basil. Sziksz. . 26, 62
Fabriczius Dav. . 182., 415., 416
Fabritius Georg. Sziksz. 25., 26., 97
Fabritius Joh. . . 100., 111., 112
Fabricius Mich. 115
Fabriczius Sam. 182
Fabricius Thom. 131
Fajtlik Joh. 155
Fáncsi Paul. 137
Fáy Mich. 160
Fecherus Casp. 78
Féja Dav. 285., 286
Fejérkövy Steph. 177
Fekete Steph. 141., 238
Feldmayer Sim. 281
Félegyházi Thom. 25
Fidicinis Joh. 106
Fischerus Andr. . . 51., 53., 343
Fischerus Elias . . 21., 116., 122
Fischer Joh. 113., 118
Fischer Mich. 281., 352
Flander Ant. 189
Fleischhacker Georg. . . . 279

Pag.
Flemmer Ulr. 157
Fojt Dan. 391
Fontanus Jon. 106
Forgács Franc. 62., 85., 86., 90., 97., 144., 177., 178., 201., 205., 298
Forgács Joh. 155
Forgács Maria 142
Forgács Mich. 109
Forgács Nic. 137
Forgács Petr. 77
Forgács Sig. 81., 85., 137., 144., 346
Frantsch 383
Fridelius Andr. Hier. . . . 122
Fridt Cypr. 131
Froncsius Jac. Franc. . . . 78
Fronesius Jac. Franc. . . . 78
Frühauf Dav. 109., 169
Futaki Franc. 97

G.

Gál Sim. 334
Galata Steph. 97
Galgóczy Georg. 337
Galli Sim. 334
Gámbarzowsky Nic. 203
Gassitius Georg. . . . 13., 255
Gauhen Joh. Frid. 33
Gellig Wolfg. 106
Gerhard Matth. 289
German Sam. 218
Germeten 417
Gesner Joh. Jac. 82
Ghillany Joh. 240
Gillig Wolfg. 106
Gleba Balth. 37., 127
Glogovius Joh. 247
Glosius Joh. 100
Godermann Andr. . . 251, 252
Goes Mich. 259
Goetz Georg. Henr. 32
Gorczky Petr. 97
Gosnoviczerus Stan. 101
Gosztonyi Nic. . . . 111., 335
Gotthard Mich. . . . 17., 171
Gömöry Joh. 247
Göncz Nic. 114
Gönczi Georg 25
Görcz 277
Greiphen Seincholt Jos. . . . 97
Graverus Alb. 56., 97., 102., 107., 129., 130., ... 134
Gregori 184
Gresner Elias 247
Gretzmacher Mich. 306

Pag.
Gross Andr. 414
Grynaeus Sim. . . . 47., 345
Guth Dan. 144., 281
Guth Sig. 280
Gutgesell Dav. 113
Günther Dav. 233
Günthler Dav. 233
Gvendel Mich. 280

Gy.

Győry Adam 301
Gyulaffy Maria 73
Gyürky Franc. 335
Gyürky Steph. 308

H.

Haas 377
Haen Joh. 260., 262
Hajnal Matth. . 204., 205., 346
Haller Steph. 137
Hamel Bruinynx Gerh. . . . 264
Hanerus Georg. . . . 31., 44
Hardeck com. 9
Harsányi Steph. . . . 254., 255
Hartmannus Joh. Lud. . . . 32
Haynóczy Dan. 17
Hecken Joh. Petr. 79
Heckentheil Joh. Petr. . . . 79
Hegedüs Mich. 312
Heideggerus Joh. Henr. . . 32
Heister gener. . . . 226., 227
Héli Greg. v. Georg. 245., 254., 258
Hellenbach Georg. 160
Hellenbach Joh. Godofr. 99., 110., 119., ... 300
Henckel Joh. . . . 47., 48., 345
Henyey Joh. 343
Herberstein Jul. 131
Herczegh Steph. 196
Heritz Thom. 263
Herkal 368
Herni Ant. 97
Hethey Andr. 207
Heuchelin Sim. 343
Heutschi Phil. . . . 238., 260
Hevessy Mich. 97
Hilarius Thom. 96
Himmelreich Tiburt 85
Hirko 339., 340
Hlinej v. Hlinyi 92
Hlobéczy Joh. 155
Hobermayer Casp. 228
Hocquardus Bonav. 41

Pag.

Hocher Joh. Paul. . . 225., 263
Hodik Joh. 78., 146., 204., 205., 243., 246., ... 346
Hodossy Joh. 220
Holi Jac. 115
Holvaith Andr. 413
Holvaith Paul. . . . 17., 59
Holko Matth. 182
Homonnay Georg. 197., 207., 328., 346
Homonnay Valent. 328
Hontheim Joh. Nic. 190
Horn Georg. 33
Horváth Georg. 228
Horváth-Mladosevicz Nic. . . 110
Horvath-Stansith Balth. . . 119
Horváth-Stansith Greg. 102., 107., 122., 129., 132., ... 308
Horváth-Stansith Marc. . 102., 110
Hospinianus Rud. 32
Hrabovszky Joh. . . . 68., 414
Hruskovicz Sam. . 122., 313., 314
Hrusovszky Andr. 78
Huldenbergh Dan. 9
Hunyady Lad. 289
Huszár Gallus . . . 51., 53
Huszár Jos. 335
Husselius Alb. 54
Hustius Joh. 80
Huszty Mich. 254., 255
Hutterus Leonh. 31

I.

Illés Greg. v. Georg. 245., 252., 254., 255., ... 258
Illés Joh. 92
Illésházy Casp. 68., 107., 111., 141., ... 146
Illésházy Gabr. 68., 77., 111., 138., 146., ... 147
Illésházy Georg. . . . 138., 141
Illésházy Jos. 139., 169
Illésházy Nic. . . . 15., 289
Illésházy Sophia 204
Illésházy Steph. 68., 77., 85., 105., 107., 111., 177., 225., . 360
Illicinus Petr. 318
Illmanovszki Tob. 350
Illosvay Bened. 96
Institoris Joh. 146
Institoris Mich. 146
Intibus Mart. 54
Iratosi Joh. 25
Istvánfy Nic. . . . 62., 69., 87
Ivanka Sam. 385
Izdenczy Joh. 296

J.

Jablonovszky Paul. . 22., 102., 131
Jakabfalvay Adam 160
Jánoky Sig. 118
Janovszky Joh. 272
Jaszma Joh. 220
Javina Joh. 271
Jaxith Petri vidua 65
Jelenik Andr. 112
Jemicius Joh. 203
Jenei Andr. 384
Jeszenák Paul. 17., 121., 179., 296
Jessenius Joh. . . . 71., 202
Johannes praedic. cibin. . . 124
Johannides Phil. 247
Jósa 339
Jozéfy Andr. 121
Juliani Jos. 306
Justh Dan. 337
Justh Joh. 337

K.

Kalinka Joach. 78., 238., 239., 259
Kalmanczay Steph. 238
Kalmancsehy Mart. . . 51., 53
Kálnay Petr. 254
Kántor Steph. 301
Kapy Andr. 77
Kapsius Rich. 97
Karasznay Mich. 254
Karaz 421
Károlyi Nic. 97
Karpe Joh. Frid. 22
Karpius Frid. 22
Kassai Georg. Mich. 108
Kátay Mich. 327., 328
Katona Geleianus Steph. . . 31
Kauder Vilh. 114
Kayn Francisca . . . 211., 212
Kazy Franc. 28
Kebel Mich. 301
Kegyer Joh. 140
Keglevics Georg. 87
Keglevics Joh. 87
Keglevics Petr. 225
Kelcz 392
Keleményi 397
Keller Sig. 23
Kellio Nic. . 251., 252., 253., 381
Kemény Joh. 110
Kenessey Steph. 300
Keresztúry Joh. 238
Kéry Joh. 67., 209

Pag.

Kerpetzit Andr. 95
Ketzer Alex. 369
Ketzer Ambros. . . 72., 226., 236
Ketzer Andr. . . 110., 278., 286
Ketzer Gabr. 110., 279
Ketzer Steph. . . . 22., 110
Király Adam. 160
Kircher Joh. 108., 140
Kis Adam. 140
Kiss Emer. 212
Kiss Joh. 91., 297., 301
Kis Paul. 140
Kiszely Julian. 169
Klein Barth. 377
Klenovszky Jac. 270
Kleschius Christoph. . 12., 128
Kleschius Dan. 12., 71., 106., 257., ... 351
Klimann Georg. 111
Klobusiczky Steph. 412
Koch Cyr. 97
Kocsy Valent. 254
Koháry Steph. . . . 294., 296
Koháry Wolfg. 275
Kokavinus Brice. 20
Kolárik Casp. 78
Kolbányi Paul. 100
Kollár Adam. Franc. 145., 162., 190
Koller 145
Kolonics Leop. 153., 232., 233., 243., 248., 249., 275., 287., . 299
Kolosváry Joh. 188
Komáromy Steph. 254
Kontor Steph. 301
Kopácsy Steph. . . . 50., 127
Kopetsy v. Kopeczy Basil. . . 246
Koppi 178., 330
Korbely Andr. . . . 171., 408
Körmendy Georg 254
Korodi Joh. 254., 255
Korponay Gabr. 410
Kostka Steph. 228
Kovács Georg. 285
Kovalovszky Thom. 337
Kövér Gabr. 251., 252
Kozma Petr. 63
Krausius Mart. 22
Krestiansky Job. 13
Krmann Dan. 10., 20., 115., 118., 120., 218., 219., 220., 221., 288., 394., ... 422
Krupinszky Elias 368
Krupinszky Mar. 368
Küberg Reb. 78
Kubinyi Dan. 308

Pag.

Kubinyi Steph. 410
Kucsera Joh. 141
Kutassy Joh. . 82., 177., 178., 271

L.

Labassy Bened. 97
Lackner 426
Ladiver Elias 73., 259
Ladmóczy Steph. 257
Lamberg Franc. Sig. 15
Lam Sebast. . 102., 107., 124., 128., ... 130
Lamormain Gvil. . 139., 142., 202
Lampe Frid. Adolph. . 24., 233
Lang Esai. 51
Lányi Christ. 38
Lányi Dan. 12., 78
Lányi Dav. 78
Lányi Elias . . . 70., 77., 87
Lányi Georg. . 13., 242., 254., 255
Lányi Jac. 182., 416
Lányi Joh. 168
Lányi Paul. 119
Lányi Sam. 285
Lányi Zach. 142
Lapsanszky Joh. 14., 236., 237., 249
Lascovius Monedulatus Petrus . 56
Lautsek Mart. 20
Lazinszky Gabr. 257
Leczkovius Christ. 95
Lehmann Casp. 98
Lehmann Godofr. 332
Lehmann Joh. Jac. 9
Lehoczky Alex. 272
Lehoczky Andr. 274
Leibitzerus Israel 12
Leibiczerus Joach. 12
Lemmhamerus Joh. 96
Lépes Valent. 143
Leporini Nic. 260
Lethenyey Steph. 114
Lichtenstein Car. 85
Liefmann Mich. . . . 99., 238
Lincius Dion 37., 127
Lindner Georg. 114
Lipóczy Nic. 330
Lippay Blas. 326
Lippay Georg. . . . 210., 294
Lippisch Joh. Georg. 109
Liptoviensis Greg. 97
Lyserus Polyc. 88
Listhi Anna Ros. 69
Listhi Joh. 69
Listhi Lad. 137

Pag.

Litterati Joh. 285
Lochmann Matth. 87
Lochmann Paul. 140
Lodsinsky Joh. 198
Loescherus Valent. Era. . . 32
Londinus Andr. 233
Longay Joh. . . 377., 391., 414
Lorántfy Sus. 142
Lósy Emer. 139., 142
Lovcsányi Georg . 54., 55., 100
Lovcsányi Tim. 55
Lubomirsky Stan. Heracl. 197., 257
Lucius Lud 16
Luzsinszky Franc. 411

M.

Machner Mart. 106
Magóchy Andr. . . . 58., 65
Magócsy Franc. . 204., 326., 328
Maholányi Joh. . . . 264., 265
Major Paul. . 20., 21., 22., 23., 45
Mailáth Nic. 232., 249
Majthényi Joh. . 229., 230., 240
Majthényi Lad. 298
Malevics 159
Malleter Tob. 400
Malus Paul. . . . 22., 102., 131
Marcellus Sam. 121
Marcsek Sam. 121
Maria, reg. Hung. . . 43., 58
Mariássy Sig. 110
Markovics Israel . . . 391., 416
Martini Nic. 346
Martinusi Georg. . . . 341., 344
Maschko Melch. 131
Maszelnik 337
Masius Andr. 36
Masnitius Dan. 12
Masnitius Tob. 12., 16., 43., 186., 254., 255., ... 261
Matyasovszky Lad. . . 275., 299
Matthaeides Sam. 102., 184., 334., 353
Maugsch 399
Mazsarius Christoph. . . . 13
Mazsarius Dan. . . . 255., 258
Mednyanszky Paul. 293
Medveczky Sam. 280
Megander Valent. 97
Megertinus Valent. 96
Megyaszay Georg. 161
Melczel Dav. 413
Melczer Mich. 332
Melikius Sam. 87
Mensatoris Steph. 247

Pag.

Merse Sig. 392., 405
Michaelides Sam. 22., 121., 288., 368
Mihályi Steph. 91
Mihálik Joh. 138
Mikeházy Georg. 300
Milochovius Joh. 260
Miskolczy Mich. . . . 254., 255
Miskolczy Steph. 242
Miskovicz Joh. 294
Mittuch Adam. . . . 120., 121
Mlinarics Venc. . . . 219., 220
Mohl Elias 121
Molart Ernest. 85
Moller Gvil. Dan. 108
Molnár Georg. 92
Monkovicenus Mart. 107
Montanus Theod. 97
More Phil. 339
Moszczenszky Andr. 315
Moszius Mich. 97
Muraközy Georg. 132
Musay Greg. 20
Mylius Joh. 124., 130

N.

Nádasdy Franc. 77., 130., 132., 137., 142., 211., 224., . . . 346
Nádasdy Leop. 150., 292., 314., 319., ... 395
Nádasdy Paul. . 38., 65., 77., 211
Nádasdy Thom. . . 77., 177., 211
Nagy Joh. 220
Nagy Mihály Franc. 85
Nedeczky Steph. 168
Németh Blas. 326
Németh Franc. 52
Némethy Mich. . . . 25., 48
Némethy Steph. 247
Nicletius Balth. . . . 254., 260
Nicletius Sam. . 251., 254., 260
Nicolai Phil. 184
Nigrelli 105
Nigrini Sam. 134
Nigrinius Christ. 5., 101
Novák Mart. 16

Ny.

Nyáry Cath. 71
Nyáry Christina . . . 137., 204
Nyáry Paul. 328

O.

Ocherlan Lēonh. 113
Okolicsányi Christ. 119., 335., 337

Pag.

Okolicsányi Emer. 272
Okolicsányi Mich. 92
Okolicsányi Paul. . 10., 276., 300
Olahus Nic. . 177., 178., 189., 318
Omaszta Steph. 323
Orbán Steph. 266
Orczy Steph. 235
Ortelius Hier. 84
Oszterlamm Leonh. 113
Ostfy Mich. 123
Ostmucensis Cypr. 97
Osztrosith Joh. . . . 70., 110
Osztrosith Matth. 13
Ottlik Andr. 358
Ottlik Paul. 110
Ottlik Sam. 296
Otrokocsi Fóris Franc. 26., 254., 256
Oxenstirn Bened. 261
Ozoreus Emer. 127

P.

Paczoth Franc. 70
Paksy Blas. 339
Palásthy Gabr. . . . 284., 286
Pálfalvay Joh. 217
Pálfy Car. 353
Pálfy Cath. . . . 68, 105., 346
Pálfy Joh. . . . 335., 371., 399
Pálfy Nic. 179
Pálfy Paul. 212
Pálfy Thom. 213., 249
Palinay Georg. 339
Palocsay Gabr. 137
Pap Steph. 384
Paris Pápay Franc. . . 23., 39
Parschitius Christoph. . . . 226
Parschitius Dan. 22
Patay Sam. 300
Pater Paul. 108
Pavlovics Mich. . . . 254., 258
Pázmán Petr. 30., 88., 97., 203., 204., 205., ... 207
Péchy Barb. 391
Péchy Gabr. 167
Péchy Sig. 109
Péchy Steph. 168
Pecz 198
Pemflinger Marc. . . . 49., 67
Perczhoff 280
Perényi Emer. 137
Perényi Franc. . . . 61., 339
Perényi Gabr. 57., 61., 62., 77, 96., 102., ... 125
Perényi Georg. 61

Pag.

Perényi Petr. . . . 58., 61., 102
Perlaky Jos. 122
Permay Andr. 228
Permay Steph. 228
Persitz 242., 243
Pethe Lad. 197
Pethe Mart- . 167., 196., 197., 201
Péterfy Car. 27
Pethő Casp. 77
Petróczy Steph. 118., 121., 277, 331
Petitius 306
Petsenius 306
Petsius 306
Peucker Georg. . . . 106., 213
Pfanschmidt Dan. 232
Philadelphus Ant. . . 54., 55
Philadelphus Mart. 55
Pilárik Esa. 110., 259
Pilárik Jer. 100., 122
Pilárik Steph. 14., 78., 118., 147., 351
Pilcius Casp. 124., 127
Pilcius Joh. 128
Pilcius Mart. 197
Piper Car. 332., 333
Placsko Jud. 366
Plathy Andr. 343
Platner Ant. . . 96., 97., 124., 130
Pletrich 409
Plochius Christ. 118
Podhorányi Sig. 407
Podmaniczky Joh. . . 122., 225
Podmaniczky Raph. 225
Pográny Salome 106
Pomarius Sam. 16., 22., 72., 107., 203., ... 369
Pongrácz Georg. 213
Pongrácz Jer. 68
Poor Steph. 301
Pósaházy Joh. 25
Poszheldt. Venc. Ant. . . . 213
Praganius Andr. 87
Preiner Siegfr. Christ. . . . 85
Prileszky Paul. . 119., 179., 296
Prochatius Mart. 78
Prúni Joh. 405
Prúni Matth. 150
Prúno Joh. 54
Pstruha Christ. 94
Pulszky Sam. . . 150., 395, 427
Pühringer Christ. 232

Q.

Quendel Laur. . . 51., 53, 349

R.

Pag.

Ráday Paul. 179., 300
Radan Basil. 51
Radaschinus Mich. . . 51., 52
Radeczky Franc. 94
Radics Andr. 78
Radonay Matth. . . . 275., 288
Radovics Petr. 298
Radvany Georg. 122
Radványi Franc. 300
Radvanszky Georg. . . 282., 286
Radvanszky Joh. . 119., 122., 262
Radvanszky Lad. 122
Raillard Jac. 255
Rákóczy Franc. 15., 72., 105., 137., 143., 288, 331., . . . 332
Rákóczy Georg. 77., 84., 142., 208., 209., 212., 329., . . . 330
Rakovszky Meleh. 335
Raksányi Gabr. 337
Raksányi Sus. 271
Ramássy Matth. 49
Raphanides Joh. 247
Ráskay Casp. 185
Rasztoczky Mich. 425
Rauscher Casp. . . . 278., 286
Rauscher Jac. 301
Raymundus Rimandus . . . 232
Razlaviczy Steph. 168
Rédey Franc. 72
Regis Mart. 24
Regius Jac. 101., 295
Reiser Ant. . . . 16., 217., 282
Remenius Dan. 259
Reuscher Casp. 278
Révay Alex. . . . 79., 137., 162
Révay Cath. Sidon. 13
Révay Elis. 275., 331
Révay Franc. 58, 64., 77., 139., 347., ... 348
Révay Jos. 316
Révay Jud. 65., 211
Révay Lad. 137
Révay Mich. 139
Révay Mos. 272
Révay Paul. . . . 74., 139., 275
Révay Petr. 68., 74., 77., 139., 159., 173., ... 360
Révay Steph. 137
Rezik Joh. . 96., 102, 108., 352
Rezzonico 175
Rhaw Joh. 97., 130
Riccius Joh. 61
Rimaszombathy Joh. . . . 257
Roeschelius Joh. Bapt. . . . 108
Röserus Jac. 107
Rosziar Petr. 99
de la Roche 399
Rohácsius 247
Rotarides Mich. 17
Roxas Christoph. 133
Rozgonyi Franc. 170
Ruberus 127
Rutkay Maria 306
Ruyterus Mich. Andr. 260., 261., 262

S.

Salanky Andr. 97
Salm Julius 66
Samarjay Joh. 114
Sambuch Georg. 113
Samko 270., 271
Sánta 124
Sárosy Joh. 118
Sárosy Thom. 391
Sartorius Andr. . . . 213., 246
Sartorius Hierem. . . 54., 110
Sartorius Joh. . . . 21., 108
Sartorius Nicod. . . . 54., 55
Sartorius Sam. 164
Sátor Petr. 161
Scaricaeus Matth. 25
Schader Joh. 51., 52
Schalakius Joh. 259
Scharfenstein Ferd. Ign. . . 78
Scharfenstein Franc. Jos. . . 78
Scheiderus Paul. 54
Schewesik jes. 425
Schmeitzelius Mart. . . 31., 44
Schmid Dan. 216., 217
Schmidegh Matth. 110
Scholtz Christ. 114
Scholtz Thom. 113
Scholczi Matth. 97
Schönleben Georg. 280
Schramko Mich. . . . 150., 312
Schreiber Georg. . . . 9., 16
Schultz Dan. 114
Schusztrik 405
Schwartz Joh. . 107., 118., 416
Schwartz Joh. Godofr. . 109., 173
Schwendi Laz. . 42., 66., 96., 97
Sciopius Casp 202
Sculteti Sev. 11., 42., 44., 127., 128., 130., ... 132
Seelmannus Christ. . . 53., 107
Segner Alex. 106
Segner Andr. 105
Séllyey Steph. . . . 242., 254

Pag.

Serpilius Joh. 350
Serpilius Laur. . . 51., 53., 349
Severini Paul. 238
Sexti Andr. 366
Sexti Joh. . . 13., 16., 260., 334
Seyder Joh. 96
Sidó Mich. 314
Sigler Joh. 38
Siklósi Mich. . . . 47., 48., 61
Silesita Ambr. 49
Simonides Joh. 10., 12., 16., 21., 229., 233., 238., 254., 255., 256., 261., 272., 312., ... 337
Sinay Joh. 126
Sinapius Dan. 112
Sinapius Joh. 259
Sincerus Joh. 97
Sipos Joh. 335
Skoda Georg. 30
Smidelius Georg. 90
Smolnik Georg. 383
Solthy Bernh. 125
Somody Petr. 254
Sondius Andr. 233
Spack Mich. 879., 390
Spanckau. 351
Spangar Andr. 320
Sperfogel Conr. 20
Spetkius Mart. 106
Spiegelius Jer. 55
Spiegler Jac. 116
Spielenberger Dav. 232
Spizel Theoph. 217
Sporck gen. 226., 227
Sreterus Christoph. 50
Stanckarus Franc. 124
Stanko 251
Starck Laur. 89
Statilius Joh. 341., 342
Steinicher Ant. . . . 311., 312
Steller Thom. 244., 251., 254., 258., ... 260
Stephanides Matth. 269
Stöckelius Leonh. 11., 49., 51., 107., 124., ... 187
Strada Franc. 60
Strigoniensis Franc. 97
Submontanus Matth. 298
Surdaster Joh. 49
Sutorius 232

Sz.

Szabó Georg. 194
Szabó Lad. 311., 312

Pag.

Szadeczky Franc. 94
Szakmáry Georg. 18., 39., 45., 182., ... 340
Szaladinus Paul. . . . 70., 116
Szalay Joh. 247
Szalay Mich. 38
Szalkanus Lad. 163., 178., 182., 183., 324., 339., ... 340
Szántay jes. 424., 425
Szántó Andr. 72., 331
Szécsey Joh. 254., 255
Szecsemssy Joh. 97
Széchenyi Georg. 153., 218., 240., 248., 249., 295, 326., ... 336
Széchenyi Paul. . . . 15., 299
Szécsy Casp. 137
Szécsy Eva 138., 146
Szécsy Georg. . . . 77., 101
Szécsy Matth. 171
Szécsy Petr. 213
Szécsy Thom. 77
Szedmák Paul. 271
Szegedy Joh. 178., 228
Szegedi Steph. 25
Székely Andr. 110., 281., 286
Szelepcsényi Georg. 138., 142., 177., 178., 213., 281., 247., 248., 263
Szelkovius Jac. 182
Szendrey Georg. 257
Szendrey Mart. 256
Szenothey Paul. 70
Szentiványi Georg. 417
Szentiványi Lad. 114
Szentiványi Mart. . . . 4., 80
Szentiványi Paul. 140
Szentkirályi Andr. 257
Szentpétery Mart. 254
Szentpétery Steph. . . 247., 257
Szerdahelyi Gabr. 81
Szerencsény Steph. 207
Szevetenyey Nic. 337
Szigyártó Steph. 335
Szikszay Basil. 96
Szikszay Greg. 97
Szilvay 228
Szilvásy Joh. 254
Szilvásy Mich. . . . 51., 52
Szirmay Nic. . . 119., 301., 332
Szirmay Thom 122., 154., 300., 306., 334., 407., ... 426
Szirmiensis Theod. . 68., 347., 349
Szmrecsány Alex. 391
Szoby Mich. 185
Szoboszlay Steph. 161
Szodoy Andr. 254

Pag.

Szontagh Casp. 168
Szopuch Cath. 269
Sztanovszky 140
Sztanovszky Dav. 141
Sztáray 404
Sztarniszky 286
Sztarsinszky 286
Sztranovius 5
Sztranovszky 286
Sztehlo Andr. 182., 312
Sztehlo Matth. 171
Szuchodolszky Christoph. . . 257
Szuhay Steph. 197., 199
Szúnyogh Casp. 101., 110
Szúnyogh Mos. 68
Szveteny Nic. 337

T.

Taploczay Joh. 238
Tapolcsányi Joh. 238
Tarnóczy Mart. 212., 238., 239., 260
Tatay Sam. 257
Tattenbach Erasm. 224
Téglási 92
Teleky Jos. 134
Telgasi 92
Tesslák Paul. 134
Thuanus Jac. Aug. 60
Thúri Paul. . . . 57., 124., 125
Thuróczy Andr. 258
Thuróczy Mich. 161
Thuróczy Nic. 139
Thurzó Adam. 71., 137
Thurzó Alex. 58., 61., 69., 177., 347
Thurzó Christoph. 77., 98., 138., 146., 167., 196., 199., 328., . 350
Thurzó Elis. 66
Thurzó Emer. 68., 70., 71., 77., 102., 109., 111., 204., . . . 205
Thurzó Georg. 54., 55., 68., 69., 71., 77., 81., 85., 97., 99., 101 102
Thurzó Joh. 61., 139
Thurzó Mich. 71., 137
Thurzó Stan. 68., 69., 70., 71., 77., 78., 81., 101., 102., 111., 140., ... 360
Timkovics Joh. . . . 254., 258
Timon Sam. 27., 30
Titius Dav. 232., 259
Tomka-Szászky Joh. 23
Tomori Paul. 324., 339
Tordanus Joh. 80
Torkos Mich. 121

Pag.

Tóth-Sipkovics Joh. 122
Tököly Emer. 68., 72., 111., 189., 226., 277., 330., 331., . . . 347
Tököly Sig. . 68., 71., 106., 111
Tököly Sophia 106
Tököly Steph. 68., 71., 72., 77., 103., 111., ... 226
Tökölyi Steph. minist. . . . 257
Török Dan. 97
Török Mart. 337
Török Steph. 300
Török Valent. 67
Tranoscius Georg. . . 143., 422
Tranoscius Sam. . . . 143., 422
Tranoscius Thom. 337
Transylvanus Ant. . . 124., 126
Trautsohn Joh. Jos. . . 79., 162
Trautsohn Paul. 85
Trsztyanszky Georg. . . . 271
Turcus Dan. 20
Turdeli 392
Türch Dav. 114

Ts.

Tsergey Joh. 97
Tsétsi Joh. 126
Tsutyássy Joh. 97

U.

Ujhelyi Elis. 285., 286
Unghváry Dem. 97
Urbanovics Andr. . . 241., 259
Ursinus Elias 107., 203
Ursinyi Mich. 312
Utisinovics Georg. 341

V. W.

Wagner Jac. 128
Wagner Mart. . . 99., 127., 128
Vay Lad. 300
Valentini Joh. 99
Valovicz Joh. 337
Vanyeczy Elias 313
Várday Paul. 64., 82., 177., 178., 184., ... 347
Varnay Georg. 294
Vas Clara 411
Weber Dan. 283
Weber Frid. 283
Végh Andr. 254
Weindling Dan. . . . 124., 131
Weinert Andr. 397

Pag.

Weisgeber Tob. 197
Veltz Georg. 12., 255., 260., 261., 262
Veltz Phil. . . 12., 255., 260., 261
Welligranth Mich. 79
Verantius Ant. 82., 98., 177., 178
Veratius Const. 15
Vergerius Joh. Bapt. 77
Vergerius Petr. Paul. . . . 77
Veselényi Franc. 101., 137., 177., 293
Veselényi Nic. 137
Vesthoffius Theod. 262
Victoria Joh. 189
Viczianovics Joh. 142
Vinshemius Vit . . . 47., 345
Witko 383
Vittnyédy Joh. 123
Vittnyédy Steph. . . . 111., 236
Viveth Aegyd. 262
Volckra 228., 232
Vratislav Joh. Venc. 15

X.

Xilander Steph. 117., 138., 146., 350

Z.

Zabelerus Jac. 21., 79., 96., 99., 108., 118., 144., 154., 238., . 281
Zabelerus Petr. 70., 102., 117., 350
Zablaszky Petr. Paul. Gabr. . 288
Zabojnik Georg. . . 99., 238., 272
Zádory Mich. 301
Zaffius Nic. 261

Pag.

Zay Andr. 300
Zay Petr. 121
Zamrsky Mart. Phil. 189
Zápolya Joh. . 184., 185., 186., 341
Zarevuczius Paul. 295
Zathureczky Emer. 337
Zavorka Tob. 115
Zedenyi v. Zedinyi Steph. 246., 254., ... 260
Zedlitz Georg. 41
Zelner Casp. 232
Zeltner Casp. 232
Zendi Steph. 207
Zerdahely Joh. 119
Zétsy Dem. 96
Zichy Adam. 159
Zichy Emer. 308
Zichy Joh. 303
Zimmermann Adam. . . 108., 391
Zimmermann jes. 425
Zimmermann Matth. 108
Zimmermann Sig. . . 277., 286
Zinzendorf Phil. Lud. . . . 179
Zmeskal Gabr. . 378., 379., 398
Zrinyi Barb. 69
Zrinyi Georg. 77
Zrinyi Nic. . . . 69., 77., 87
Zrinyi Petr. . 72., 143., 224., 331
Zuarovius Petr. 115
Zuatovicius Petr. 115
Zvonarics Georg. 65
Zvonarics Mich. 211
Zvonarics Steph. 65

3 2044 054 748 249

Fabó, András
Monumenta evangelicorum Aug. Conf. in Hungaria historica.

BX
8026
.H8
F3
v.2